SC.13.Pl.4.

37
44 C
4

- A107 1860

SPICILEGII BIBLICI

TOMVS II.

QVO ADNOTATA IN EXODVM,
LEVITICVM, NVMEROS, DEVTERONOMIVM,
ET IN RELIQVOS VETERIS FOEDERIS
LIBROS CONTINENTVR.

ALEXII SYMMACHI MAZOCHII

Metrop. Eccleſiae Neap. Canonici, in Regio Gymnaſ. Neapolitano S. Scriptur. Interpretis

SPICILEGII BIBLICI

TOMVS II.

Quo adnotata in Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium, & in Reliquos Veteris Foederis Libros continentur.

NEAPOLI. EX REGIA TYPOGRAPHIA
ANNO CIↃIↃCCLXVI.

SPICILEGIVM
OBSERVATIONVM LITTERALIVM
IN EXODVM

PROLOQVIVM

De vi tituli hujus Ἔξοδος : de Ezechielis cujusdam paris argumenti, pariſque inſcriptionis poëmatio : de Moſaici hujuſce libri materie.

GRAECA vox Ἔξοδος poteſt tripliciter accipi, ſive ſimpliciter pro egreſſu (cujus notionis apud profanos exempla ſunt rariora) ſive pro expeditione, maxime ubi de exercitu aut de duce ſermo ſit (cujus acceptionis paſſim ſunt exempla in Herodoto, Thucydide, Xenophonte, aliis) aut demum ſimpliciter pro profectione. Et quidem cum Iſraëlitae παντρατιᾷ (cum totis copiis) profecti fuerint animo acquirendi Chanaanitidem, poterat hîc Ἔξοδος reddi expeditio. Loca tamen non pauca ſunt LXX Seniorum (a quibus potiſſimum petenda ſunt exempla ad intelligendam notionem vocis ab ipſis uſurpatae) in quibus vox Ἔξοδος nihil aliud quam meram egreſſionem ſignificat, quia additur ἐξ Αἰγύπτου. Sic Pſal. 113. 1. Ἐν ἐξόδῳ Ἰσραὴλ ἐξ Αἰγύπτου. 3. Reg. X. 29. ἡ ἔξοδος ἐξ Αἰγύπτου. 2. Par. IX. 28. ἡ ἔξοδος τῶν ἱππέων ἐξ Αἰγύπτου. Et ut cetera taceam, hoc ipſo libro cap. XIX. 1. μηνὸς τῷ τρίτῳ τῆς ἐξόδου τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ ἐκ γῆς Αἰγύπτου. At vero ubi vox ἔξοδος expeditionem, aut ſimpliciter profectionem notat, tum non cum ἐξ, ſed cum εἰς aut ἐπὶ, aut demum cum nulla praepoſitione jungitur. Poſtremo exſtat ſatis vetuſtum poëma (de cujus aetate mox ſtatim pauca adſpergimus) quo egreſſio iſthaec Iſraëlitarum canitur, & Ἐξαγωγὴ i. e. Eductio inſcribitur; quo ſatis aperte notatur, non aliud per vocem Ἔξοδος fuiſſe intellectum, quam Iſraëlitarum ex Aegypto egreſſionem.

Sed jam de poëmate iſto pauca dicamus. Ezechielis Judaei dramaticum opuſculum, quod inſcribitur Ἐξαγωγὴ, in corpore Graecorum Poëtarum circumfertur: cujus fragmenta jam ante Clemens Alex. & Euſebius recitaverant, quemque unum ex LXX interpretibus exſtitiſſe, quidam, ſed teſte nullo, voluerunt. Ex eo, ſiqua ad illuſtrandum Moſem conferre viſa fuerint, ea ut potui, totidem ſenariis reddita in locis adtexam. Nunc de auctore dramatis quid ſit judicandum videamus. Hunc Judaeum Aegyptium fuiſſe non dubito, quia ipſe ſe non longe ab initio Hebraeis accenſet, ſcribens:

Δόλον καθ' ΗΜΩΝ πολὺν ἐμηχανήσατο
Βασιλεὺς Φαραώ.
Tum rex Pharao fraude NOS mala impetit.

Daniel Huetius in Dem. Ev. prop. IV. cap. 2. num. 24. illius antiquitatem ex eo maxime probat, quod a Demetrio Judaeo laudetur apud Euſebium: Demetrium vero iſtum inter Ptolemaeos Philopatora ac Lathyrum floruiſſe num. 30. demonſtrat. Ergo Ezechiel iſto modo Septuaginta ipſis aut aequalis aut ſuppar fuerit. Qui auctor Judaeum ſuo ſe Helleniſtico ſtylo prodit. Quae v. 100. de θείῳ λόγῳ, qui Moſi in rubo apparuerit, habet, cum Onkeloſi paraphraſi (cui multa eſt de מימרא memra *ſeu* Verbo Dei *mentio*) *ſunt plane conſentanea. Videbis a me dicenda ad Joannis I. 1. Adhaec Graecorum diſciplinis admoviſſe aures hic auctor videtur, ut qui ver. 78. ſeram* ἔγκυκλον (rotundam) *ex philoſophorum placitis appellarit; ut proinde ſiquis hunc Alexandrinum (ubi diſciplinae florebant mirifice) domo fuiſſe conjecerit, non repugnaverim. Illud quoque notandum, poëtae huic ver. 60. & ſeq. Aethiopiam, unde Sephora oriunda fuit, Libyae h. e. Africae partem, non vero Arabiae (in qua etiam ſua Aethiopia agnoſcebatur) villeri. Notabilis quoque Phoenicis deſcriptio, quam ad finem ſui poëmatis adtexuit.*

Materies poëmatis hujus non tantum egreſſionem Iſraëlitarum (a qua quia orditur, idcirco ſibi liber inde Ἐξαγωγῆς *nomen quaeſivit) complectitur, ſed & maxima libri parte* Mandata *Domini continet.* Mandata Domini *ea intelligo, quae Moſes ex ore Altiſſimi, ut ederet, exceperat: de quibus ad cap. VI. 13. ubi prima* Mandatorum *Moſi datorum mentio occurrit, agemus.*

AD EXODI I. 7.

Filii Iſraël creverunt, & quaſi germinantes multiplicati ſunt.] Mira eſt in Hebraeo hyperbole in פרו *pharu* & in ישרצו *iſretſu*: quorum illud a plantarum germinatione, hoc a reptilium foeturâ innumerabili petitum eſt. At certe prodigioſa fecunditas illa fuit, quando intra 215. annos ex ſeptuaginta capitibus, in Aegyptum ingreſſis, plus ſexcenta millia peditum prodierunt, non adnumeratis ceteris ad arma gerenda ineptis, nec feminarum pari ferme numero: quos ſi cenſeas, haud aegre totidem fere alia millia numeraveris. Conſentit illud quod mira praedicatur ceteroqui a profanis Aegyptiarum fecunditas [ſine qua tot pyramides, & obeliſcos non potuiſſe perfici argute Diodorus Sic. obſervavit] & tamen ſteriles Aegyptiae Aegyptiis ipſis hîc apud Moſem videbantur, praeut Hebraeorum copia foeturae erat. At mihi ſane, ut fatear, (1) veterum Ariſtotelis, Plinii, Solini, Paulli

(1) Plinius VII. 3. *In Aegypto ſeptenos uno utero ſimul gigni, auctor eſt Trogus.* Totidem habet ex Trogo Solinus cap. 1. Paullus quoque J. C. lib. V. Dig. tit. 4. *Tradidere non leves auctores . . . multas Aegypti uno utero ſeptenos enixas.* Sed & eadem de ſeptenis Strabo lib. XV. pag. 695. ex Ariſtotele recitat. Etſi putatur locus eſſe mendoſus, & pro ἐπτάδυμα legendum eſſe πενταδύμα: quandoquidem Ariſtoteles tum in IV. de gener. anim. 4. & 5. tum etiam in VII. animalium 5. nonniſi quinos habet. Gellius quoque X. 2. ex Ariſtotele quinos ponit, & *finem hunc eſſe multijugae hominum partionis, neque plures umquam ſimul genitos compertum.*

Paulli jurisconsulti notissimas narrationes de quinis, imo & septenis uno partu in Aegypto editis fabulosae videntur. Nec temere auguror, eas historias ad Hebraearum potius olim in Aegypto peregrinantium foeturas pertinuisse. Sed ethnici Hebraicae historiae ignari Hebraeos saepe cum Aegyptiis per omnia confuderunt; ut animadvertere licet in illa narratione, quae reperitur in Josephi I. contra Apionem, in Taciti V. histor. in Justini lib. XXXVI. de Judaeis leprae causa ex Aegypto pulsis; qua in narratione habentur Judaei ut Aegyptii generis. Sic etiam Aristophanes *Avibus* Aegyptios πλινθοφόρους (*laterum portitores*) vocat: quod de Hebraeis in Aegypto morantibus fuerat praedicandum. Sed ut eo redeam; ubi semel Aegyptiarum [quae tamen re vera Israëlitides erant] portentosa fecunditas aures hominum occupavit; de ea sic posteriores auctores scripserunt, quasi si semper fecunditas eadem constitisset. Et alioqui scimus, antiquos parum fuisse de exploranda narrationum fide sollicitos, sed unum ex altero, ut quodque insolitum & portentosum nanciscebantur, descripsisse.

AD EX. I. 10.

Venite, sapienter opprimamus eum (populum Israël) *ne forte multiplicetur; & si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris, expugnatisque nobis egrediatur de terra.*] Verba sunt novi regis, sibi ab Israëlitarum frequentia nimia formidantis. Ac sane pulcherrimum hujus commatis initium est, sive in fonte, sive in versionibus legatur. Ab Hebr. ordior: in quo legitur נתחכמה לו, *nithchacchemah lo*. Est istud a verbo חכם *chacam*, quod est *sapere*. At vero in *Hitpael*, reciprocam inque se redeuntem imbibit notionem, veluti si dicas *Sibi sapere*. Quocirca nulla videtur aptior interpretatio, quam si sic reddas: *Venite: nobismet ipsis in eum populum sapiamus*, hoc est, *ab eo cavendo consulamus nobis*. Et tamen tot ortae veterum interpretum translationes incommodant magis quam juvant.

At Seniores ita verterant: Δεῦτε οὖν, κατασοφισώμεθα αὐτούς. Ab his Itala vetus, sicuti & Hieronymus non re sed in speciem discessere; Itala quidem in Auct. oper. imperf. *Venite ergo circumveniamus* [in Nobilio *Circumscribamus*] *eos*: Hieronymus autem: *Venite sapienter opprimamus eum*.

Sed in Senioribus paullisper subsistamus, praecipue in illo, κατασοφισώμεθα αὐτούς. S. Stephanus Act. VI. 19. eâdem locutione utens haec ipsa narrat: Οὗτος [Pharao] ΚΑΤΑΣΟΦΙΣΑΜΕΝΟΣ τὸ γένος ἡμῶν, ἐκάκωσε τοὺς πατέρας ἡμῶν. Ceterum τὸ κατασοφίζομαι verbum prope inusitatum est, ac raro alibi quam apud Seniores hîc occurrens & apud Stephanum Act. VI. 19. & Judith V. 11. & X. eodem modo cum quarto casu constructum, quia haec ipsa historia Mosaica ibi narratur. Usus tamen verbi hujus apud profanos ex Herodiano comprobatur, qui lib. VII. simplex σοφίζομαι item cum accusandi casu & eadem notione, qua LXX usurpavit: ἕως τε δὴ ὑποβάλλοντός τινος, αὐτοὶ τὸν δῆμον ἐσοφίσαντο. *Donec nescio quo submonente, ad hunc modum populo imposuerunt*. Hinc insolentia locutionis hujus Suidam aliosq. grammaticos admonuit, uti verbum istud prae raritate adnotandum putarent, ejusque syntaxim Lexicis suis inserrent; sicuti etiam & Hesychium & glossographos aliquot, quos qui volet, in ima (2) ora notatos reperiet.

(2) *De* κατασοφίζομαι *loci hujus scholia Suidae aliorumque glossographorum*:
Apud Suidam legitur, Κατασοφισθῆναι· χλευασθῆναι. Vult igitur prius illud tantumdem esse, quod *Ludibrio habita*. Ac deinde addit: Κατασοφισώμεθα· αἰτιατικὴ· νικήσωμεθα, μαλαπῇ

Ergo veritati Hebraicae [in qua illud *nithchacchema lo* eſt *nobiſmet in illum* populum *ſapiamus*] in id cum omnibus verſionibus convenit, quod Aegyptii ſub obtentu *ſapientiae* clementiaeque per quam ſanguini parcerent, interim per immoderatos labores Iſraëlitis, ne novis rebus ſtuderent, nervos ſuccideren. Atq. ea Aegyptia ſapientia etiam in eorum poſteros transfuſa fuit, ſi vera canit Homerus: qui ſane Aegyptiorum ingenium non tantum ex tot ſtupendis molitionibus operum, quae ſine ſervitiorum ſudoribus tentari nequiſſent, ſed & ex longe lateq. vulgatis narrationibus Moſaicis didiciſſe videtur. Vtut eſt certe Moſaicis hiſce vexationibus paria accidiſſe ſociis Vlyſſis, in Aegypto ſignificat Od. XIV. 772.

Τὺς δ' ἄγαγον ζωὺς σφίσιν ἐργάζεσθαι ἀνάγκῃ.
Vi vivos ad opus, duroſque urſere labores.

Ibid. *Expugnatiſque nobis, egrediatur de terra.*] In Hebr. ſignificantius, ועלה *Vealah*, *& aſcendat de terra*. Aegyptus multo humilior erat circumpoſitis regionibus, praeſertim Judaeâ: idcirco in Scripturis egredi de Aegypto *Aſcendere* dicitur, & ejus contrarium *deſcendere in Aegyptum*. Eadem locutio in linguam Helleniſticam manavit, unde in N. T. *Aſcendere Jeroſolymam*, *deſcendere Caeſaream*, & talia ſexcenta.

AD EX. I. 11.

Praepoſuitque eis magiſtros operum, ut affligerent eos oneribus, aedificaveruntque urbes &c.] Ezechiel poëta Judaeus (de cujus Ἐξαγωγῇ dixi modo in Proloquio) non tantum aliorum operum meminit, ſed & peculiariter *turrium*: quarum nomine pyramidas, opinor, intelligit:

Δόλῳ καθ' ἡμῶν πολὺν ἐμηχανήσατο
Βασιλεὺς Φαραὼ, τὺς μὲν ἐν πλινθεύμασιν,
Οἰκοδομίαις τε βαρέσιν ἀσιχίζων βροτὺς,
Πολέσι (3) τε πύργοις, σφῶν ἕκατι δυσμόρων.
Tum rex Pharao fraude nos mala impetit,
Nos defatigans operibus lateritiis,
Aedificiiſque plurimiſque turribus,
Quas exſtruebant nos premendi gratia.

AD EX. I. 16.

Quando obſtetricabitis Hebraeas.] אבנים *Obnaiim* cum ſit formae dualis, omnino duplex aliquod & plicatile inſinuat, ita ut ſella parturientium plicatilis fuerit oporteat. Idem mihi inſinuare videtur vox משבר *maſchber*, quomodo alias in Scripturis

μαχαίῃ τινι κακόσομεν. Hoc eſt: *Accuſativo jungitur*; *idemque* (in loco ſcil. a ſe ſpectato) *eſt quod* τιχανίμεθα, *aut* μαχαίῃ τινι κακόσομεν. Ad locum autem τῶν ὀ ſpectaſſe Suidam, non dubito; ſicuti & Favorinum, qui ſic poſuit: καταστροφιούμεθα αὐτὺς, & quae ſequuntur iisdem verbis. Niſi quod apud Suidam & Favorinum reponendum eſt illo Seniorum loco non ο ſed ω. Καταστροφιόμεθα. Niſi magis placeat, in Suidae Codice Seniorum lectum fuiſſe olim cum ο non cum ω. Καταστροφιόμεθα ſcil. ut reſpondeat futuro Hebraico נתוכמה *nithchacchemah*.

Adhaec Heſychius: Καταστροφιθῖσα, χλιαρθῖσα, τιχαιθῖσα. Et Gloſſae veteres: Καταστροφίζομαι, *Calvo is*. *Calvo* & *Calvor* verbum vetus eſt, quod alibi in iisdem Gloſſis ἐξπατῶ exponitur.

Pluribus, quam opus erat, de καταστροφίζομαι dixi, propterea quia uſurpatur in hac eadem narratione Judith V. 11. & X. & Act. VII. 19.

(3) In Stephani Theſ. a πολὺς, *Multus* exſtabat gen. πολέος, & pluralia πολέες, & πολέων, & πολέας, omnia regulariter a Πολὺς. At dativus inde πολέσι non afferebatur: quem hîc Ezechiel lexicis dono dat.

Scripturis ſella parturientium a *terendo* vocatur; nam quidquid δίπτυχον & plicatile eſt, mutuo alliſu ſe atterit. Eadem vox *Obnaiim* occurrit Jerem. XVIII. 3. *Et ecce ipſe faciebat opus ſuper* אבנים *obnaiim*. Vbi rotam figuli plerique intelligunt: at rectius figuli ſellam plicatilem interpretare ſic: *Et ipſe faciebat opus* [ſedens] *ſuper obnaiim*. Figulus haud aliter, quam divaricatis cruribus, opus facere poteſt, ne crura rotae circumactionem impediant. Commode autem id fiebat, ſedente figulo ſuper ſellam plicatilem, ſed contrario modo poſitam, ita ut partes plicatiles non latera ſedentis reſpicerent, ſed anticam ac poſticam ejusdem partem, crura vero hinc atque inde divergerent: ex quo poſitu nullum rotae circumvolutioni impedimentum fiebat, aut ipſi figulo, quominus proxime rotam ſederet. Idem omnino parturientium ſitus eſt animo concipiendus.

A quo themate *obnaiim* veniat, utrum ab *eben lapis*, an vero a *banah aedificavit*, nihil penſi duco. Fortaſſe אבן *eben* (quod a *bana*, *aedificavit*, haud pauci deducunt) non tantum lapidem, ſed quamcunque ad conſtruendum materiam, etiam lignum ſignificarit (unde fortaſſe τῷ ἐβένῳ *ebeno* praeſtantiſſimi ligni generi nomen factum; quamquam probabilius Ebenum ab הבן alii deducunt) atque inde אבנים *obnaiim* δίπτυχον ſellam non neceſſe erit lapideam adſtruere, ſed e ligno & pellibus, aut loco pellis, e papyro aliove lento ac paluſtri vimine in Aegypto confectam.

AD EX. II. 3.

Sumpſit fiſcellam ſcirpeam, & linivit eam bitumine ac pice; poſuitque intus infantulum, & expoſuit eum.] Sic etiam in ciſta expoſitus fuit a Creuſa Jon apud Euripidem in Jone ver. 16.

. . . . . Ἀπήνεγκε βρέφος
- - - - - - - - - - -
Κρέουσα, κἀκτίθησιν ὡς θανούμενον
Κοίλης ἐν ἀντίπηγος εὐτρόχῳ κύκλῳ.
. . . . . *Infantem abſtulit*
- - - - - - - - - - -
Creuſa, morti & deditum ut certiſſimae
Aegra ſinuatae expoſuit orbe ciſtulae.

Et vero Ἀντίπηγα Suidas interpretatur τὸ κιβώτιον *arcellam*. Porro ſaepe alias ἐν χύτραις ἐξετίθεσαν τὰ παιδία, *in ollis exponebant infantes*, uti loquitur Ariſtophanis Scholiaſtes ad illud Ran. Act. V. ſc. I. de Oedipo:

. . . ὅτε δὴ πρῶτον μὲν αὐτὸν γενόμενον
Χειμῶνος ὄντος ἐξέθεσαν ἐν ὀστράκῳ.
. . . *Cum primum recens ipſum editum*
Expoſuerint in teſta, inſtante frigore.

Ab illis autem χύτραις factum, ut χυτρίζειν idem eſſet quod ἐκτίθεσθαι, i. e. *exponere*. Atque exponendorum quidem infantium mos a nonnullis legislatoribus permiſſus fuit, maxime apud Spartiatas: apud quos non omnes infantes ali poterant, ſed ii demum ſoli, qui formae roboriſque ſpecimen darent iis, quibus a rep. ea inſpectio demandata fuerat; cum interim ceteri in altam ſpecum ſubterraneam morituri projicerentur. Id vero erat ἀποτίθεσθαι, quia in certam mortem

mortem exponebantur ; nam ἐκτίθεσθαι molliore significatione de iis intelligebatur , qui propter parentum penuriam expositi , plerumque deinde ditiorum pietate tollebantur alendi .

In Hebraeo pro *fiscella* est תבה *thebah :* de quo toto genere diximus ad Gen. VI. 14. ubi de Arca Noëtica . Narrat lib. XIII. pag. 615. Strabo ex Euripide , *Augen cum filio Telepho in cistam* (εἰς λάρακα) *inclusos , atque in mari demergendos expositos ab Alea patre Auges , cum is vitiatam ab Hercule filiam deprehendisset : sed providentia Minervae factum , ut cista , mari transmisso in ostium Caici exciperetur : corporibusque exemptis Teuthrantem* (ibi tunc regnantem) *in uxorem accepisse Augen , & Telephum pro filio adoptasse . Sed haec* , ait Geographus , *fabula :* ac facile ut puto , ad hanc Mosis expositi effigiem deformata .

Sed nescio quomodo Perseum , & Thoantem praetermiseram . Nam Perseus cum Danaë in arca servatus fuit , uti Strabo (lib. X. pag. 487. ubi de Seripho) refert : *Fabulae perhibent Dictyn extraxisse* [λάρακα τοις δικτύοις] *arcam retibus , cui inclusus erat Perseus cum sua matre Danaë ; cum eos Acrisius in altum mare abiecisset* . Apollonius Thoantem [an Phoantem ?] Lemni regem *in arca* delatum fuisse in insulam Sicinum tradit . Ita heroicis temporibus non dubitabant certo periculo proles exponere , modo sanguini parceretur .

AD EX. II. 10.

Vocavitque nomen ejus Moyses , dicens : Quia de aqua tuli eum .] Lis est non levis de Mosis etymo , dum LXX interpretes , Philo , Josephus , & Clem. Alex. Aegyptiacam originationem assignant ex *Mo* , *aqua* , & *Yses* , *eductus* aut *servatus* : ac Patres Graeci omnes , unaque Hieronymus in sua versione parem trisyllabam scriptionem sequuntur . At contra *Mosis* etymon si a Mose ipso quaerimus [h. e. ab Hebraica sententia loci hujus & ex perpetua Hebraica *Mosis* scriptione] simplex erit nomen ex Hebr. verbo משה *Mashah* [*Extraxit*] derivatum , quasi *eductum* dicas. Sic enim Hebraica hîc habent: *Et vocavit nomen ejus* [משה] *Mosheh , & dixit , quia de aquis* [משתיו *mesbithibu*] *traxi eum* . In hoc dissidio Mosi ne de se narranti , an illis credemus ? Vtrisque , opinor . Nam Mosi Aegyptium ab Aegyptia femina nomen aliquod inditum fuit , quod illâ linguâ significabat *Eductum ex aquis :* id quod in *Moyses* per omnia verum , quia *Mo* aquam , *Yses* eductum notat ; idque Moses ipse confirmat , ubi sic originationem sui nominis Aegyptii tradit, *Quia de aqua tuli eum* . At id nomen Moses in suis commentariis non Aegyptiace , sed Hebraice conceptum posuit ; ut in aliis quoq. feciisse Mosem , suspicio est , & ut in *Petro* factum videmus , quod est Graecum nomen ex Syriaco *Cepha* redditum ; ut & in aliis multis . Ergo Hebraicum nomen Aegyptio respondens *Mosheh* fuit ; atque hujus demum etymon tradit Legislator , cum a משה *Mashah* deducit ; sed sic tamen stylum attemperat , ut aquae mentione (etsi extrinsecus) facta , possit originatio etiam in Aegyptium nomen convenire . Quod quidem Aegyptium nomen nobis latuisset, nisi LXX viralis versio ab Alexandrinis orta , aut certe Alexandriae in Aegypto elaborata illud nobis prodidisset . Nam interpretes illi cum ex antiquis Aegyptiorum monumentis verum Aegyptiacum nomen fuisse *Moysen* (inserto Y) didicissent ; cumque hoc viderent [utpote uno tantum elemento auctius] parum ab illo Hebraico recedere ; pensi habuerunt Aegyptiacum , quod erat Alexandriae pervulgatum , in sua interpretatione usurpare ; idque secuti sunt Josephus , Philo , Clemens Stromateon

Stromateon ſcriptor, & quis non ex turba Graecorum, dum Legislatoris nomen ex *Mo* & *Yſes* compoſitum affirmant. Quod ſane etymon antiquum fuiſſe, Joſephi cum Philone & Graecis Patribus, opinor omnibus, Seniorum ſcripturam ſecutis, conſenſus docet, & id nomen integrum Aegyptiacum ortu oſtendit. Atque huc pertinet & Orphicorum Scriptoris vetuſtiſſimi verſus ille:

Ὡς λόγος ἀρχαίων, ὡς Ὑδογένης διέταξε.
Fert antiquorum ut ſermo, Hydogeneſque monebat.

Qui per *Hydogenis* vocabulum putatur Moyſis Aegyptium nomen & etymon expreſſiſſe. Ergo, ut initio monebam, utrumque etymon verum eſt, in ſua quodque lingua ſcilicet. Nec eſt, cur de eo amplius pugna inter criticos conſeratur.

Et tamen auctor Ἐξαγωγῆς nomine Ezechiel (de quo initio hujus Commentarii pauca delibavi) ſupraſcriptum Legislatoris locum ita expreſſit, ut ſcripturam textûs mere Hebraici ſequeretur, Senioribus relictis. En ejus ſenarii de hac ipſa ὀνομασίᾳ Moſis loquentes, de qua hîc agimus.

Ὄνομα δὲ Μωσῆν ὠνόμαζε, τῷ χάριν
Ὑγρᾶς ἀπῖλιν ποταμίας ἀπ' ἠόνος.
Nomine me Moſem nominavit, quippe cum
Me traxerit ab humente ripa fluminis.

Vbi vides, hunc poëtam Seniorum deſeruiſſe ſcripturam, ut Hebraicam ſequeretur, & ex triſyllabo Legislatoris nomen feciſſe diſyllabum. Si quaeras quid ita fecerit, non aliud poſſum reponere, quam quod Μωσῆν cum ſit Moloſſus, haud facile ſenarii caperent, hîc certe verſus non admitteret. Quocirca Hebraica ſcriptio ſenariis commodior apud poëtam fuit. Eſt tamen infra poëtae locus alius, ubi triſyllabum *Moyſes* verſiculo commodiorem reperit.

AD EX. II. 14.

Conſpexit duos Hebraeos rixantes.] Quae ſic expreſſit Ezechiel tragoedus in ἐξαγωγῇ.

Τῇ π' ἄυριον δὲ πάλιν ἰδὼν ἄνδρας δύο
Μάλιστα δ' αὐτῶν συγγενεῖς κακωμένους,
Λέγω, τί τύπτεις ἀσθενέστερον σέθεν.
Poſtridie autem conſpicatus forte par
Tribulium ſeſe invicem laedentium,
Heus tu, quid, inquam, infirmiorem verberas?

Ex fine primi verſus interpunctionem, ſententiae importunam, ſuſtuli. Quae apud poëtam hîc ſequi oportuit ad finiendam narrationem, in ſchedis deerant: nec adire Collectionem illam poëtarum, cui Ezechiel inſeritur, praelo feſtinante, licuit.

AD EX. II. 14.

Quis te conſtituit principem & judicem ſuper nos? Num occidere me tu vis, ſicut heri percuſſiſti Aegyptium?] Hinc apparet quid anarchia poſt Joſephi mortem in populo Hebraeo pepererit. Nec brevem eam ἀναρχίαν fuiſſe, Boivinius oſtendit, ex quo pauca Calmetus excerpſit ad Ex. I. 8. Vtut eſt quo tempore Moſes haec ſpecimina in populo ſuo monſtravit, quibus dignum ſe praefectura praeberet, nemo Iſraëlitarum judex oſtenditur uſque ad id tempus, quo cap. ſeq. hic idem Moſes a Domino judex & liberator Iſraëlitici populi ordinaretur. At interim in fervido Moſis ingenio jam tum ingentis zeli caritatiſque in fratres

tres ſcintillae micabant.

Illud eſt etiam hîc notandum, quod nec in Joſue, nec in Judicum libro τῶν שופטים *Sophetim*, *Judicum*, tamquam rei tum primum in populo Iſraël inſtitutae, mentio exſiſtat: quod argumento eſt antiquitatis ejus ducatus in Dei populo quantae maximae, ab Joſephi uſque tempore inceptae. At contra Regia poteſtas quia nova in populo Dei fuit; ejus novitas in primo Samuelis tam multis praedicatur.

AD EX. III. 2.

Et videbat, quod rubus arderet, & non combureretur.] Hebr. אכל *uccbal*, *conſumebatur*. Itaque vel *Conſumeretur* ſcripſit vulgatus interpres, vel *comburo* tantumdem valet, quod καταϰαίω, quod eleganter hîc LXX uſurparunt. Καὶ ὁρᾷ ὅτι ἡ βάτος ϰαίεται πυρὶ, ἡ δὲ βάτος οὐ ϰατεϰαίετο. Forſan Latine dixeris: *Adurebatur ſed non comburebatur*. Quale hoc fuerit rubum ϰαίεσθαι μὲν, οὐ ϰαταϰαίεσθαι δὲ, exponit Ezechiel tragoedus in ἐξαγωγῇ, apud quem Moſes ait:

Ἄφνω βάτος μὲν ϰαίεται πολλῷ πυρὶ,
Αὐτῇ δὲ χλωρὸν πᾶν μένει τὸ βλαστάνον.
Rubus quidem repente multo aduritur
Igni, vireſcit dum omne germen interim.

AD EX. III. 8.

In terram quae fluit lacte & melle.] Ὑπερβολιϰῶς dictum. Hinc manaſſe videtur illa de Indis fabula, quae eſt apud Dionem Pruſaeum Or. XXXV. qua Celaenas Phrygiae oppidum ſic laudat, ut ei Indorum praeferat felicitatem, quos fabulatur ubi ſe in fontes mellis, olei, lactis, & vini ingurgitarint, ad quadringentos annos vivere; niſi forte eam narrationem de ſuo excogitavit Orator.

AD EX. III. 14.

Sum qui ſum . . . . qui eſt miſit me ad vos.] Membrum poſterius verti poſſet ex Hebraeo: *SVM miſit me ad vos*. Alex. Aphrodiſienſis in IX. Metaphyſ. pag. 320. *Proprie Ens eſt ſimplex, ac ut ita loquar, ſubſtantialis ſubſtantia, & quae immobilis movet, hoc eſt Deus opt. max. non gignitur, neque interit. Entis* ita accepti nomine Deus intelligitur.

AD EX. III. 22.

Poſtulabit mulier a vicina ſua . . . . vaſa argentea & aurea ac veſtes &c.] Iſraëlitis in Aegyptum deſcendentibus data fuerat terra Geſſen, cui ſecreti ab Aegyptiis inſiderent. Vide Gen. XXXXVII. 1. 4. 6. Iccirco Gen. XLVI. 34. Joſeph fratres ſuos hoc reſponſo inſtruit, ut ſe paſtores ἀνέϰαθεν eſſe dicant, uti ſcil. (quia ars illa Aegyptiis exoſa) poſſent ſejuncti ab Aegyptiis terram Geſſen incolere. Poſtquam autem gliſcens in dies Iſraëlitarum multitudo ſuſpecta Pharaonibus eſſe coepit; callido conſilio proviſum ab rege fuit, ut ne ſoli habitarent, nim. ne quid ſoli ſorte turbarent. Itaq. promiſcue cum Aegyptiis Hebraeos mixtas habere ſedes voluerunt. Id certe ex hoc loco apparet: unde conſtat, non ſolum Hebraeis mulieribus paſſim vicinas fuiſſe Aegyptias, verum etiam easdem domos una cum Aegyptiis Hebraeas incoluiſſe. Accedit quod tempore oppreſſionis Aegyptiacae Hebraei ad opus faciendum damnati, paſtoritiam artem neceſſario deſeruerant, quod genus artis probro Aegyptiis erat, fueratque cauſa, ut iis principio

principio seorsum, & apud se suis moribus vivere permissum fuerit. Itaque quamdiu pastores, tamdiu segreges habitarunt: quo munere omisso, simul ad coitionis amoliendam suspicionem adacti sunt cum Aegyptiis permisceri. Adhaec eadem ista tecti communio opportuna Dei consilio fuit, volentis Aegyptiorum pretiosa quaeque asportari ab Hebraeis.

AD EX. IV. 1.

Moyses ait: Non credent mihi . . . . sed dicent; Non apparuit tibi Dominus.] Experientia doctus hac exceptione utitur Moses. Jam tum enim cum alter e. rixantibus dixerat Ex. II. 14. *Quis te constituit judicem super nos?* satis animadvertit, missionem suam, quam vulgo notam (ex peculiari credo Dei circa se providentia aliisq. ostentis) putarat, non satis tamen fratribus innotuisse: vide Act. VII. 25. Idcirco Deus ejus generis signa nunc adhibet, non tam quae ad regem percellendum, quam quae ad fratribus potissimum fidem faciendam sint valitura. Nam illud certe de manu simul leprosa, simul sana, nihil ad Pharaonem attinebat.

AD EX. IV. 10.

Non sum eloquens ab heri & nudius tertius.] Pro *eloquens* est in Hebr. איש דברים *isch debarim*, quod αὐτολεξεὶ Aquila reddidit ἀνὴρ ῥημάτων *Homo verborum*. Vulgatus interpres secutus videtur LXX, qui in translatione sua posuerunt, non quidem ἱκανὸς (quod editio Romana praefert) sed εὔλογος, ut & libri veteres, & habet Philo in lib. ὅτι τὸ χεῖρον τῷ κρείττονι ἐπιτίθεται. Postremo Ezechiel tragoedus, qui raro admodum a Seniorum dictione in gravioribus rebus discedit, eidem lectioni adhaeret. Apud hunc ergo Moses in hunc modum causatur:

Οὐκ ΕΥΛΟΓΟΣ πέφυκα· γλῶσσα δ' ἔστι μοι
Δύσφραστος, ἰσχνόφωνος, ὥστε μὴ λόγως
Ἐμοὺς γενέσθαι βασιλέως ἀναρτίους.
Non eloquens sum comparatus: lingua sed
Mihi impedita & gracilis; ut non sit decens
Legatione Rege coram fungier.

Cui tragoedo cum, pluribus in locis ab eo adjutus, me debere profitear, ingratus sim, nisi versu ultimo indigne a librario tractatum ab ulcere occulto sanem. Quis enim illud Ἐμοὺς tertii senarii non otii accusat? Deinde cum in hoc inciso illud ἐμοὺς otietur, tamen aperte nescio quid aliud desideratur ad fulciendam sententiam. At locum facillime curabis, si illud ἐμοὺς consonis duabus augeas, mutesque in σεμνοὺς, *graves*, ita ut σεμνότης τῇ ἰσχνοφωνίᾳ (*linguae exilitati & haesitantiae*) opponatur. Ergo pro ἐμοὺς restitue σεμνοὺς, ac verte:

Non eloquens sum comparatus; lingua sed
Mihi impedita & gracilis: ita ut oratio
GRAVITATE VOCIS careat ante Principem.

AD EX. IV. 13.

Obsecro Domine mitte quem missurus es.] Locus non satis intellectus. Plerique sic interpretantur (quemadmodum LXX non obscure praeseferunt) quasi Moses renuens atque reluctans, ut alius potius mittatur, contendat. Non placet; quia ante annos XL. jam hoc fuerit Mosi persuasum, sese ad hoc munus

deſtinatum ut patet ex Act. VII. 25. Vide locum notatu dignum. At quae hîc leguntur, ad verbum ita ſonant in Hebraeo: *Mittendo, quaeſo, in manu mittes*: Quaſi dicat, *Obſecro ne mittas me in potentia linguae*, quam modo dixi me habere impeditiorem, *ſed in potentia manus*, cujus jam ſpecimina edidiſti. Hunc ſenſum ſatis praecedentia ac ſequentia inſinuant. Moſes enim jam ſuperioribus monſtris de potentia ſuae manus confirmatus, linguam tamen impeditiorem cauſabatur. Cui Deus, ſeſe ei verba ſuggeſturum promittens, nullo tamen eloquentiae ſpecimine puſilli animi nubeculam ex Moſis animo abſterſerat: qui idcirco ſubjunxit, obſecro ut in hac miſſione manu quidem mea utaris, non item lingua, ſed lingua alterius. Idcirco ſuccenſens illi Dominus, & tamen morem gerens, ſubjunxit: Age, vel hoc tibi aſſentiar: Ecce tibi Aaron, cujus dicendi vim atque copiam ſatis a te perſpectam puto, tibi obviam procedet. Vtere ergo illius vocis miniſterio: *ipſe loquetur pro te ad populum, & erit os tuum, tu autem* (ut eſt Hebraice) *eris ei in Deum*, i. e. prodigia facies, ita ut ex Moſe & Aarone fiat demum legatus unus vere *potens in opere & ſermone*.

Jam vero ſenſus a Calmeto traditus non placet. *Nym*, inquit, *cum tanta poteſtate me mittas?* Atqui ſi hoc Moſes voluiſſet; dixiſſet *bejad chazakah*, ut Ex. III. 19. Ex. VI. 1. & alibi. Ad haec deeſt τὰ ה interrogativum. Poſtremo jam de prodigiis perſuaſum Moſi fuerat, poſtquam aliquot juſſu Dei ſpecimina ediderat. Non alia ergo, uti dixi, Moſis ſententia fuit, quam haec: *Me quidem Domine in manu mittes* (ſi placet) *alterum vero in lingua: meae quidem manus, vocis vero alterius, miniſterio utere*. Vel hoc modo: *manum quidem operum tuorum adminiſtram jam polliceor, linguam non item*. Hi ſunt Moſaici Aaronicique miniſterii fines, qui iterum inculcantur, Ex. VI. 30. & VII. 1. 2. Vbi Aaron dicitur *propheta* i. e. interpres Moſis. Vide infra ver. 28. At cap. V. 1. & alibi, ubi Moſes & Aaron locuti dicuntur, eodem modo intelligendum, ut cum dicuntur in Paſſione Domini latrones improperaſſe Chriſto.

Nihil autem refert quod Ex. VII. & in ſequentibus Aaron per virgam operari prodigia dicatur, nam haec omnia juſſu Moſis Aaron faciebat, quare manuum potentia in Moſe potiſſimum elucebat.

AD EX. IV. 20.

Portans virgam Dei in manu ſua.] h. e. efficacem & θαυματοῦργον virgam. Hanc enim vim in Scripturis additum *Dei* nomen habet. Hunc hebraiſmum Ezechiel tragoedus ſuis ſenariis intexuit ver. 225.

Καὶπειδ' ὁ κείνων ἀγέμων Μωσῆς, λαβὼν
Ῥάβδον Θεοῦ, τῇ δὴ πρὶν Αἰγύπτῳ κακὰ
Σημεῖα, καὶ τέρατ' ἐξεμηχανήσατο,
Ἔτυψ' Ἐρυθρᾶς τῶτα, καὶ ἔσχισεν μέσον
Βάθος θαλάσσης. Verte ſi lubet.

Deinde eorum dux prehensâ Moyſes
Virgâ Dei, qua Aegyptiis incommoda
Tot monſtra, patravitque tot mîracula,
Hac terga rubri verberavit aequoris,
Mediumque ſciſſum compulit diſcedere.

AD EX. IV. 21.

Ego induràbo cor ejus &c.] Tam hoc (quod & infra ſaepius occurrit) quam

quam illud Iſ. VI. 10. *Excaeca cor populi hujus, & aures ejus aggrava*, & multa de genere hoc, quam molliter ſint accipienda, Theologi abunde docent. Ceterum quam Deo poteſtatem Scriptura tribuit, parem diis aut fatorum vi ethnici tribuere. In eam ſententiam Lycurgus contra Leocrat. affert ſequentes ſenarios:

Ὅταν γὰρ ὀργὴ δαιμόνων βλάπτῃ τινὰ,
Τοῦτ' αὐτὸ πρῶτον ἐξαφαιρεῖται φρενῶν
Τὸν νοῦν τὸν ἐσθλὸν, εἰς δὲ τὴν χείρω τρέπει
Γνώμην, ἵν' εἰδῇ μηδὲν ὧν ἁμαρτάνει.

Verte ſi ſic placet:

Quem mens deorum averſa cunque laeſerit
Primum omnium rectâ exuit praecordia
Vi conſilii, hancque vertit in ſententiam
Sequiorem, ut excors neſciat ubi corruat.

Velleius lib. 2. *Sed profecto ineluctabilis fatorum vis cujuſcumque fortunam mutare conſtituit, conſilia corrumpit.* Non multo poſt de Quintilio Varo: *Sed praevalebant jam fata conſiliis, omnemque animi ejus aciem praeſtrinxerant. Quippe ita ſe res habet, ut plerunque fortunam mutaturus Deus, conſilia corrumpat.* Ammianus lib. XIV. cap. 11. *Vtque ſolent, manum injectantibus fatis, hebetari ſenſus hominis & obtundi* &c. Verum haec Theologis intacta relinquimus.

AD EX. IV. 28.

Narravitque Moyſes Aaron omnia verba Domini quibus miſerat eum, & ſigna quae mandaverat.] Textus Hebraicus ad verbum ſic habet: *Et locutus eſt Aaroni omnia verba quae dixit Dominus Moſi, & fecit ſigna in oculis populi.* Frequens in Scripturis tranſitio ex una perſona ad aliam, ita ut vix animadvertere poſſis, niſi vel ex genere verborum (nam apud Hebraeos verborum voces, aeque ac nominum, generibus variantur) vel ex ipſo ſenſu dignoſcas. Hîc autem ex iis quae ſupra ad ver. 13. diximus, apparet priorem commatis partem ad Aaronem ſpectare, poſteriorem ad Moſem eſſe referendam. Vel ſi illud *Fecit ſigna* ad Aaronem pertinere mavis, dicendum erit, Aaronem prodigia Moſis juſſu & mandato feciſſe, uti patet Ex. VII. & in ſequentibus, ita ut divina potentia in Moſe potiſſimum eluceſceret, cui tamen interdum Aarone vicario uti per Deum licebat.

AD EX. V. 2.

At ille (Pharao) *reſpondit: quis eſt Dominus* (in Hebr. יהוה *Jehova* ſeu potius *Javoh*) *ut audiam vocem ejus? . . . Neſcio Dominum* (Hebr. *Javoh*).] Niſi fallor, nunc primum nomen Dei tetragrammaton *Javoh* Pharaoni auditum. Hîc certe interroganti Pharaoni: *Quis iſte Javoh . . . non novi Javoh* &c. Moſes & Aaron περιφραζόντες reſponderunt: *Deus* (heic Hebraicum Dei nomen appellativum *Elohim* occurrit) *Hebraeorum* &c. Nec mirum non adhuc hoc nomen quadrilitterum *Javoh* Pharaoni innotuiſſe, nam ne Hebraeis quidem antea cognitum, quam Moſi revelaretur a Deo Ex. III. 14. 15. tum cum ab eo mitteretur ad filios Iſraël. Atque huc ſpectat illud Ex. VI. 3. *Et nomen meum Javoh non indicavi eis* i. e. prioribus Hebraeis. Nam ſi quando *Javoh* antea nominatus, id per prolepſim factum, uti cum Auguſtus iniviſſe triumviratum dicitur.

Ex quibus colligi poteſt, haud diu ante hoc tempus idololatriam clare ac perſpicue erupiſſe; cum antea veterum traditionum oblivio ſenſim neſcio quas incredulitatis ſcintillas edere coepiſſet: quae poſtea in apertam a vero defectionem deſiverunt. Nec enim Calmeto ad Gen. XLIII. 16. aſſentior exiſtimanti, Joſepho in Aegyptum deſcendente, jam Aegyptum idola coluiſſe: id quod ex ſomniorum conjectoribus, quos tunc rex conſulebat, nec non ex Hebraeorum ab Aegyptiis ſecretione colligit. Atque hic quidem ſcrupulus tomo I. evulſus fuit pag. 149. & 218. Ac nihil profecto ex conjectionibus his evincitur; nam ſicut ex falſis populorum prophetis non recte concluderetur, eas nationes a vera religione deſciviſſe; ſic ex vanis ſomniorum conjectoribus non continuo fit, Aegyptios ab unius Dei cultu defeciſſe, ſed tantum minus puram apud illos religionem exſtitiſſe. Ex Hebraeorum autem ab Aegyptiis alienatione tantum colligitur, Aegyptios minus pure Deo ſerviiſſe (ſicuti non utebantur Judaei Samaritanis utpote impure Deo ſervientibus) non vero Aegyptios illo tempore idola coluiſſe. Nam id ſi feciſſent Aegyptii, ſatis habuiſſent Hebraei reſpondere, longe aliam religionem ab ſe coli, quae vetaret cum idololatris miſcere commercia. Nunc vero nihil horum, ſed ſuam vitam paſtoritiam praetexunt impedientem, ne cum Aegyptiis etſi unum Deum colentibus permiſceantur. Certe Gen. XLI. declarante Joſepho ſomnia Pharaoni, nonniſi unius Dei fit mentio, nec uſquam Deus Hebraeorum Deus Abrahami, Iſaaci &c. a Deo Aegyptiorum ſecernitur; eodemque modo tam Joſeph quam Pharao, de Deo, tanquam utrique populo communi, verba faciunt. Vide Gen. LXI. 16. 25. 32. 38. 39. Vide etiam Gen. XXXIX. 2. 3. 5. & Gen. XL. 8.

Ergo cum antehac unus idemque Deus apud utrumque populum coleretur, nihil neceſſe fuerat, Deum Hebraeorum peculiare aliquod ſibi nomen aſſumere, quo ab Aegyptiorum Deo ſecerneretur. Poſtquam autem apud Aegyptios primo impurior Dei veri cultus, poſtremo in apertam idololatriam prorupit, diſcriminculo, quo verus a falſo deo diſtingueretur, opus fuit. Id autem in Moſis miſſione primum factitatum. Nam profecto cum Moſes ab extera regione ad ſuos fratres proficiſceretur, Deique miſſionem praetexeret; dubitare Iſraëlitae poterant, a quonam Deo Moſis illa miſſio manaſſet, quando jam ceterae nationes ad idola colenda deflexiſſent: idcirco caute Moſes veri Dei nomen reſcire ab ipſo Deo cupit, quod tum apud fratres ſuos, tum etiam apud Pharaonem uſurparet.

Satis autem veriſimile mihi fit, nonniſi ſub eo Pharaone (de quo Ex. I. 8. dicitur ſurrexiſſe *rex novus qui ignorabat Joſeph*, quique Iſraëlitas affligere coepit) impuriorem in dies Aegyptiorum religionem, poſtremo in apertam idololatriam prorupiſſe. Quamquam vix aut ne vix quidem poſſunt iſtae in religione novitates uno impulſu, unoque impetu evenire; quia invaleſcunt illae ſenſim & pedetentim. Nam ita ſolet in iis fieri, quae more atque uſu invehuntur. Itaque ex contaminata primum religione mox idololatria coaluiſſe jam inopinato ſentiebatur, ante quam ejus principia ſentirentur.

Haec quae dixi de idololatriae ortu, de Aegypto intelligo. Nam in Chaldaea certum eſt ante Abrahamum coepiſſe idololatriam ex Joſ. XXIV. 2. 14.

AD EX. V. 6.

Praecepit ergo in die illo praefectis operum, & exactoribus populi dicens . . .]

Luxata

Luxata esse haec verba in vulgata versione suspicor, atque olim scriptum fuisse ὑστῶν πρώτων : *exactoribus operum, & praefectis populi* : & quidem primum quia נגשים *nogesim* haud dubie sunt *exactores* (4) & ita exponuntur a vulgato interprete ver. 14. ubi *schoterim* vertit interpres eos qui praerant operibus, *nogesim* vero exactores. Et v. 19. *schotere* non exponuntur *exactores*, sed *praepositi filiorum Israël*. Bene sane. Et sic quoque Graeci interpretes : *nogeschim* enim Aquila εἰσπράκτας, & LXX ἐργοδιώκτας reddunt. Ἐργοδιῶκται vero sunt qui Latinis proprio vocabulo *exactores operum* publicorum (5) dicuntur.

Notandum vero *nogesim* i. e. exactores operum a *schoterim*, quos *subadjuvas* interpretor, ita perpetuo distingui in hoc capite, ut priores regii ministri fuerint, & quidem Aegyptii a rege ad hoc munus electi : *schoterim* vero, seu subadjuvae ab ipsis *nogeschim* ex Hebraeorum numero deligebantur, quibus subserviebant. Itaque aut errat, aut non satis suam sententiam explicuit Calmetus in hunc locum, qui ver. 6. de regiis ministris agi putat, at ver. 14. de ministris Hebraeis. Imo utroque loco *nogesim* Aegyptii ab Hebraeis *schoterim* secernuntur, praesertim ver. 14. ubi quae sit utrisque subjecta notio, perspicue a Mose traditur, unde lux versibus 6. & 10. Confer etiam ver. 13. & 19. & Ex. III. 7. Hodieque apud nos inter eos, qui ad opus faciendum damnantur, alii sunt exactores operum, qui non sunt servi poenae, alii *subadjuvae* ex ipsorum damnatorum numero.

AD EX. V. 7.

Neque ultra dabat paleas populo.] Vitruvius lib. II. initio tertii capitis meminit palearum, quae in lateribus ducendis inferciuntur. Tam Moses autem hîc, quam ibi Vitruvius de crudis lateribus sunt intelligendi, qui siccantur & arefiunt, non autem de coctis, quos plerumque paleis carnisse puto.

Crudorum laterum (quibus ardente sole tostis utebantur unice calidae regiones) curatissime meminit Strabo, ac meminere multi. Columnarum Siriadicarum, si vera est narratio, una marmorea erat contra aquarum diluviem duratura: altera lateritia, adversus ignis, non item aquarum vim, opposita; quia crudos lateres diuturnis aquis macerari necesse erat. Ex quo intelligitur, ab initio lateres non nisi crudos innotuisse.

AD EX. V. 21.

Foetere fecistis odorem nostrum coram Pharaone.] Pro *foetere fecistis* melius versio vetus apud Augustinum Locut. 22. *Exsecrabilem fecistis odorem nostrum palam Pharaone* &c. Sicuti & Hieronymus ad Isa. LXVI. ex altera versione : *Abominabilem fecistis odorem nostrum coram* &c. Verti etiam poterat : *Odiosum fecistis nomen nostrum* (aut tale aliud) *Pharaoni*, seu *invisos nos Pharaoni fecistis*. Nam τὸ הבאיש *bibisch* Gen. XXXIV. 30. est *conflare invidiam*. Et Chaldaice idem thema Dan. VI. 14. *displicere* ab Judaeis exponitur. Jam vero ריח *reahh* non tantum odorem, sed quidquid in sensus cadit significare potest : hîc certe Hebraice cum

(4) נגש *nagas* nunquam aliter, quam *exigendi* significatione, in Scripturis usurpatur, itaque modo est exigere tributum, modo creditum, modo *exigere opus*. Quo postremo significatu supra usurpatur Ex. III. 7. & alibi pluries & hîc certissime.

(5) De *Exactoribus operum publicorum* qui in saxis legunter, scripsi olim non inutilem tractationem, quam in forulis exstare scio. Sed ex ea inferri huc quidquam non erat necesse.

cum oculis conjungitur ; nam sequitur בעיני *bebbene* , in oculis Pharaonis . Et Dan. III. 27. ורית נור *Vereabh nur* , & *odor ignis* , quod ad tactum pertinet .

AD EX. VI. 12.

Respondit Moyses . . . . quomodo audiet Pharao , praesertim cum incircumcisus sim labiis .] Sic etiam ver. 30. *Ego incircumcisus labiis sum , quomodo audiet me Pharao ?* Litteram Hebraicam κατὰ πόδα secutus est in his Hieronymus : nam ערל שפתים *arel sephathaim* hoc ipsum valet, quod Hieron. posuit. Tamen LXX verterunt ἄλογος , non quidem pro *Ratione carens* (nec enim id loco convenit) sed pro *Facultatis dicendi expers* . At istud etiam Itala vetus mollivit , quae hîc reddidit [apud Hieron. in Ezech.] *Sum tardi sermonis* : ver. vero 30. interpretata fuit (in August. Locut.) *Gracili voce sum* . Ac recte sane Seniorum Ἄλογος mollius accipitur ; nam & R. David in lib. Rad. Hebraicum illud *Incircumcisus labiis* interpretatur *balbus* .

Ad sensum autem grammaticalem quod attinet, omnes vulgo ajunt , infantibus recens natis nescio quid sub lingua ab obstetricibus resecari , quod *Il filo della lingua* vulgo apud nos appellant . Id vero ni fiat , infantes illos balbutituros ajunt . Id vero a Mosaicis usque temporibus ad nos usque transmissum , non mirum , cum feminae sint veterum observationum tenacissimae . Ergo tum *Incircumcisus labiis* (ubi *labiorum* vox ad omnia loquelae organa pertinet) tum Seniorum ἄλογος pro *Balbus* Italae accipitur , tum & Italae veteris interpretamenta eodem redeunt : nam tantum facili expeditoque sermoni opponuntur , quae legatione fungentem ad Pharaonem dedecebant .

AD EX. VI. 13.

Locutus est Dominus ad Moysen & Aaron , & dedit (מצוה *mitsvah*) *mandatum ad filios Israël & Pharaonem regem Aegypti , ut educerent filios Israël de terra Aegypti* .] Hinc Mosaicae missionis (quam λειτουργίαν sive *ministerium* vocaverimus) exordium animadvertere licet; in quo & cuinam a mandatore Deo mandata dantur (Mosi & Aaroni scil.) & ad quem (is Pharao fuit) dantur , discrete distinguitur . Deinde & mandati summa exprimitur : *Vt* , inquit , *educerent filios Israël de terra Aegypti* . At saepe alibi non summatim , sed verba ipsa , quibus mandatarius uti (6) deberet , praescribitur .

Ergo , ut hinc & ex toto Pentateucho constat , Deus ipse leges dictabat (quas

(6) Hoc non solum in Divinae historiae libris pluries obfervatur , ubi mandatoris verba αὐτολεξεὶ a mandatario ad quos oportuit, repetuntur : sicuti & in antiquissimo profanorum scriptorum Homero pluries animadvertas versus eosdem , ne syllaba minus , in ore legati , quos mandator ante protulerat . Atque hoc illud erat quod vetus Latium *Dedicere mandata* vocabat . Nam quia Latinae vetustati *Dedicare* tantumdem quod aevo Augustini *Enecuviare* (apud Neapolitanos vulgo *Incegnare*) dicebatur , hinc ubi is , cui legatio commissa fuerat , ad eos pervenerat , quibus expromenda mandata , tum *dedicabat* h. e. ordiebatur mandata sive verba legationis . Atqui Nonius (in Gothofredi Grammaticis col. 643. num. 12.) cum praedixisset, *Dedicare* tantumdem esse quod *Dicere* , non recte id Caecilii Annal. lib. 1. loco isto firmavit : *Legati , quo missi sunt , veniunt , dedicant mandata* . Hîc enim *Dedicant* non est *Dicunt* (uti ibi Nonius interpretatur) verum est *Ordiuntur* . *Ordiuntur* , inquit , *mandata* , sive schedae aut membranae , qua mandata scripta ac signata continebantur , recitationem

(quas LXX modo προσταγμάτα, modo ἐντολὰς nuncuparunt) easque Mosi ceu interpreti sive legato sive, ut vulgo vocant, mandatario committebat: eoque ea dictata in his libris *Mandata* vocantur.

Atque hoc gentiles, simiam divinorum librorum se gerente diabolo, adamussim imitati. Itaque Minos ex antro Jovis leges protulisse narratur: leges, inquam, illas quae Hebraeis מצות *mitsvoth*, Hellenistis vero modo ἐντολαὶ, modo προστάγματα vocabantur. Talia sunt etiam scita illa, quae ante Minoëm etiam de Rhadamantho vulgo jactabant ex Strabone lib. X. pag. 476. At sua Lycurgus ex Delphico promebat oraculo teste Strabone: qui lib. X. ubi Cretica instituta cum Laconicis comparat, ex Ephoro ait: εἰ δ' ὁρμῆσαι (Λυκοῦργον) διαθεῖναι τὰς νόμους, φοιτῶντα ὡς τὸν Θεὸν τὸν ἐν Δελφοῖς, κεῖκεῖθεν κομίζοντα τὰ ΠΡΟΣΤΑΓΜΑΤΑ, καθάπερ οἱ περὶ Μίνω ἐκ τοῦ ἄντρου τοῦ Διὸς, παραπλήσια ἐκείνοις τὰ πλεῖστα. *Ad ordinandas leges se contuliſſe* (Lycurgum) *ad deum qui Delphis eſt, commeantem, indeque MANDATA apportantem; ſicuti & Minos ſimillima illis plurima attuliſſe ex antro Jovis dicebatur.* Attuli Strabonis verba voculae illius προστάγματα gratia, qua LXX *Miſvoth* Moſaicum vertunt. Ceteroqui de Minoë & Lycurgo res eſt tritiſſima. Eodem pertinent & arcana illa Numae cum Aegeria Nympha colloquia, nempe ad mandata legum, quemadmodum cauſabatur, ex ore deae accipienda.

AD EX. VII. 1.

Et Aaron frater tuus erit propheta tuus.] Vide quae dixi ſupra ad Ex. IV. 13. Si proprie loquendum fuiſſet, Aaron non προφήτης Moſis, ſed ὑποφήτης (h. e. qui oracula ab alio accepta promit) dici poterat. Quamquam & apud profanos confunduntur iſta vocabula, & non raro προφήτης pro ὑποφήτης uſurpatur; ut cum ſe Diogenes apud Lucianum (ἐν βίων πράσει) ſe ἀληθείας προφήτην profitetur h. e. veritatis antiſtitem ſive interpretem. At proprie ſi loquimur, inter προφήτην & ὑποφήτην hoc intereſt, quod inter Moſem, Aaronemque. Homerus Il. Π.

Ἀμφὶ δὲ Σελλοὶ
Σοὶ ναίουσ' ὑποφῆται, ἀνιπτόποδες χαμαιεῦναι.

Ibi Scholiaſtes ὑποφήτας exponit ὑποφάντας, quaſi dicas *ſubvates*, ſive oraculorum prophetas & oſtenſorum internuntios. Vide in eumdem Homeri locum Euſtathium fine paginae 1057. & Heſychium. Ceterum de Aaronis ὑποφητείᾳ plura diximus ſupra c. IV. 13. Quamquam cum Moſes Pharaonis *Deus* hîc conſtituatur; non improprie ſuum prophetam habuiſſe hîc dicitur, uti Deus ſuos habebat.

AD EX. VII. 11.

Vocavit autem Pharao ſapientes & maleficos.] Praeter ea, quae hîc interpretes de Magis Aegypti afferunt, conſulatur Valeſius ad Euſeb. VII. hiſt. 10. ex quo conſtat Magorum ſcholam perpetuo in Aegypto viguiſſe. Praeterea Euſebius in III. de vita Conſt. 4. de Licinio narrat: αὐτός τε θεοπρόπους καὶ μάντεις Αἰγυπτίων, φαρμακεῖς καὶ γοήτας . . . . περὶ ἑαυτὸν ἐποίει. *Ipſe vero divinos vateſque Aegyptiorum, veneficos & impoſtores . . . ſibi adjunxit.*

AD EX. VII. 17.

Ecce percutiam . . . aquam fluminis, & vertetur in ſanguinem.] Hoc eo mirabilius

rabilius, quod aquas Nili corrumpi antiqui negarent. Teſtatur hoc Ariſtides epiſtola illa ſive libro, qui Αἰγύπτιος inſcribitur. Aeque enim incrementi Nili cauſas latere ait, ac quod auras non emittit, quod aquae non corrumpantur, quod ejus fontes obſcuri. Vide locum.

Atque hinc plagarum celeberrimarum Aegypti narratio incipit: quas poëta Ezechiel ita deſcribit, ut nonnunquam a Moſaico ordine recedat. Haud oberit ejus deſcriptionem huc afferre ad Moſaicae hiſtoriae illuſtrationem. Sic ergo Deus loquens inducitur:

Ἐν τῇδε ῥάβδῳ πάντα ποιήσους κακά.
Πρῶτον μὲν αἷμα ποταμίων ῥυήσεται,
Πηγαίτε πᾶσαι καὶ ὑδάτων συρίγματα,
Βατράχων τε πλῆθος καὶ σκνίπας (ſic melius, quam ut hodie in LXX legitur σκνῖψ σκνιφὸς) ἐμβαλῶ χθονί.
Ἔπειτα τέφραν οἷον καμινείας ὑπερῶ,
Ἀναβλήσεται δὲ ἐν βροτοῖς ἕλκη πικρά.
Κυνόμυια δ' ἥξει, καὶ βροτῶν Αἰγυπτίων
Πολλοὺς κακώσει. Μετὰ δὲ ταῦτ' ἴσαι πάλιν
Λοιμοὶ, θανοῦνται δ' οἷς ἔνεστι καρδία.
Σκληρὰ· πυρανῶ δ' ἐρεῖδον, χάλαζα νῦν
Σὺν πυρὶ πεσεῖται, καὶ νεκροὺς θήσει βροτούς,
Καρποὺς δ' ἀλοῦται, τετραπόδων τε σώματα.
Σκότος δὲ θήσω τρεῖς ἐφ' ἡμέρας ὅλας·
Ἀκρίδας τε πέμψω, αἳ πίρις τὰ βρώματα
Ἅπαντα ἀναλώσουσι, καὶ καρπὸς χλόην.
Ἐπὶ πᾶσι τούτοις τέκνῳ ἀποκτενῶ βροτῶν
Πρωτόγονα· παύσω δ' ὕβριν ἀνθρώπων κακῶν.
Φαραὼ δὲ βασιλεὺς πείσει θεὸν ὃν λέγω,
Πλὴν τέκνων αὐτῷ πρωτόγονον ἕξει νεκρόν·
Καὶ τότε φοβηθεὶς λαὸν ἐκπέμψει ταχύ.

Hujus ope clavae mala patrabis omnia.
Primum nefando ſanguine amnes profluent,
Fonteſque cunctii, & ſtagna quaevis undique.
Culicumque ranarumque vim terrae inferam.
Deinde, ſparſo cinere ut ex fornacibus,
Hominibus aſpera pullulabunt ulcera.
Sed & canina muſca paſſim Aegyptios
Affliget. Atque erit inde peſtis altera
Rurſum, ac peribunt quis cor abdureſcet: bina
Exaſperabo caelum, & una cum ignibus
Grando ingruens mortem afferet mortalibus:
Fructus peribunt, quadrupedumque corpora.
Noctеſcet inde tribus diebus integris.
Mittam & locuſtas (peſtem adultis meſſibus)
Arrodere aptas fructuum virentia.
Super haec necatis prolibus primogenitis,
Hominum impiorum vindicabo injurias.

At

At Pharao nil patietur iſtorum omnium,
Niſi quod peribit filius primogenitus:
Ac tum repente exire vos metu ſinet.

Quod nihil horum Pharaonem perpeſſum affirmat, novum eſt, nec fide narrationis Moſaicae nititur.

AD EX. VIII. 2.

Percutiam omnes terminos tuos ranis.] Diodorus Siculus lib. 3. pag. 164. de Autariatis populo Illyridis: τὺς δὲ καλυμένυς Αὐταριάτας βάτραχοι τὴν ἀρχέγονον σύϛασιν ἐν τοῖς νέφεσι λαμβάνοντες, καὶ πίπτοντες ἀντὶ τῆς συνήθυς ψεκάδος, ἐβιάσαντο τὰς πατρίδας καταλιπεῖν καὶ καταφυγεῖν εἰς τῦτον τὸν τόπον, ἐν ᾧ νῦν καθίδρυνται. *Qui Autariatae nominantur, hos ranae in nubibus cretae & pro uſitatis delapſae guttis, patriam deſerere, & in locum, ubi nunc ſedes habent, profugere compulerunt.* Aelianus XVII. Anim. 41. eamdem narrat hiſtoriam. Ranas autem e nubibus delapſas quis credet? Ex aliquo vicino lacu aut amne tanta copia eas ingruiſſe putandum eſt, ut imber credi potuerit: quod vel haec Moſaica narratio ſuadet.

AD EX. IX. 15.

Percutiam te, & populum tuum peſte.] Ver. 3. & 6. de brutarum animantium lue fit mentio: hîc vero de hominum peſtilentia. Ac ſcio nonnullos peſtem metaphoricam hîc intelligere, ut gradatio ad graviores adhuc plagas mox infligendas eſſe poſſit. Verum hîc poëta Ezechiel alteram haud dubie veram peſtem a ſuperiore intelligit:

. . . . . μετὰ δὲ ταῦτ' ἔϛαι πάλιν
Λοιμὸς, θανῦνται δ' οἷς ἔνεϛι καρδία
Σκληρὰ (refer hoc ad v. 21. hujus cap.) πικραῖῳ δ' ὑραιὸν. χάλαζα νῦν
Σὺν πυρὶ πεσῖται, καὶ νεκρὺς θήσει βροτύς.
. . . . . *Erit indo peſtis altera*
Rurſum, & peribunt quis cor obdureſcet: hinc
Exaſperabo caelum, & una cum ignibus
Grando ingruens mortem afferet mortalibus.

AD EX. IX. 21.

Qui autem neglexit Sermonem Domini &c.] Hōc illud eſt, quod Ezechiel poëta ait:

Θανῦνται δ' οἷς ἔνεϛι καρδία - Σκληρά.

Vide cetera, quae modo ad ver. 15. recitavi.

AD EX. IX. 28.

Orate Dominum, ut deſinant tonitrua Dei.] Tonitrua in Hebraeo ſacri Codicis vocantur hîc, & ubique קלת אלהים *koloth Elohim* i. e. *voces Dei*: nec mirum, quia cum ſonitus nullus vaſtior ſit tonitruis, cumque maxima quaeque in ſuo genere ab Hebraeis Deo tribuerentur; hinc tonitrua ab iis *Voces Dei* vocabantur: & Jupiter tonans in lapide quodam, quem alicubi expoſui, FIAZZVS dicitur, nempe a פי עז *phi az*, i. e. *os forte*: certe quia *Jupiter tonans* in ex-

primendis tonitruis voce quanta maxima utitur : unde Horatio (I. Serm. 1.) *Jupiter ambas Iratus buccas* inflare iis dicitur , in quos tonitrua jactat . Ex quo factum ut Hebraeis gentilibusque tonitrua *Voces Dei* dicerentur . Ac sane LXX hîc nihil de Hebraismo detraxerunt , quippe interpretati φωνὰς Θεῦ , *voces Dei :* quos merito secuta est Vetus Itala (apud Aug. locut. 48..) ita vertens : *Orate pro me ad Dominum , ut desinant fieri VOCES DEI .* At Hier. hebraismum mollivit.

AD EX. IX. 35.

Sicut praecepit Dominus (ביד משה *bejad Mosè*) *per manum* Moysi .] Nihil hac Hebraica locutione frequentius , non solum in V. T. sed etiam in Novo , ac etiam in sermone Helleniſtico , veluti cum lex data dicitur *in manu Moysi* , alibi *in manu Angeli* &c. Nec aliud significat , ut omnes norunt , quam Mosis ministerio . Nec minus in aliis linguis crebrum . Ac juvabit hîc similem prorsus locutionem ex puriore Latinitatis aevo affere . In elegantissimo illo Liciniae Eucharis libertae elogio , apud Grut. pag. 655. 1. inter cetera legitur :

DOCTA . ERODITA . PAENE . MVSARVM . MANV (h. e. ministerio)
QVAE . MODO . NOBILIVM . LVDOS . DECORAVI . CHORO
ET . GRAECA . IN . SCAENA . PRIMA . POPVLO . APPARVI.

AD EX. X. 26.

Non remanebit ex eis ungula .] Vngula interdum pro integro animali accipitur . Horatius in I. Serm. 1. *Vt cum carceribus missos rapit ungula currus* . In Hebraeo , in LXX , & in Itala vet. eadem prorsus locutio , ut *Vngula* animal totum significet .

AD EX. X. 29.

Ita fiet ut locutus es .] Interpres παραπέφρακε Hebraicum idiotismum loci hujus כן דברת *chen dibbartà* „ *sic dixisti* . Vbi LXX nudum εἶπας usurparunt. Atque huc pertinet frequens ille Hebraismus , qui in Evangelio legitur , *Tu dixisti :* sane modestum assensionis genus , quod hanc vim habet : *Ita est uti dixisti.*

AD EX. XI. 1.

Adhuc una plaga tangam Pharaonem & Aegyptum, & post haec dimittet vos.] Nunc primum apud LXX πληγὴ metaphorica illa significatione , quae in libris sacris utriusque Foederis passim legitur , occurrit : nam supra IX. 14. pro *plagas meas* LXX habent σωαντήματά μυ (7) , quod vocabulum etiam 3. Reg. VIII. 35. Graeci interpretes pro πληγὴ μεταφορικὴ posuerunt . Πληγὴς autem vocabulum , quatenus publicam calamitatem aliquam (seu quam *vim majorem* jurisconsulti appellant) notat , etsi videtur Helleniſtica vox , inde orta , quod Hebraei iisdem vocabulis

(7) Tum Ex. IX. 14. pro σωαντήματα Hebraice est נגפותי *maggephotai plagas meas* , tum 3. Reg. VIII. 37. נגף *negah plaga* est , pro quo Graeci συνάντημα . At in Ecclesiastae Graeca versione idem συνάντημα saepissime pro Hebraico מקרה *mikreh* ponitur . Συνάντημα ergo sicut & *mikreh* proprie *occursum* , designat , unde & *eventum* significat . Inde *occursus malus* in Scripturis calamitatem notat : atque hinc & συνάντημα pro plaga , sive occursu malo Seniores usurparunt .

vocabulis utantur, quibus & percuſſionem & immiſſam divinitus calamitatem deſignent: tamen poſſunt utcunque vel ἔξωθεν exempla produci. Cujuſmodi eſt, quod apud Thucydidem verbum πληγέντες ejus Scholiaſtes μεγάλως νικηθέντες exponit, addens, πληγὴν & τραῦμα in bello vocari τὴν ἰσχυρὰν ἧτταν. Adde quod inter Ptolemaeos, quos Suidae diligentia nos ignorare non ſivit, quidam exſtitit cognomento ἐπιθέτης, qui ἔγραψε περὶ τῶν παρ' Ὁμήρῳ πληγῶν ὑπόμνημα εἰς τὴν ὀδύσσειαν. *Scripſit de plagis, quarum apud Homerum mentio, commentarium in Odyſſeam.* Fabricius lib. 2. Biblioth. Graecae pag. 338. vertit: *De plagis apud Poëtam memoratis & commentarium in Odyſſeam.* Secundum quam verſionem in Suidam τὸ Καὶ importetur ex libris neceſſe eſt, ut & de plagis in utroque Homeri poëmate memoratis, ac praeterea ſcholia in Odyſſeam ſcripſerit. Adhaec Wovveranus non perſuadet (cap. 17. de Polymathia,) qui de Homeri reprehenſoribus Ptolemaeum illum egiſſe putat; neque enim παρ' Ὁμήρῳ, ſed Ὁμήρου Suidas dixiſſet. Mihi plane videtur Ptolemaeus iſte (facile Aegyptius) de Aegypti plagis, quarum in Graecis Scripturae exemplaribus multa eſt mentio, multa inaudiviſſe, eoque motus, ut & plagas ab Homero enarratas colligeret, a peſte Achivorum, ut videtur, exorſus, Iliados initio deſcripta. Nam placet Fabricii interpretatio, tum eo vel maxime, quod plures hujuſmodi plagas ex Iliade quam ex altero poëmate colligere licuerit.

Porro autem, quid ſit Ἰλιὰς κακῶν, & ἀεὶ Ἰλίῳ κακὰ, vel pueri ſciunt. Id ſane adagium facit, ut poëma illud, quod Hipparchus carmine heroico a ſe contextum, Ἰλιάδος αἰγυπτιακῆς nomine donavit (e quo verſus nonnullos recitat Athenaeus lib. IX. cap. XI. pag. 303. C, quibuſcum connecti poſſe videntur ii, quos lib. III. cap. 22. pag. 101. A. ex eodem opere recitaverat) de Aegypti calamitatibus ſub Iſraëlitarum exitum ſcriptum fuiſſe videatur. Nam & a Manethone ſcimus ἐξόδου hiſtoriam delibatam: quam videtur Hipparchus non ignoraſſe.

Quem autem idem Suidas in Πληγαὶ neſcio cujus (Judaeus certe aut Chriſtianus videtur fuiſſe) locum affert, cum animadverſione digniſſimum arbitror. Ὅτι ἐν μ' ἡμέραις γεγόνασιν αἱ κατ' Αἴγυπτον πληγαί. *Intra quadraginta dies Aegyptiacae plagae acciderunt.* Vtinam fragmenti hujus auctorem lexicographus prodidiſſet. De hoc dierum quadraginta intervallo non tantum Scripturae ſilent, ſed & ceteri, quod ſciam, ſcriptores. Saepe etiam Ezechielus poëta Judaeus in ἐξαγωγῇ eadem notione πληγὰς uſurpavit.

Adde & hoc, quod corporum caeleſtium defectus לקי *likui* & לקות *likkuth* h. e. *percuſſio* Rabbinis dicitur a לקה, quod Chaldaice *vapulare* ſignificat, apud Rabbinos autem & *vapulare*, & *eclipſin pati*. Vide Buxtorfium in Lex. Chald. Hinc eſt, quod Apoc. VIII. 12. πλήττεσθαι pro *deficere* uſurpatur, ut obſervavit Joh. Croius in obſervat. in N. Teſt. pag. 266. Sic enim eod. Apocalypſeos loco: Καὶ ἐπλήγη τὸ τρίτον τοῦ ἡλίου, καὶ τὸ τρίτον τῆς σελήνης, καὶ τὸ τρίτον τῶν ἀστέρων, ἵνα σκοτισθῇ τὸ τρίτον αὐτῶν. Hactenus de πληγῆς notione Biblica ex Hebraeo derivata.

AD EX. XI. 2.

Poſtulet vir ab amico ſuo, & mulier a vicina ſua, vaſa argentea & aurea.] LXX addunt, καὶ ἱματισμόν. Quod & antiqua verſio Italica agnovit, dum praeter *vaſa aurea & argentea*, addidit, *& veſtem*, idque non ſolum hîc, ſed &

ſup. Ex. III. 22. eadem in Graeco Seniorum & in Itala additio. Ex quo ſuſpicari poſſumus, in cod. Hebr. quo LXX uſi, non defuiſſe *Veſtem*.

AD EX. XII. 3.

Loquimini ad univerſum coetum &c. Quae ad Paſchales caerimonias attinent, ea hinc uſque ad ver. 20. deſcribuntur. Et quidem inter omnes convenit, non omnia ex aequo tum ad primi hujus Paſchatis ritum, tum ad reliquorum in poſterum requiſita fuiſſe, ſed partim hoc, partim ſequentia feſta reſpicere. Verum nullum canonem tradiderunt, quo ea diſcernerent: tametſi eum canonem Moſes ipſe haud obſcure indicarat: qui cum primum Paſchales caerimonias promiſcue omnes hinc uſque ad ver. 20. (& quidem Deum ſibi loquentem inducens) una ſimul narratione contexuiſſet; deinde a ver. 21. ad 23. eas tantum Moſes ipſo populo recitavit, quae ad primi Paſchatis λιτουργίαν attinerent. Ea vero hujuſmodi ſunt 1. agni immolatio: 2. ut agni ſanguine tingerent ſuperliminare & utrumque poſtem: 3. ut interim ſe unuſquiſque domi contineret uſque mane. Quare cetera illa, quae a ver. 3. ad 20. deſcribuntur, ea ad ceteros annos ſunt referenda, ſive jam tum in anteceſſum ea Deus Moſi pro ceteris annis edixerit, ſive (ut ad ver. 15. dicam) quamquam ea pro ſecutis temporibus Deus praeceperit, Moſes tamen, ne ſaepius cogeretur de Paſchalibus caerimoniis ſermonem contexere, jam tum ſimul omnia exponere κατὰ πρόληψιν maluerit. Ad ſummam non nego equidem, quin pleraq. eorum quae hinc jam uſq. ad v. 20. praecipiuntur, obſervarint prima illa nocte Iſraëlitae: praeſertim neceſſitati parentes, qua coacti fuere & panes infermentatos cum agno comedere (de quibus in loco prolixius agam) idque accinctis renibus, & calceati, baculoſque prae manibus habentes, ac feſtinanter; ad haec enim eos maturatio fugae coëgerat. Deus vero, qui in hujus beneficii monumentum annuam Paſchatis feſtivitatem inſtituit, ſimul quaecumque neceſſitate adacti prima illa nocte fecerunt, voluit eſſe μνημόσυνα ſeu memorialia eorum, quae facerent in poſterum.

Ibid. *Decima die menſis hujus tollat unuſquiſque agnum per familias & domos ſuas.*] Ezechiel *vitulos* addit ver. 176. πρόβατα καὶ μόσχους βοῶν accipere licuiſſe ſcribit. Fortaſſe reſpexit ad Deut. XVI. *Immolabis Phaſe . . . de ovibus, & de bobus*. At in Deuteronomio non de Agno Paſchali ad veſperam Paſchae immolando, ſed univerſe de Paſchalibus victimis id dicitur.

AD EX. XII. 6.

Immolabitque eum univerſa multitudo filiorum Iſraël ad Veſperam.] Eleganter verſio antiqua apud Cypr. ad Caecil. *Et occident illum omne vulgus ſynagogae filiorum Iſraël ad veſperam*. Hebr. בין הערבים *ben haarbajim* i. e. inter duas veſperas. Quae ſint duae veſperae, jam viri docti perviderunt. Una δείλη πρωΐα, *veſper matutinus* h. e. *meridies*: altera δείλη ὀψία i. e. *veſper ſerus* (ut Varro appellat) ſeu occidente ſidere. Hinc δείλη abſolute non raro meridiem, at ſaepius ſerum diei notat. Ejus notionis haec ratio eſt, quod ערב (*ereb*) δείλη, *veſper*, & ſimilia vocabula non tantum creperam lucem, verum etiam quod in aliquo temporis ſpatio ultimum eſt, notat, Italis vulgo *il tardi*. Hinc Matth. XXVIII. 1. ὀψὲ τῶν σαββάτων (quod in vulgato eſt *veſpere ſabbati*) vertendum

tendum eſſet *expletis ſabbatis*, ſive in ultimo hebdomadis. Ergo ſicut temporis matutini ultimum (quod eſt meridies) *il tardi del mattino*, ſic & pomeridiani extremum *il tardi della ſera* Itali dicimus. Nec aliter dixere Graeci δείλην πρωΐαν, δείλην ὀψίαν. At Hebraei utrumque *Ereb* appellarunt ſine addito: ſic ut *inter duas veſperas* ſit hora diei nona, quae inter matutinum interque pomeridianum ſerum (*il tardi*) media intercedit. Idq. tempus Hebraeis בין הערבים *ben haarbaim* h. e. *inter duas veſperas* dicebatur: quod aptiſſimum Paſchati celebrando habitum.

AD EX. XII. 8.

Cum lactucis agreſtibus.] Hebr. *cum amaroribus*. LXX πικρίδας ſunt interpretati, quae ſunt cichorea ſive intyba. Πικρίδες alio vocabulo θρίδακες ἄγριαι dicebantur. Nam quod Aelianus πικρίδας accipitrum oculis auxiliari dicit, hoc alii de thridacibus agreſtibus memorant, ut vetus auctor de ſympath. & antip. apud Fabric. tom. 4. Bibl. Graec. pag. 297. Apuleius: *Graecis thridax agria dicitur; aliis hieracion* (quod accipitribus opem ferat) . . . *Italis lactuca ſylveſtris*. Alibi Apuleius *lactucam ſilvaticam* appellat. Alii geoponicorum ſcriptores ſic circumſcribunt, *Lactuca, cujus amara ſunt folia*. Hinc facile intelligitur πικρίδα, θρίδακα ἀγρίαν, & *lactucam agreſtem* plura eſſe ſtirpis unius vocabula, nec aliud eſſe, quam *amaris intyba fibris*, ut ait Poëta, ſive *cichoria*.

AD EX. XII. 9.

Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, ſed tantum aſſum igni.] *Heroicis temporibus* (inquit Servius ad Aen. 1.) *non veſcebantur carne elixa*; ibidem vero Varrone auctore tradit, Romanis principio aſſa, deinde elixa, poſtremo & jurulenta in uſu fuiſſe. Homerum tradit Athenaeus lib. I. pag. 9. non juſcula aut elixas carnes, ſed aſſas tantum heroibus appoſuiſſe: ζωμοὶ δὲ οὐκ ἐποίει Ὅμηρος θύων βοῦς, οὐδ' ἥψει κρία, οὐδ' ἐγκέφαλον, ὤπτα δὲ τὰς κοιλίας· ἔστω σφόδρα ἦν ἀρχαῖως. Quanquam idem auctor alibi elixae carnis uſum ex Homeri loco Φ. 362. probatum ivit:

Ὡς δὲ λέβης ζεῖ ἔνδον, ἐπευγόμενος πυρὶ πολλῷ,
Κίσσῃ μελδόμενος ἀπαλοτρεφέος σιάλοιο.
Vtque lebes fervet, pyra quem ſubjecta fatigat,
Tabefacit pinguis dum tota abdomina porci.

Fruſtra tamen ex hoc Homeri loco elixandae carnis conſuetudo elicitur, ſed tantum eliquandi adipis. At in Hebraica hiſtoria haud ſemel elixae carnes occurrunt; ut fatendum ſit eum morem ab Oriente in Graeciam propagatum.

AD EX. XII. 11.

Et calceamenta habebitis in pedibus.] Quippe longum iter ingreſſuri. Priſci homines, non niſi viae ſe daturi, calceos induebant. Mercurius in Homerico hymno in Apoll. boves abacturus

. . . . Ποσὶν ἐδήσατο σάνδαλα κῦφα,
Οἷά τ' ἐπευγόμενος δολιχὴν ὁδόν.
. . . . *Induxit pedibus cava ſandalia, ut qui*
Ingrederetur iter longum.

Item Odyſſ. XVI. ſubulcus exiens ſtabulo, aut ubi quivis alius aliquo proficiſcitur, prius calceis ad iter ſe comparat.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

AD

AD EX. XII. 13.

Erit autem ſanguis vobis in ſignum in aedibus, in quibus eritis: & videbo ſanguinem & tranſibo vos &c. Hic mos videtur Orientalium fuiſſe in direptionibus civitatum uſitatus. Certe de Poenis Phoenicum i. e. Chananaeorum prole legitur ſimile quiddam apud Liv. XXV. 10. Nam Hannibal capto Tarento, volens Tarentinis parcere, Romanos autem praeſidiarios occidere, Tarentinos, *Recipere ſe in domos quemque juſſit, & foribus nomen ſuum inſcribere; ſe domos eas, quae inſcriptae non eſſent, ſigno extemplo dato, diripi juſſurum.*

AD EX. XII. 15.

Septem diebus azyma comedetis.] Hebdomadis hujus dierum, qua a fermento abſtinendum erat, rationem affert vetus poëta Ezechiel in Ἐξαγωγῇ, quam quidem ex Judaica traditione Judaeus homo hauſerit oportet. Sic enim Deus loquens inducitur.

Ὅταν δ' ἐς ἴδιον χῶρον εἰσέλθητ', ὅπως
Ἀφ' ἧσπερ ἡῶς ἐφύγετ' Αἰγύπτου ἄπο,
Ἑπτὰ διοδοιπορῆντες ἡμερῶν ὁδὸν,
Πάντες τοσαύτας ἡμέρας ἔτος κάτα
Ἄζυμα ἔδεσθε, καὶ Θεῷ λατρεύσετε.
Aſt ubi inieritis quiſque ſedes proprias,
Septemdiali permeato tramite,
Fugiſtis ex quo Aegyptiam tyrannidem,
Totidem quotannis cunctis edetis azyma
Diebus, atque ſervietis Numini.

Septemdialis iſtius fugae rumor etiam Pompeii Trogi aures perſtrinxit, ex quo Juſtinus lib. XXXVI. ſcripſit: *Moſes ſeptem dierum jejunio* (a fermento abſtinentiam facile gentilis homo intelligit jejunii nomine) *per deſerta Arabiae cum populo ſuo fatigatus, cum tandem veniſſet, ſeptimum diem, more gentis ſabbatum appellatum, in omne aevum jejunio ſacravit; quoniam ille dies famem illis erroremq. finierat.*

Septem diebus azyma comedetis.] Ex ver. 34. & maxime ex 39. hujus capitis perſpicuum eſt Iſraëlitas neceſſitati potius, quam divino praecepto de non comedendo fermentato, obtemperantes in primo hoc Paſchate a fermento abſtinuiſſe. Quippe cum Iſraëlitis maturato opus eſſet, nec iis Aegyptii moram ullam ad convaſandum permitterent, raptim ſecum conſperſam ſine fermento farinam abſtulerunt, aſportaturi utique & fermentum, ſi de eo cogitare per otium licuiſſet: quocirca, ut ver. 39. traditur, deficiente fermento, coacti fuere facere ſibi ſubcinericios panes azymos. Quare certum eſt praeceptum (quod de abolendo fermento traditur hoc verſ. 15. *In die primo Azymorum non erit fermentum in domibus veſtris*) ſuccedentia in inſequentes annos Paſchata dumtaxat reſpicere, quibus in praecipitis illius profectionis monumentum juſſit Deus a fermento Hebraeis omnibus interdici. Id quod & Tacito innotuit; *Raptarum* (inquit ille hiſt. cap. V.) *frugum argumentum, panis Judaicus nullo fermento detinetur.* Quae cum ita eſſe planiſſimum ſit; illud quoque fateamur neceſſe eſt, ſaltem haec quae hîc a ver. 15. ad 20. de fermento exterminando edicuntur, illa quidem non in praeſentia, i. e. ante egreſſum Iſraëlitarum, ſed poſt egreſſum praecepta fuiſſe: ac tamen ea Moſem, quae ad Paſchatis celebrationem attinent, uno tenore volentem contexere, huc facile conjeciſſe, ne cogeretur poſtea iterum

rum de Paſchatis ritibus mentionem injicere. Et huc quidem opportune haec praeceptio incidere viſa fuit. Nam cum Deum loquentem feciſſet in hunc modum: *Habebitis autem hanc diem in monumentum* &c. tempeſtive ſubjecit: Vt, inquit, hujus diei memoria vobis ſubeat, volo vos ea omnia in poſterum revocare, quae hoc die facere coacti eſtis, ut itidem omni fermento in Paſchate recolendo abſtineatis. Quod mandatum etſi poſtea a Domino editum, hîc tamen opportunius a Moſe ſcriptum fuit. Quotus autem quiſque eſt, qui neſciat familiaria eſſe Scriptoribus ſacris, ac Moſi cum primis τὰ ὕστερα πρότερα, praeſertim ubi res ita expoſcit? Verum hujus loci πρόληψις clarior fiet ex dicendis ad verſus 34. & 39.

Dicent fortaſſe jam ſupra v. 8. azymorum eſum cum agno conjungi juſſum. Reſponderi poſſit, utut prima illa nocte azyma ritualia fuerint, ac praecepti Divini pars, non ſequi in ceteros ſequentes primi Paſchatis dies aeque praecepta fuiſſe. Quid ſi vero hoc etiam quod ver. 8. traditum fuit, id ad ſequentes annos pertinens, tamen κατὰ πρόληψιν ibi, ut alia, a Moſe injiciebatur? Vide dicta ad ver. 3. ac dicenda ad ver. 34. & 39. hujus capitis, & quae ad caput XIII. 3. adnotabimus.

AD EX. XII. 16.

Nihil operis facietis in eis, exceptis his, quae ad veſcendum pertinent.] Haud diſſimile alterum hoc eſt, quod hoc ver. 16. praecipitur, uti dierum Paſchalium prima atque ſeptima feſtiva, atque ἄεργος habeatur: *Nihil*, inquit, *operis facietis in eis, exceptis his, quae ad veſcendum pertinent*. Paſchalis ergo, quam Sabbati (in quo ne eſculenta quidem parare licitum fuit) ἀργία minor erat: hoc ideo, quia egreſſi ex Aegypto Iſraëlitae ſtatim de coquendis placentis parandiſque eduliis cogitarunt, in cujus rei monumentum cetera quidem famula opera iis diebus prohibuit Deus, non item ea quae ad veſcendum pertinent. Et hoc etiam, uti ſupra dictum fuit, ſecutis temporibus edixit Deus: quod tamen Moſes in anteceſſum uno narrationis filo cum ceteris Paſchalibus caeremoniis connexuit. Tamen ſi primi hujus Paſchatis prima ac ſeptima dies ἄεργοι fuere, cur primo die fugae ſe mandarunt Iſraëlitae, die vero ſeptimo mare rubrum tranſmiſerunt? Nam itinera Hebraei in famulis operibus habebant: nec hoc ipſo v. 16. iter habere, ſicut parare edulia, exceptum fuit. Verum parare edulia, quia ſemper occurrebat his diebus; ideo diſerte indultum. At in itineribus iter ſabbati licitum, non item longiora, niſi Divino praeceptu juſſa, ut in hac praecipiti ex Aegypto fuga.

AD EX. XII. 17.

In eadem enim ipſa die educam exercitum veſtrum de terra Aegypti.] Hebraice eſt הוצתי *botſetbi*, *Eduxi* nim. tempore praeterito: ex quo magis perſpicuum fit, haec quae de azymis hîc praecipiuntur, a Domino edicta fuiſſe poſt egreſſos jam ex Aegypto Iſraëlitas (ut in loco dicetur) Moſem vero, uti ſaepe jam dixi, in anteceſſum ea huc aſſuiſſe, ut ſimul omnes Paſchales ritus una narratione conjungeret.

AD EX. XII. 22.

Nullus veſtrum egrediatur oſtium domus ſuae uſque mane.] Hinc jam intelligeretur Iſraëlitas non ante matutinum tempus XV. diei menſis Niſan egreſſos ex Aegypto. Verum cum Deuteronomii XVI. 1. legatur: *Eduxit te Dominus ex Aegypto nocte*

nocte ; intelligi debet ſummo mane , & crepera adhuc luce , quod tempus aeque nocturnum & matutinum dici poſſit .

AD EX. XII. 34. *&* 39.

Ver. 34. *Tulit igitur populus* (ex Aegypto diſcedens) *conſperſam farinam antequam fermentaretur , & ligans in palliis , poſuit ſuper humeros ſuos* . Mox ver. 39. *Coxeruntque* (iidem ubi in Sòcoth pervenerunt) *farinam quam dudum de Aegypto conſperſam tulerant , & fecerunt ſubcinericios panes azymos ; neque enim potuerant fermentari cogentibus exire Aegyptiis , & nullam facere ſinentibus moram : nec pulmenti quidquam occurrerat praeparare .*] Commata duo non continentia, verum inter ſeſe apta, recitavi : circa quorum interpretationem duas extremas reperio ſententias , quas ubi expoſuero , tum , ſi videbitur , mediam tenebo viam .

Ac primum lis eſt de notione vocis בצק *batſek*, quae a LXX ſemper φαῖς redditur , omneſque *maſſam* interpretantur : quod Calmeto tamen non arridet , qui *farinam* diſſolutam hoc loco mavult intelligi . Nam ſi , inquit , vacavit Iſraëlitis farinam conſpergere atque ſubigere, quanti laboris fuiſſet , fermentum etiam immiſcere ? Cur feſtinationem cauſati , maſſam ſine fermento ſecum eduxiſſent ? Atqui non permiſcuere fermentum , eo quod non tutum proficiſcentibus , nec ſcientibus viae terminum id fuiſſet ; quia (ut ait Apoſtolus) *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit* , ſi juſto diutius maſſae coctionem moreris . Ceterum Calmetus tum in eo fallitur ; quod בצק *batſek*, *farinam diſſolutam* interpretatur , cum ubique pro maſſa farinacea accipiatur , nec aliud niſi maſſam in Vulgata illud *Conſperſam* [8] *farinam* ſibi velit ; tum in eo etiam, quod & ipſum ΣΤΑΙΣ (9) in LXX non diſſolutam farinam, ſed conſperſam ſive ſubactam aqua maſſam ubiq. ſignificet , ſicuti & Φύραμα . Haec omnia inquam Hebraici , Graeci , Latiniq. ſermonis nomina ſibi invicem reſpondentia non aliud quam farinam aqua ſubactam deſignant , quam antiqui *conſperſionem* vocabant .

Verſus 39. haud aliter in Hebraeo ſonat , ac quomodo ſupra ex Vulgata recitavimus . Quocirca non deſtiti mirari magnopere , ecquid in Hebraica littera impulerit Grotium a rei geſtae veritate diſcedere in ſuo in Exodum commentario

(8) *Conſpergere farinam* pro eo quod eſt *ſubigere* , & cogere in maſſam, ex eo dictum, quia aquâ identidem conſperſa id fiebat . Etſi hujuſmodi locutio abeſt ab antiquis ſcriptoribus ; nec eam niſi in Scripturis & antiquis Eccleſiae Patribus potui reperire. Tamen in veteribus Gloſſis Φύραμα (quod maſſam ſubactam notat) *Conſparſio* & *Conſperſio* redditur . Et in Cyrilli Gloſſis Περιραίνω (rectius περιῤῥαίνω) vertitur *Conſpargo* . Antiquitus enim farina non aquâ ſimul verſata , ſed ſenſim in orbem conſperſa madefiebat, donec cogeretur tota .

Verum quid iſta Gloſſarum ſubſidia quaero , cum Tertullianus ſit inſtar omnium Is lib. IV. in Marcionem cap. 24. ita poſuit : *Profectionem filiorum Iſr. Creator etiam illis ſpoliis aureorum & argenteorum vaſculorum , & veſtium , praeter* (pro praeterea) *CONSPARSIONVM offarcinatam eduxit de Aegypto* . Ibi Rigaltius : *Onera conſparſionum dicit farinae maſſam aquae conſpargine coactam* . Verſio Vulgata in I. ad Cor. ver. 7. *Vt ſitis nova CONSPERSIO ſicut eſtis azymi* : ubi in Graeco Φύραμα . Tertullianus alibi pluries *Conſperſionem* eâ notione uſurpat . Et in Itala vetere tum apud Tertullianum , tum Cyprianum & alios tam in loco cit. ad Cor. quam in altero ad Gal. *Conſperſio* pro *maſſa farinacea* legitur . Vide ejusdem Tertulliani adv. Valentinianos cap. 31. pulcherrimum locum .

(9) Dubium non eſt , quin Σταῖς , Φύραμα, & *Conſperſio* ex aequo omnia maſſam , ſeu farinam aqua ſubactam (ſive *coactam* , ut Tertullianus loquitur) ſignificent. De Graecis duabus vocibus conſulantur lexicographi quilibet ; nec enim de eorum notione controverſia eſt , ut mirer Calmeto aliud ab his venire in mentem potuiſſe , palamque affirmaſſe Σταῖς in LXX eſſe farinam ſolutam. De *Conſperſione* vero adeatur Nota ſuperior .

tario ad hunc locum. Principio Pagninianam hujus loci verſionem recitat, quae talis eſt. *Et coxerunt conſperſionem, quam eduxerunt ex Aegypto, placentulas infermentatas, quia non fermentatum fuerat, quia expulſi fuerunt ex Aegypto, & non demorari potuerunt, & etiam eſcam non ſibi fecerant.* Conferat lector hanc Pagnini litteralem translationem cum Hieronymi Vulgata, ac decernat, an (exceptis voculis) vel minimum in ſententia ſit inter utramque diſſidium. At Grotius Pagninianae a ſe recitatae translationi ita ſubjicit. *Senſus eſt: Quia placentae ob feſtinationem exitûs* (ex domibus ſingulorum) *fermento mixtae non fuerant, ideo eas non coxerant Hebraei in exitu. Sed ubi Succothas venerunt, addito, quod ſecum attulerant, fermento, coxere eas, ut & cibos alios.* Vt ab ultimis Grotii verbis incipiam, ubinam quaeſo legitur, Hebraeos attuliſſe in Soohoth fermentum, eoq. in panibus ſubcinericiis uſos? Nuſquam veſtigium: imo contrarium ſuadet tum proficiſcentium feſtinatio, tum quod עגות *huggoth* (i. e. ſubcinericii panes) non niſi azymi fiebant. Deinde in tota hac Grotii ratiocinatione nihil niſi falſi reperio. Nam ubi feſtinato eſt opus, quid vetabat infermentatis uti, veluti ſubitariis placentulis ſubcinericiis?

Omnino ni fallor, eâ nocte res ita ſe habuit. Coacti Iſraëlitae dicto citius proficiſci, quam prae manibus habebant maſſam infermentatam, eam ipſam, uti erat, non admixto fermento, veſtibus involutam bajulantes, in Socoth (non valde ut arbitror ab Rameſſe (10) remotam) abſtulerunt. Ibi ut conſiſterent, tum fames, tum agni Paſchalis caerimonia admonuerunt. Ergo evolutis faccis, & ex conſperſione, quam attulerant, panibus ſubcinericiis & quidem (11) azymis praeparatis, agnoque rite commanducato, eopte die ſtatim ſe viae dederunt. *Nam eadem die* [uti ſcribitur extremo hoc capite] *eduxit Dominus filios Iſraël de terra Aegypti.*

Verum nonnulla eorum, quae raptim attigimus, retractare latius praeſtat. Hebraeis quidem hac nocte fermentatis de more utendi voluntas fuerat, quia de Paſchalibus azymis nondum lata lex (12) ulla erat. Verum nec quamdiu Rameſſe fuerunt fermento uſi (uti ver. 34. narratur, ubi proficiſcentes maſſam infermentatam ſecum abſtuliſſe dicuntur) nec in Socoth quo primum pervenerunt. Nam in Socoth allatae ſecum conſperſioni nihil admiſcuere fermenti, quippe hoc oblivione capti Rameſſe reliquerant. Atque ea de cauſa infermentatos panes ſibi parare coacti, quibus & in deſerto uſi, utpote deficiente fermento. Ergo azymis hebdomade tota (non tam propoſito voluntatis, quae contraria fuerat, quam ex

(10) *Rameſſe* putatur a nonnullis eadem eſſe ac Nomus Παρεμβολὴ *Paremboles*, cujus meminit in inferiore Aegypto Herodotus lib. 2. cap. 165. & alibi. Verum miſſis incertis, illud non eſt dubium, quin is locus in finibus Aegypti fuerit proxime deſertum. *Socoth* autem (quod facile a סכות *ſuccoth* h. e. *tabernaculis*, quae in prima illa ſtatione tetenderunt Iſraëlitae, nomen ſibi quaeſivit) in deſerto erat.

(11) Cum tam diſerte ſacer textus ſignificet ver. 34. Hebraeos ab Rameſſe conſperſionem ſive maſſam infermentatam ſecum abſtuliſſe, & ver. 39. diſerte dicatur Hebraeos in Socoth placentulas infermentatas ſibi coxiſſe, miror a Grotio in ejus loco ſup. recitato ſcribi potuiſſe illud, *Addito, quod ſecum attulerant, fermento*. Nempe eſt ubi viri quamlibet magni in claro caecutiant. Adde quod placentae ſubcinericiae inter azyma ubique numerantur.

(12) Nam quae capitis hujus initio ver. 8. & 15. de Paſchali azymophagia edicuntur, ea diu poſtea a Moſe ſcripta fuerunt, tunc nimirum cum Pentateuchum exaravit.

praecipiti profectione ab Rameſſe) uſi fuerunt. Atq. ita ſe azymophagia Paſchatis primi habuit. At annis ſequentibus in primi hujus memoriam Paſchatis, quod ſine fermento fuerat celebratum, ſancivit Deus ut itidem fermento ſequentibus Paſchalibus hebdomadis in poſterum abſtinerent εἰς μνημόσυνον hujus primi Paſchatis non niſi ex obljvione infermentati.

Non ergo te fallat, quod hujuſmet capitis initio azymorum eſus praecipi videatur (ſicuti ver. 8. *Edent . . . azymos panes*, & ver. 15. *Septem diebus azyma comedetis* &c. per totum verſum) nam diu poſt hoc primum Paſcha (quod hoc cap. a v. 18. deſcribitur) ſcripta haec ſimul cum Pentateucho fuerunt, eo ſcil. tempore, quo jam ritus Paſchales omnes, atque in primis ἀζυμοφαγία ſancte ab omnibus cuſtodiebantur. Ad ſummam huic primo Paſchati (quod veluti rudimentum ſequentium vocari poteſt) cum ceteris ſecutarum aetatum feſtis Paſchalibus hoc commune fuit, ut a fermento ſeſe Iſraëlitae abſtinuerint per dies ſeptem: verum hoc intereſt, quod in primo hoc Paſchate non ex ſuae voluntatis propoſito, ſed ex praecipitatione itineris, & (ſi neceſſe ſit) ex immiſſa divinitus oblivione fermenti, azymis per totam hebdomadem paſci coacti fuerint: at annis ſequentibus praeceptum Domini religioque coëgerit Paſchali hebdomada recurrente exterminare fermentum: idque totum εἰς μνημόσυνον primi hujus Paſchatis, quo per tot ſigna educti a ſervitute fuerunt, ſervari in perpetuum cum pari ἀζυμοφαγίᾳ juſſit imperator Deus.

AD EX. XII. 36.

Et ſpoliaverunt Aegyptios.] Eccleſiae Patres, theologique veteres ac recentes (quorum loca Calmetus ad Ex. III. 22. cumulate recitat, itemque ad XI. 2.) ut a furti crimine Iſraëlitas liberent, non unam ineunt viam. Eſt autem apud omnes illa ratio pervulgata, juſte id a Deo imperatum, ut diutinae ſervitutis merces iis redderetur: quae quidem ratio ab vetere apud Hebraeos traditione deſcendit: quam lector, ſervaſſe nobis vetuſtiſſimum Judaeorum poëtam Ezechiëlem in ſuo dramate, cui ἐξαγωγῆ nomen fecit: apud quem Deus in hunc modum edicit:

Ὅταν δὲ μέλλητ' ἀποτρέχειν, δόσιν χάριν
Λαῷ· γυνή τε παρὰ γυναικὸς λήψεται
Σκεύη, κόσμητε πάνθ' ὅσ' ἄνθρωπος φέρει,
Χρυσοῦτε, καὶ ργυρᾶν, ἰδὲ στολὰς, ἵνα
Ἀντ' ὧν ἔπραξαν, μισθὸν ἀποδῶσι βροτοῖς.
Populo abeunti comparabo gratiam,
Et mulier a muliere mutuabitur
Vaſa, atque mundum deſtinatum ornatui,
Argenti & auri, ac veſtium vim plurimam:
Reddatur ut MERCES LABORI ſcilicet.

Sane hic unus ſcriptoris hujus (duobus amplius ſaeculis Chriſto antiquioris) locus pretium ejus poëmatio maximum conciliat. Ceterum Auctoris Libri Sapientiae vulgo jam innotuerant loca duo, ex quibus hoc idem invicte firmatur.

Verſu tertio illud ἄνθρωπος ſive feminini eſt generis, ut feminas notet, quarum eſt mundus muliebris; ſive reſpondet τῷ ישׁ diſtributivo, quod ſignificat ἕκαστος. Ac vide de eadem re Ex. XI. 2. parem locum.

AD

AD EX. XIII. 2.

Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Iſraël, tam de hominibus, quam de jumentis.] Non diſſimile fuit apud Italos *Ver ſacrum*, quod a Feſto ita deſcribitur, ut ex hoc loco Moſaico translatum omnino videatur. Locus Feſti ſic habet: *Ver*, inquit, *ſacrum vovendi mos fuit Italis. Magnis enim periculis adducti vovebant, quaecumque proximo vere nata eſſent apud ſe animalia, immolaturos. Sed cum crudele videretur pueros ac puellas innocentes interficere; perductos in adultam aetatem velabant, atque ita extra fines ſuos exigebant.* Idem Feſtus in *Mamertini* paullo uberius: *Cum de toto Samnio gravis incidiſſet peſtilentia, Sthenius Mettius ejus gentis princeps convocata civium ſuorum concione, expoſuit ſe vidiſſe in quiete praecipientem Apollinem, ut, ſi vellent eo malo liberari, VER SACRVM voverent, id eſt, quaecumque vere proximo nata eſſent, immolaturos ſibi. Quo facto levatis poſt annum viceſimum, deinde ejusdem generis inceſſit peſtilentia. Rurſum itaque conſultus Apollo reſpondit, non eſſe perſolutum ab iis votum, quod homines immolati non eſſent: quos ſi expuliſſent, certe fore ut ea clade liberarentur. Itaque ii juſſi patria decedere.* Ergo *Ver ſacrum* dicebatur, quidquid intra Kal. Martias & prid. Kalendas Majas natum (h. e. eo maxime tempore, quo Moſes ex Aegypto Iſraëlitarum copias eduxit) Deo voveretur. Haec verior interpretatio, quam quas Nonius Marcellus (in Gotofr. Gramm. col. 778. verſ. 41.) attulit. Quae cum ita ſint; *Veris ſacri* religio & nomenclatio ex hoc Moſaico loco primum orta, deinde ex Chanaanitide per Tyrrhenos, ſive Oſcos (qui ortu Chanaanitae, poſtea non tantum in Africam, ſed & in totam, quam longiſſime patet Italiam inundarunt) derivata in haec loca fuerit neceſſe eſt, in quibus *Veris ſacri* religio obtinuit.

Vti rem in pauca contraham; Chanaanitae quamdiu in terra Chanaan ſive Palaeſtina fuerunt, cum ex hoc loco Moſaico ab Hebraeis ver ſacrum vovere didiciſſent; id poſtea in quaſcumque terras translati fuerunt, idem inſtitutum (etſi tamquam ab Apolline imperatum) tenuerunt, ut ex productis Veterum teſtimoniis liquet. Si porro quaeras, ecquinam fuerint in Italia Chanaanitarum poſteri; reſpondebitur, fuiſſe eos qui in Italia Tyrrheni, aut Etruſci, aut Oſci vocati fuerunt: id quod copioſe quidem in Tyrrhenicis originibus, ſparſim autem tum alibi, tum hujus Spicil. tom. 1. in Sylvis Phalegicis demonſtravimus.

AD EX. XIII. 3. 6. 7.

Ver. 3. *Mementote diei hujus . . . ut non comedatis fermentatum panem.* Ver. 6. *Septem diebus veſceris azymis.* Ver. 7. *Azyma comedetis ſeptem diebus: non parebit apud te aliquid fermentatum.*] Crebra mandati ejusdem inculcatio, durae cervici, & incircumciſis cordibus & auribus neceſſaria. Vides ut per haec craſſiora praecepta populum initiatum, paullatim Deus ad ſpiritualia praeparabat. At interim puris & ad pietatem exercitis monſtrabat nucleum latentem ſub cortice litterae.

Hic jam poſt egreſſos Iſraëlitas Moſes de non comedendo per ſeptiduum fermento cum Hebraeis agit, h. e. poſtquam ad id neceſſitate adacti fuiſſent (ut ſup. ad XII. 34. & 39. dictum) quia ſcil. deficiente fermento, non niſi azymos ſibi panes Judaei coquere valuiſſent. Et quidem quo hoc praeceptum reſpiciat, ex Moſis verbis apparet: *Mementote*, inquit, *diei hujus . . . . . ut non comedatis fermentatum panem.* Quaſi dicat, ut hujus maturatae profectionis in poſterum memoria ſubeat; id, quod modo neceſſitate ſuadente feciſtis, etiam in poſte-

rum facitote, ut recurrente hoc tempore a fermento abſtineatis.

Sane cum nunc demum Moſes iſtud de abolendo fermento praeceptum populo promulgaverit; veriſimile eſt, nunc primum de ea re a Deo fuiſſe admonitum, ab eoque ſimul cum lege offerendorum primogenitorum [quae initio hujus capitis traditur] etiam legem de eliminando fermento nunc primum accepiſſe: tametſi (ut ad cap. XII. 15. dictum fuit) Moſes ut ibi paſchales ritus ſimul omnes uno loco conjungeret, anticipatione uſus, Deum de fermento abolendo praecipientem in anteceſſum induxerit.

AD EX. XIV. 6.

Et omnem populum ſuum aſſumpſit ſecum.] Apud Ezechielem poëtam ὁ Ἄγγελος (*nuntius* opinor, non vero Angelici ordinis ſpiritus), decies centena millia in Pharaonis exercitu numerata narrat:

Τὸν πάντα δ' ἀριθμὸν αὐτὸς ἠρόμην ἐγώ.
Στρατῷ μυρίαδες ἑκατὸν εὐάνδρου λεώς.
Numerum equidem ſcitatus ipſe militum,
Centena decies comperi eſſe millia.

AD EX. XIV. 7.

Tulitque ſexcentos currus electos, & quidquid in Aegypto curruum fuit.] Diodorus Siculus, ubi de Britannis loquitur, antiquos heroicis temporibus dimicaſſe de curribus narrat in hunc modum: Ἅρμασι κατὰ τὰς πολέμους χρῶνται, καθάπερ οἱ παλαιοὶ τῶν Ἑλλήνων ἥρωες ἐν τῷ Τρωϊκῷ πολέμῳ κεχρῆσθαι παραδέδονται. *Curribus in bello utuntur* (Britanni) *quibus & antiqui Graecorum heroës bello Trojano uſi traduntur.* Re vera Homeri poëmata, ac temporum heroicorum hiſtoriae ſcatent exemplis hujuſmodi.

Et duces totius exercitus.] Hebraicum שלישים *ſcialiſcim* LXX hîc & alibi τριστάτας expoſuerunt, vocabulum raro alibi, quam apud Seniores noſtros uſitatum. Etſi apud Pollucem lib. VI. cap. 37. ſegm. 165. legitur τριστάτης ἐν χόρῳ: ubi tamen ſcripti libri habent τριτοστάτης (ſicut & lib. IV. cap. 15. ſegm. 106.) cujus nempe ſyncope eſſe videtur τριστάτης. Heſychius cum ait, τριστάται οἱ περὶ χεῖρα τῷ βασιλέως, reſpexit ad IV. Reg. VII. 2. ubi ea verba leguntur: tum de ſuo addit ἔχοντες ἀνὰ τρεῖς λόγχας, *ternas habentes haſtas*, nempe ut nominis originem traderet. Eadem ferme Etymologus, & Suidas habent. Vel igitur LXX iſtud τριστατῶν vocabulum ad ternionem, qui continetur Hebraica voce, exprimendum primi excogitarunt, vel ex choris (vide ſup. Polluoem) in militiam & aulam tranſtulerunt. Eſt enim apud Seniores modo militaris, modo palatini officii vocabulum. Conſulatur de nomine hoc Hieronymus ad cap. V. Danielis, & ad Ezechielis XXIII. cui haud aegre aſſentior exiſtimanti, τριστάτην (quaſi tertium a rege, vel quaſi unum e tribus principibus) poſſe *praefectum* ſignificare, ſive militarem ſive palatinum. Eoque nos ducit Scriptura IV. Reg. VII. 2. τριστάτης, ἐφ' ὃν ὁ βασιλεὺς ἐπανεπαύετο ἐπὶ τὴν χεῖρα αὐτῆς. Hinc etiam Ezechiel poëta Judaeus προστάτας in eâdem re poſuit, in qua ennarranda Ex. XV. 4. τριστάτας Seniores dixerant. Ad quem locum vide, quae rurſus de hoc vocabulo in Exodi fine in Diſſert. I. ad XV. 4. adnotabimus ei loco convenientia. Ad ſummam adnotatio iſthaec, & magna pars Diſſertationis I. in Exodi fine mutuam ſibi lucem affundunt.

AD

AD EX. XIV. 9.

Omnis equitatus & currus Pharaonis & universus exercitus, erant in Phihahiroth contra Beelsephon.] Illud *Phihahiroth* LXX appellative acceperunt, ita interpretati: ἀπέναντι τῆς ἐπαύλεως, ἐξ ἐναντίας Βεελσιπφῶν. Quare Ezechiel poëta in ἐξαγωγῇ cum non aliud loci nomen praeter Beelsephon apud LXX reperisset, regium exercitum Beelsephone tetendisse tradit:

Ἔπειθ' ὑπ' αὐτὸς ἤγαμεν παρεμβολήν,
Βάλζεφών τις κλήζεται πόλις βροτοῖς.
Exin sub ipsos castra metati sumus:
Hominibus haec urbs dicitur Beelsephon.

AD EX. XIV. 21. 22.

Cumque extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi & urente tota nocte, & vertit in siccum . . . Et ingressi sunt filii Israël per medium sicci maris.] Quiddam simile Alexandro Macedoni evenisse testatur Josephus II. Antiq. cap. ultimo. Quamquam revera non altum permeasse Alexandri copias, sed litus Pamphylii maris, aestu refluente nudatum, umbilico tenus pervasisse, ex Strabone viri eruditi docuerunt. Sed ista jam pervulgata. Illud minus obvium, opinor, quod Africano Majori (quem, aeque ut Alexandrum, Divina fatum prosapia veteres crediderunt, auctore Livio XXVI. 20.) in stagno quod novae Carthaginis, quam tunc oppugnabat, murum alluebat, contigisse, idem Livius XXVI. 45. refert. Audito enim Scipio ex stagno illo aestum decedere; *ac facilem pedibus ad murum transitum dari; eo secum armatos duxit. Medium ferme dici erat: & ad id, quod sua sponte cedente in mare aestu, trahebatur aqua, acer etiam septentrio ortus inclinatum stagnum eodem, quo aestus, ferebat: & adeo mutaverat vada, ut alibi umbilico tenus aqua esset, alibi genua vix superaret. Hoc cura ac ratione compertum in prodigium ac deos vertens Scipio* (similem aestum in Mose quidam viri ἀσεβέστατοι notarunt, quasi vir sanctissimus ad Deum auctorem retulerit, quod sponte naturae eventurum praefagierat) *qui ad transitum Romanis mare verterent, & STAGNA AVFERRENT* (similem locutionem hîc Vulgatus interpres usurpavit MARE ABSTVLIT) *viasque ante numquam initas humano vestigio, aperirent: Neptunum jubebat ducem itineris sequi, ac medio stagno evadere ad moenia.*

Verum hisce aliisve id genus narrationibus nihil cum Divino prorsus Israëliticae transmissionis miraculo commune. Illi per extremum litus, discedente statis horis pelago, festinato ac trepide, umbilico tenus madentes, transmeabant: cum contra *filii Israël ambularent per siccum in medio maris*, uti Moses in suo Cantico (Ex. XV. ver. 19.) gloriatur. Pulchrum est illud in eodem Cantico (Ex. XV. 8.) *In spiritu furoris tui congregatae sunt aquae* (eleganter ac simul vere LXX, διέχη τὸ ὕδωρ, *sciissae sunt aquae*, utpote viam praebiturae trajicientibus Israëlitis) *stetit unda fluens* (h. e. quae ante sua vi fluebat, repente constitit stupens, ac de via cedens transituro Israëli) *congregatae sunt* (quasi montes) *abyssi in medio mari.*

Atque ex hac Mosaica narratione poëtis proficere licuit. Homerus Il. XIII. 29. sic de Neptuno per mare ingrediente, tamquam si Mosaica imitaretur, cecinit:

Γηθοσύνη δὲ θάλασσα διίστατο· τοὶ δ' ἐπέτοντο
Ῥίμφα μάλ', οὐδ' ὑπένερθε διαίνετο χάλκεος ἄξων.

Discedente

Diſcedente mari, currus volat ocior euro,
Nec (quoniam ſiccum ingrediens) madet aereus axis.

AD EX. XIV. 25.

Et ſubvertit rotas curruum.] Hebraicum יסר reddi poteſt *removit* a סור legendo cum Maſoretis *Vajjaſar*, vel *ligavit* a יסר *jaſar*. Illud ſecutus eſt Symmachus, qui expoſuit μετέστησε: hoc vero LXX interpretati συνέδησε: quibus, ut ſemper ſolet, adſtipulatur poëta Ezechiel.

- - - ἁρμάτων δ' ἄφνω τροχοὶ
Οὐκ ἐτρέφοντο, δέσμιοι δ' ὡς, ἥρμοσαν.
Sub haec repente binae curruum rotae
Non verti, tamquam ſi illigatae vinculis.

Adſtipulatur & Aquila, qui vertiſſe dicitur *impedivit*.

AD EX. XIV. 27.

Mare reverſum eſt primo diluculo ad priorem locum, fugientibuſque Aegyptiis occurrerunt aquae.] Hujus interpretatio loci varie tum ab antiquis tum a recentibus interpretibus jactata, ab Hebraicae vocis לאיתנו *leethano* intellectu dependet. Ea tamen quocumque reddatur modo, ſemper Hieronymiana interpretatio ſe commendabit, ſive notionem vocis *Ethan*, ſive verſiones antiquorum ſpectes, ſive ſcopum divini ſcriptoris. Ac primum vox איתן *ethan* non tantum *fortem* atque *robuſtum* notat, verum etiam *vim* rei cuilibet inſitam, h. e. rei cujuslibet *ingenium*. Hoc animadverſo, quis dubitat quin ea liquidorum natura ſit, ut circa telluris centrum ita ſe librent, nulla ut ſit in ſuperficie pars, quae abſit ab eo longius aliis. Ita poſtquam ſciſſo mari, vis aquis illata divino miraculo fuerat, ne ſe circa centrum pronae librarent, mox manum extendente Moſe, cito mare ad ingenium rediit, h. e. (uti reddit Hieronymus) *reverſum eſt ad priorem locum.*

Ac ſane Hebraicae vocis vim nemo propius Onkeloſo paraphraſte eſt aſſecutus, qui Hebraeum איתן *ethan* voce תוקף *thukaph* reddidit: quod vocabulum apud Chaldaeos *robur*, *vim*, *vigorem* inſitum notat; ita ut aquae rediiſſe dicantur ad ingenium vimque inſitam, qua in humiliora fluitando, nulla ſui parte longius a centro recedant.

Nec Graecae verſiones a notione Onkeloſi (qui rem acu tetigiſſe videtur) & a Vulgato diſcedunt. LXX ſic reddiderant: Καὶ ἀπεκατέστη τὸ ὕδωρ πρὸς ἡμέραν ἐπὶ χώρας. *Et reſtituta eſt aqua, illuceſcente die, priori loco.* Aquila, εἰς τὸ ἀρχαῖον αὐτῆς. Symmachus, εἰς τὸ ἀρχαῖον αὐτῆς. Quorum utrumque redditur, *In antiquum locum ſuum*: illum ſcil. quem aquis natura ab ἀρχὴ ipſarum ab initio aſſignarat.

Ac pulchre cum hoc loco conſentit ſimilis alter Joſ. IV. 18. verbis hiſce conceptus: Καὶ ἤρμοσε τὸ ὕδωρ τοῦ Ἰορδάνου κατὰ χώρας, καὶ ἐπορεύετο καθὰ χθὲς καὶ τρίτην ἡμέραν.

AD EX. XV. 3.

Dominus vir pugnator.] Hebr. eſt *iſch hammilchama* h. e. *vir belli*. Talia ſunt ſane quam multa Scripturae loca, ubi *Homo* aut *Vir* cum adjuncto genitivo aliquo uſurpatur. Non diſſimilis eſt locutio in Smyrnaeorum epiſtola de paſſione S. Polycarpi: Ἀναπίμψαντος δὲ αὐτοῦ τὸ Ἀμὴν . . . οἱ τοῦ πυρὸς ἄνθρωποι ἐξῆψαν τὸ πῦρ.

πῦρ. *Et cum Amen clara voce insonuisset . . . HOMINES IGNIS* (h. e. ministri quibus succendendi ignis cura committebatur) *rogum accendunt.*

AD EX. XV. 4.

Electi principes ejus submersi sunt in mari rubro.] In Exodi fine inter Dissertationes exstat ad hunc locum ea quae num. prima est.

AD EX. XV. 8. 10.

Et in spiritu furoris tui congregatae sunt aquae . . . . Flavit spiritus tuus, & operuit eos mare.] Inter Dissertationes in Exodi fine positas exstat ad hunc locum altera quae num. secunda est.

AD EX. XV. 21.

Quibus praecinebat (Maria) *dicens: cantemus* &c.] Sicut hîc Moses viris, Maria vero mulieribus praecinebat (de Mose praecinente sup. ver. 1. de Maria ver. 20. & 21.) sic & apud Homerum Priamus Trojanis, Hecuba Troadibus dux chori erat, Iliad. XXII. 429.

Ὡς ἄρα φωνήσασα γόοιο, ἐπὶ δὲ στενάχοντο πολῖται·
Τρωῇσιν δ' Ἑκάβη ἀδινὸν ἐξῆρχε γόοιο.
Sic canit illacrymans, cui cives adgemuerunt:
Troadibusque Hecube praeiit tunc lugubre carmen.

Confer. Il. XXIV. 723. 746. 761.

Quibus praecinebat (Maria) *dicens: Cantemus Domino* &c.] Ita noster interpres ex LXX, qui habent: Ἐξῆρχε δὲ αὐτῶν Μαριάμ. Ceterum Hebraeus codex praefert: ותען להם *vattaan lahem, Et respondit eis*, nimirum Mosi & viris praecinentibus. Ex quibus patet, primum cantici versiculum (tanquam intercalarem scil. singulis fortasse cantici versibus) a choro mulierum infertum fuisse. Idque cum ita, uti dixi, factum existimem; proinde τὸ ותען *vattaan* interpretari ad litteram malim, *Et respondebat*. Non enim notare vult Moses, quid Soror universo absoluto hymno responderit, sed quodnam intercalarium singulis versiculis subjiceret. Nec dissimili modo Psalmus VIII. se habet, ubi primum versiculum *Domine Dominus noster* &c. etiam in fine, ut hîc, additum vides. Nec tantum in fine (ni fallor) sed cum ille hymnus concinebatur, post singula commata chorum alterum respondisse crediderim illud *Domine Dominus noster*. Hinc plane, quod etiamnum in Epiphaniae officio binis ferme Psalmi *Venite* versibus ejusdem Psalmi initium a choro inferitur, id summam antiquitatem redolet, ac veterem psallendi disciplinam ab Judaeorum, ut videtur, psalmodia profectam.

Suspicor enim non aliam antiquitus fuisse pluries canendorum psalmorum rationem, quam quomodo Psalmus ille *Venite* nunc quoque concinitur, maxime in Epiphaniae festo. An id sibi volunt Graeci canonum interpretes, cum Psaltae munus esse dicunt διατάρχεσθαι τῶν θείων ψαλμῳδημάτων· τὸ γὰρ συμψάλλειν καὶ λαϊκὸς ἐπ' ἐκκλησίας ἐξουσιάζεται. Alteram intercalandi rationem ad Ps. 135. notavimus. Ac nescio quomodo illa Theocriti aliorumque Graecorum Idyllia, necnon Eclogas Maronis praeterieram, in quibus par intercalandi ratio servatur.

AD EX. XV. 23.

Et venerunt in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara, eo quod essent amarae: unde & congruum loco nomen imposuit, vocans illum Mara, i. e. Amaritudinem.] In *Diptycho*, quod sub Aur. Prudentii nomine circumfertur, describitur haec historia tetrasticho 13. cujus est hoc lemma: *Lacus myrrhae in deserto*. Ex

quo

quo lemmate apparet, auctoris hujus aetate *myrrham* pro *amaris aquis* in verſione Latina (h. e. Itala ex qua utique hoc lemma deſumptum) poſitum tunc fuiſſe, tanquam ſi Hebraice מור *mor* non מר *mar* legeretur. Verum in antiquioribus Italae exemplaribus non *Myrrha* ſed *Merrha* ei loco nomen fuit, uti conſtat ex Auguſtino, Ambroſio, Paulino, & ex Graecis exemplaribus. Ac ſane in vocalibus tota varietas eſt, in quibus raro antiquis Graecorum Latinorumque Bibliis cum hodiernis Maſoretarum punctis convenit in propriis nominibus: nec aliud in ceteris dictionibus deprehendimus in pauciſſimis, quae nunc ſuperſunt, Origenis Hexaplorum reliquiis.

AD EX. XVI. 4.

Vt tentem eum utrum ambulet in lege mea, an non.] Hoc eſt quemadmodum domini ſervis non amplius quam dimenſa diurna admetiebantur, ut ſic eos in officio continerent, alioqui eorum contumaciam inedia domituri; eâdem Deus oeconomia erga Iſraëlitas ſervos ſuos utebatur.

AD EX. XVI. 10. 11.

Et ecce gloria Domini apparuit in nube. Locutus eſt autem Dominus ad Moyſen.] Saepe hoc & ſequentibus Pentateuchi libris *apparuiſſe* legitur *gloria Domini* h. e. ſplendor eximius & inuſitatus, adventus praeſentiaeq. divinae indicium. Nec *Nubes* aberat, quia in nube Dei thronus figuratur. Haec quidem ſatis in libris divinis obvia: nec mirandum, ſi & hoc diabolus more ſuo docuerit cultores ſuos, apud quos paria de diis tradita fuiſſe, ex Homeri & aliorum poëmatis abunde cognoſcitur. Nec tantum nubibus amiciri dii ſolebant, uti paſſim apud Homerum (13) & alios, verum & *nube ſedere*. Apud Virg. Aen. IX. 640. Apollo inducitur *Nube ſedens*. Ad quod ſic adnotat Servius: *NVBE SEDENS, ſicut ſolent numina. Juno: Nec tu me aëria ſolam nunc ſede videres Digna indigna pati.* Imo non tantum in ſedile Dei adhibebatur nubes, ſed & in currum. Infra Ex. XIX. 9. *Veniam ad te in caligine nubis.* Poſtremo uſque adeo nubibus inſidere peculiare deorum fuit, ut in veteribus anaglyptis atque picturis non aliud certius indicium de eo, utrum caeleſtes an mortales oculis ſubjiciantur, ſit, quam ſi nubibus an terrenis inſiſtant.

AD EX. XVI. 18.

Et menſi ſunt ad menſuram gomer; nec qui plus collegerat, habuit amplius, nec qui minus paraverat, reperit minus.] Haec poſtrema verba miraculum praeſeferunt. Sed nihil tale in fonte; nam ſolum inde colligitur, omnes ad menſuram gomer, id quod collegerant, fuiſſe dimenſos: ex quo inferri videtur, exceſſum eorum, qui plus collegiſſent, fuiſſe ab eisdem detractum, idque ijs, qui minus legerant in complementum ceſſiſſe. Atq. hinc ſequitur, illud לקטו *lakatu* (quod *colligendi* notione pollet) in fine commatis hujus non de ea quantitate accipi, quam humi ſparſam mane ſibi quiſque congregarant, ſed de ea quam veſperi

(13) Frequens apud Homerum νέφεϊ κεκαλύφθαι, *nube amiciri*, aut νέφεα ἕσσασθαι, *nubem induere*, de diis uſurpatum, ſive ubi ſe ipſi, ſive etiam ubi alios eo amictu obnubunt. Tale eſt hoc alterum de Aenea & Achate Aen. I. 520.

Diſſimulant, & nube cava ſpectantur amicti.

ſperi ſibi pro dimenſo diurno aſſignatam in ſuum quiſque ſaccum (לקטו *lakatu*) *collegerunt*. Deus enim dimenſa diurna Iſraëlitis, tanquam ſervis herus ſubminiſtrabat. Fatendum tamen LXXviralem Vulgatae verſioni favere. De *Manna* (de quo hoc cap. agitur) dixi plura in Additis ad Voſſian. Etymologicum.

AD EX. XVI. 19.

Nullus relinquat ex eo in mane.] Vetatur Hebraeis, ne in craſtinum particulam mannae reſervent. Qui ergo minore cibi modulo contenti erant, totumne dimenſum, vel ſi repletione rumperentur, erant abſumpturi? Affirmant plerique, ſed miraculum comminiſcuntur, quo fiebat, ut iſtis ὀλιγαρκέσιν (*parvo contentis*) iſtis rarioris ſubſtantiae dimenſum ſuum evaderet, ne forte opprimerentur: contra vero edacioribus idem dimenſum ὑσιωδέστερον fieret. Mihi quidem a gratuitis miraculis abhorret animus. Satius eſt dicere frugaliores Iſraëlitas poſt caenam reliquias exportaſſe extra caſtra, ſed ante occaſum ſideris, nempe a ſolis ſimul & arenae fervore colliquefaciendas. Nam idcirco ver. 21. dicitur: *Cumque incaluiſſet ſol, liquefiebat*, fortaſſe ut intelligeremus, eodem ſole etiam menſarum reliquias eſſe abſumptas. Quod reliquias extra caſtra exportaverint, colligo ex ver. 23. ubi praecipitur Iſraëlitis, ut die ſexto *quidquid reliquum fuerit, reponant uſque in mane:* Hebraice eſt הניחו *hannichu* h. e. *manere facite*, ſeponite in craſtinum, non vero, ſicut ceteris diebus, exportate reliquias extra caſtra.

AD EX. XVII. 9.

Virgam Dei.] Virga Dei appellatur virga illa θαυματοῦργος, qua Moſe tot ſigna patrabat; eâdem loquendi ratione, qua *montes Dei*, *cedros Dei*, & cetera eâdem amplificandi ratione, qua in ſuo ſingula genere eximia putata, in Scripturis uſurpantur.

AD EX. XVII. 11.

Cumque levaret Moyſes manus, vincebat Iſraël.] Is habitus geſtuſq. orantibus a natura ingenitus inde probatur, quod idem apud omnes nationes obtinuerit. Ariſtoteles de Mundo: πάντες ἄνθρωποι ἀνατείνομεν τὰς χεῖρας εἰς τὸν οὐρανὸν εὐχὰς ποιούμενοι. *Surſum in caelum tollimus manus omnes, ubi operam precationi damus.* Id inde profectum, quod divinitatem in ſublimi poſitam omnes exiſtimarunt: unde caelum θεῶν ἕδος poëtis appellatum; & idem Ariſtoteles θεῦ οἰκητήριον τοῦ κόσμου τὸ ἄνω, *ſuperiora mundi habitaculum eſſe Dei*, affirmat.

AD EX. XVII. 12.

Aaron autem & Hur ſuſtentabant manus ejus ex utraque parte: & factum eſt, ut manus illius non laſſarentur.] Chriſtiani veteres manibus ſublatis orabant, & ſiquando laſſarentur, *fulciri a ſervis* brachia ſinebant. Vide in Bonarrotii *Vitris coemeterialibus* pag. 112. & Aringum in *Roma ſubterranea*, ubi matronarum precantium brachia a famulis ſuſtentantur.

AD EX. XVIII. 2.

Tulit Sephoram uxorem Moyſi, quam (Moſes ipſe) *remiſerat.*] שלוחיה *ſcilluchcha* malim vertere *Miſſos ejus*. Idem vocabulum Mich. I. 14. *Miſſos* ſignificat. Nimirum Sephora praemiſit ante ſe miſſos, qui dicerent (id quod

verſ. 6. ſequitur) mox ſe cum filiis & Jetro adventuram .

AD EX. XVIII. 6.

Et mandavit Moyſi dicens &c.] Bene vulgatus interpres vertit : *Et mandavit Moyſi dicens* , quia per miſſos , quorum verſ. 2. fieri mentionem dixi , ſuum adventum ſignificavit : unde verſ. 7. ſequitur , Moſem *egreſſum in occurſum cognati ſui* . Jam alibi notavimus (nim. cum de Joſephi hiſtoria commentaremur , ad Geneſ. XLIV. 10.) id quod per legatos ſignificatur, perinde in Scripturis exprimi , ac ſi mandans ipſe loqueretur . *Mandandi* verbum tum antiquitus , tum & Hieronymi aetate hanc habebat ſignificationem , per miſſos aliquid dicere , id quod hodieque Galli uſurpant : quibus *Mander* eſt *faire dire* .

AD EX. XVIII. 11.

Nunc cognovi , quia magnus Dominus ſuper omnes Deos , eo quod ſuperbe egerint contra illos .] Male hinc quidam concludunt fuiſſe ante hoc tempus Jetro ſacerdotem idolorum : nam *Deos* (in Heb. אלהים *Elohim*) hoc loco intelligit *viros principes* . Spectat hoc ad formam Iſraëlitici regiminis , qui Θεαρχία erat . Nunc cognovi , Jetro ait , majorem eſſe *Javoh* Iſraëlitarum principem ceteris principibus (in Hebr. *diis*) ac potiſſimum rege Aegyptiorum , cujus *ſuperbiam* fregit . Superiore capite verſ. 7. obmurmurabat populus dicens : *Eſtne Javoh in medio noſtrum , an non* ? Ex quo ſatis perſpicitur fuiſſe Iſraëlitis perſuaſum , ſe ſub *Javoh* h. e. *Deo* duce ac principe degere . Quod vero *Elohim* hoc loco *principes viros* , & non *Deos* ſignificet , ex eo quod ſequitur, patet ; quia τὸ זדו *zadu* (h. e. *ſuperbe egerunt*) ad Aegyptios refertur , non ad Aegyptiorum Deos . Et quidem quae ſequitur obſcura in Hebraeo ſententia ita exponenda videtur : *Quia in eo , in quo ſuperbe egerunt* (Aegyptiorum principes , id recidit) *ſuper eos* , h. e. in eorum caput ſecundum vetus illud , Ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη .

AD EX. XVIII. 12.

Vt comederent panem cum eo coram Deo .] Panem ne ſrumentaceum ab Jetro una cum victimis allatum , an manna h. e. Iſraëliticum panem ? An , quod videtur vero ſimilius , omnino *comedere panem* hîc , ut ſaepe alibi , convivium agitare ſignificat ?

AD EX. XIX. 4.

Quomodo portaverim vos ſuper alas aquilarum & aſſumpſerim mihi .] Hinc etiam apud ethnicos Jovis miniſterio aquila deputabatur , quae & Ganymedem ad Jovem ſuſtulit , nec aliter quam aquilae inequitantes mortales ἀποθεούντες in caelum deportabantur : quod & ex conſecrationis deſcriptione apud Herodianum , & ex nummis , in quibus principum conſecratio exprimitur , ſatis conſtat .

AD EX. XIX. 13. 16. 19.

His locis omnibus buccinae ſive tubae clangorem non alium , quam tonitrualem fragorem viri docti interpretantur , qui tubae ſonitum imitaretur : nam certe ſupra montem Sinai tubicen nullus aut buccinator erat . Graeci (a quibus tonitrua Jupiter ore ſuo , ſicut & ab Hebraeis Deus , edere credebatur) non abſtinuere tubae tonitruique ſimilitudine . Nonnus Dionyſ. XI. 559.

Βροντάοις πατάγοισι Διὸς μυκήσατο σάλπιγξ .

Tonitruali

Tonitruali ſtrepitu Jovis immugiit tuba.
Idem Dionyſ. XXVIII. 22.
Καὶ πάταγος βρονταῖος ἐπέκτυπεν ἴκελος αὐλῷ.
Et tonitrualis ſtrepitus inſonuit ſimilis tibiae.

AD EX. XIX. 22.

Ne percutiat eos.] Cyprianus epiſt. 64. & alibi: *ne forte derelinquat illos Dominus*; ut & apud LXX μήποτε ἀπαλλάξῃ ἀπ' αὐτῶν Κύριος. Hoc propius eſt Hebraicae litterae, *Ne forte dividat in eis Dominus*. Onkelos: *Ne forte interficiat eos Dominus*: cui verſio Hieronymiana conſentit.

AD EX. XX. 2.

De domo ſervitutis.] In Hebr. *Mibbeth* (מבית) *abadim* h. e. *de domo ſervorum*. Concretum numero multitudinis pro abſtracto; ſicuti viciſſim ſaepe abſtractum pro concreto, ut in Hebraeo *Templum Sanctitatis tuae* pro *Sanctum tuum*. Talia cum trita ſint, praeſtat lectori notanda remittere.

AD EX. XX. 5.

Viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem.] Plato (ſi Themiſtio credimus pag. 258. edit. Harduin.) εἰς τετάρτην γενεὰν διαβιβάζεται τὰς τιμωρίας, *In quartam uſque generationem ſupplicia protendebat*. Niſi vero modo laudatus Themiſtius (quippe cui Ἀσσύρια γράμματα, uti vocat, i. e. Sacrae litterae innotuerunt: ex quibus illud *Cor regis in manu Domini* tribus diverſis locis attulit) cum inquam ex Moſaico fonte iſtud hauſiſſet, in Platone id legiſſe ſibi viſus fuerit. Τὸ *Uſque ad tertiam gener.* in Hebraeo eſt על שלשים *al ſhilleshim*, *Vſque ad tertios*. Hanc locutionem videtur imitatus Ezechiel Poëta in Ἐξαγωγῇ ſcribens, Καὶ Ἰακὼβ τρίτῳ: de quo Judaei hominis Hebraiſmo videor in loco dixiſſe.

Ethnicis in primis perjurii poena etiam poſteros pertingere credebatur; ut apud Homerum, Menelao vulnerato contra foedus a Pandaro, ſceleris ejus poenam etiam in poſteros derivatum iri Agamemnon praedicit. Sic etiam Glauco Epicydae filio apud Herodotum lib. VI. Pythia reſpondit, Glaucum quidem immunem a perjurii poena fore, non item ejus poſteritatem. Sed & idem Herodotus Polymn. cap. 134. narrat Spartanorum crimen, qui Xerxis legatos crudeliter occiderant, impunitum non ſiviſſe Divinam vindictam, quae poenam patribus debitam, ab eorum poſteris exegit. Ac notarunt Scriptores Graeci, Philippo Macedoni, uni omnium principum maxime perfido ac foediſrago, poenam a Numine irrogatam, eamdemq. in omnem ejus poſteritatem redundaſſe.

At vero reclamat Cicero: *Acerbum eſt*, inquit, *parentum ſcelera filiorum poenis lui, ut ad liberos, qui nil meruerunt, poena perveniat*. Item Calliſtratus l. crimen. D. de poenis. *Vnuſquiſque ex ſuo admiſſo ſorti ſubjicitur, nec alieni criminis ſucceſſor conſtituitur*. Verum ex aliis Scripturae locis aperte lis ſcinditur: ex quibus aperte conſtat, ita demum filios poenae parentibus debitae obnoxios fore, ſi avitorum criminum imitatores exſtiterint. Philo: Εἰ μὲν ξυνέμαρτον, καὶ συγκολαζέσθωσαν. *Si ſocii criminis, etiam ſupplicii ſunto*.

AD EX. XX. 7.

Non aſſumes nomen Dei tui in vanum.] Hebr. לשוא *laſhav*: quae vox He-

braeis non aliud quam *falſum*, *mendaciumve* ſignificat. Confer Calaſii (14) Concordantias & lexica cetera: non aliter quam dixi reperies. Ac miror plures fuiſſe viros cordatos, qui iſtud *Jurare* לשוא *lashav* pro *Jurare fruſtra*, *incaſſum*, ſive pro re minime neceſſaria acceperint, hodieque accipiant. Fons erroris hujus ex Latino *In vanum* ortus fuit. Quamvis enim in vetere Latio fere ſemper *Vanus* idem ac *falſus*, mendaxque fuerit, aut ſaltem eo ſemper trahatur; tamen quia in linguis vernaculis is rigor Latinitatis elanguit, ita ut vox *Vanum vanitaſque* de non ſeriis, deq. nullius momenti rebus hodie uſurpetur; ex eo factum, ut veterum Latinorum loca ſecus accipiantur, & ad ingenium hodiernarum linguarum trahantur. Itaq. quis nunc apud Terentium legens (Phorm. III. 2. *Non pudet vanitatis?*) non argui ludrica potius quam falſitatem mendaciaq. exiſtimaverit? At percurre quaeſo Latina lexica Rob. Stephani & aliorum, vix aut rariſſime aliter *Vanum* cum ſuis derivatis quam pro *mendace*, *mendaciove* reperies. In Graeco ſermone vide in H. Steph. Μάτην cum derivatis: prope paria reperies, modo noveris in auctorum locis quasdam translationum origines apte rimari. Ergo quia apud Italos nomina *Vano* & *Vanità* carent hodie notione mendacii, quae ex veteribus linguis transfundi in ea vocabula debuiſſet; idcirco Italiſmus, Galliciſmus & hodiernarum linguarum ſpiritus Moſaico loco huic fraudi fuit. Quare nunc vix unus aut alter magnorum virorum recte hunc decalogi locum accepit. At tu ne dubita quin hîc *In vanum* tantumdem ſit, quod in mendacii teſtificationem. Accedit illa theologorum obſervatio, nim. in his decalogi praeceptis plerumq. graviſſima quaeq. in unoquoq. genere directe vetari, cetera vero minora tacite ad ſuum quaeque genus revocari: veluti ſub homicidio vetantur plagae, & laeſio quaelibet: ſub adulterio ſtuprum, & quaevis impudicitia: ſub falſa teſtificatione mendacium, & ita in aliis. Nunc ſi quis in re futili, ſed cum vero juraverit, eritne hoc crimen in hoc genere graviſſimum? quis hoc ſomniavit? Interim vero cur perjurium omittitur, in quo Deus (cujus natura Veritas) graviſſime laeditur? Ergo non eſt prorſus dubitandum, quin hîc *In vanum* ſit idem quod in mendacii teſtimonium; quia non aliud *vani* vocabulum niſi falſitatem in Hebraica aliiſque Orientis linguis, imo & plerumq. Latine, ac ſaepiſſime etiam Graece ſignificat.

AD EX. XX. 8. 9.

Memento ut diem Sabbati ſanctifices. Sex diebus operaberis: Septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui eſt . . .] Duo complectitur Sabbati religio, ἁγιασμὸν & ἀργίαν *ſanctificationem* & *ceſſationem*. Vtriuſque rei derivationes jam olim a populo Dei ad alienigenas transfuſae. Nam utrumque in profanorum feſtis licet animadvertere: quae in id a priſcis inſtituta, affirmat Athenaeus lib. IX. uti recreationem aliquam defeſſi operibus haberent mortales, ſimulque ut natam ex otio luxuriam refraenarent, deos veriti, quos conviviis adhibebant. Plato in ſecundo de legibus cenſet, deos laborioſam vitam mortalium miſeratos, ad laborum remiſſionem ſollemnia ſacra ac feſta inſtituiſſe, ſimulque ut cum Apolline ac

(14) Niſi quod Calaſius duo diverſa themata (שוא *shaa* & שוא *shava*) in unum שוא *shavah* redegit (& quidem non recto judicio) in cujus quartam claſſem exempla שוא *shav* compulit. Ergo in Calaſii themate שוא (claſſibus tribus prioribus omiſſis, utpote a שוא *shav* alienis) in ejus claſſe IV. conſiſte: in qua uberem copiam exemplorum nactus, omnia ad unum de *falſo* ſive *mendacio* accipi comperies.

ac Muſis ceteriſque diis convivia celebrarent, nim. ad compeſcendam licentiam. De more vocandi deos ad convivia, vide Feithium I. antiq. Homeric. 10. Apud Homerum Od. XXI. Antinous nefas eſſe ait die feſto arcum tendere:

Τίς δέ κε τόξα τιταίνοιτ', ἀλλὰ ἴκηται
Κάτθετ'.

In quem locum Euſtathius admonet, feſti laetitiam non poſſe cum labore componi: ὡς τῆς ἑορτῆς, inquit, ἀργίαν ἐθελούσης. Theocritus: Αἴργους αἰὲν ἑορτά.

Apud Romanos tamen *feſtis quaedam exercere diebus fas & jura ſinebant*. Quin & veteribus Chriſtianis laxior fuit diei Dominici requies: quae poſtea ſub Conſtantino ſanctior evaſit. Etenim Conſtantinus apud Euſeb. IV. *de vita Conſt.* 18. die Dominico σχολὴν ἄγειν edixit: quod quemadmodum fuerit intelligendum, dicent Canonum interpretes.

Sex diebus operaberis.] Hebr. *thahabod* h. e. *ſervies*. Hinc *operibus ſervilibus* nomen inventum. Ciceroni *famulum opus* dicitur.

AD EX. XX. 10.

Septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui eſt: non facies omne opus in eo, tu & fil. tuus & filia tua, ſervus tuus & ancilla tua, jumentum tuum, & advena qui eſt intra portas tuas.] Hoc generale ab operib. interdictum vocare *Ceſſationem* abſolute ſolemus, ſubaudito ſcil. *Ab operibus famulis*: cui reſpondet apud Graecos vox Ἐκεχειρία h. e. *manuum continentia*: quae videbatur vox generalis eſſe, niſi Ἐκεχειρία conſuevisſet de ceſſatione a pugnando accipi, unde huic voci tacite Gellius ſuppleri jubet *A pugna pacticiam*. *Graeci* (inquit I. 25.) *ceſſationem iſtam pugnae pacticiam* ἐκεχειρίαν *dixerunt*. Eadem notione Thucydides & forſitan Gudiana (15) inſcriptio ita uſurparant, ut non niſi de *ceſſatione pugnae pactitia* (nam ubi pactio abeſt, non dicuntur *induciae*) ἐκεχειρίας voce uſi fuerint. Hîc tamen quaeri poterat, utrum ſicuti Latini *Continere manus* non tantum a pugna, ſed & ab alia re qualibet uſurpant, eâdem & Graeci libertate in ἐκεχειρία (quae eâdem notione pollet) uſi fuerint. Ac ſane interdum, opinor, uſi. Parco conquirendis locis; quia Joſephus in eapte re uſurpavit, de qua loquimur. Nam lib. I. cap. 1. ubi, expoſitis divinis ſex dierum operibus, ad ſeptimum diem venit, ita poſuit: *Et mundum ſex quidem illis diebus, cum omnibus quae in eo ſunt, Moyſes conditum eſſe dicit: ſeptima autem quieviſſe Deum* (καὶ ΛΑΒΕΙΝ ΑΠΟ ΤΩΝ ΕΡΓΩΝ ΕΚΕΧΕΙΡΙΑΝ) *& ab operibus ceſſaviſſe: unde & nos a laboribus die illo ceſſamus, vocantes eam Sabbatum, quae vox requiem Hebraeorum ſermone notat*. Ex quo vides ἐκεχειρίαν non tantum ad inducias (quae tamen uſum vocis hujus jamdiu ſibi arrogarunt) pertinere, ſed & ad quamlibet aliam manuum continentiam: ita ut auctore Joſepho Sabbati ceſſatio recte ἐκεχειρία nuncupetur.

Ac nulla gentium quamlibet efferatarum fuit, quam non ceſſationis hujus a Deo juſſae obſervatio tetigerit. Nec animus eſt ad gentium circa ferias inſtituta digredi. Satis erit de Romanis, quos ex Tuſcorum vicinia hiſce imbutos moribus eſſe oportuit, pauca ex Feſto, quae ſunt paullo abſtruſiora, memorare.

(15) Gudiana inſcriptio (qua de menſis *Artemiſii* totius ἐκεχειρία in Dianae utique honorem agitur) ex Gudianae collectionis Praefatione deſcripta, huc illata fuerat. Veram ſchedula illa deperiit, qua & hoc, & alia nonnulla continebantur.

morare. Nam planiora quae ſunt, ex aliis corradere ſuperfluum.

Ergo miſſis aliis, haud facilem Feſti locum adſcribam, ad Romanarum feriarum diſciplinam magnopere pertinentem. Feſtus ergo in *Praeciamitatores* (an potius (16) *Praeclamitatores*) ita loquitur: *Praeciamitatores dicuntur, qui flaminibus, Diali, Quirinali, Martiali antecedentes, exclamant feriis publicis, ut homines abſtineant ſe opere; quia bis* (flaminibus) *opus facientem videre religioſum eſt.* Mox idem Feſtus in *Praecias*, ita refert: *Praecias* (17) *dicebant, qui a flaminibus praemittebantur, ut denunciarent opificibus, manus abſtinerent ab opere; ne, ſi vidiſſet Sacerdos facientem opus, ſacra polluerentur.* Macrobius I. 16. *Regem ſacrorum flamineſque non licebat videre feriis opus fieri, & ideo per praeconem denuntiabatur, nequid tale ageretur, & praecepti negligens multabatur .... Qui talibus diebus imprudens aliquid egiſſet, porco piaculum dare debere: prudentem expiare non poſſe.* Poſtremo Servius: *Sunt enim aliqua, quae ſi feſtis diebus fiant, ferias polluant: quapropter & pontifices ſacrificaturi praemittere calatores ſuos ſolent, ut ſicubi viderint opifices adſidentes, opus ſuum prohibeant: ne pro negotio ſuo & ipſorum oculos, & caerimonias deûm attaminent.*

AD EX. XX. 12.

Honora patrem tuum & matrem tuam, ut ſis longaevus ſuper terram.] Ex aliis Scripturae locis, & ex N. T. verbis illis: *Viduas honora*, itemq. illud *Duplici honore digni habeantur*: & *Honorem abundantiorem*; & quod reprehenduntur Phariſaei, qui ſub obtentu muneris offerendi Deo, interim parentes ſuos inopia conficiebant: ex his, inquam, aliiſque colligitur, honorem non eo pertinere tantum, ut verbis, ut aſſurrectione colantur genitores, ſed potiſſimum ut alantur, ſi ipſi velint longaevi eſſe. Idque natura gentibus omnibus alte impreſſit. Atque ea ſunt θρεπτήρια, quae heroicis ipſis temporibus parentibus debebantur; quae qui non exſolverent, immaturo fato interire dicerentur. Homerus de Simoiſio & Hippothoo immatura morte praereptis:

ὐδὲ τοκεῦσι
Θρεπτὰ φίλοις ἀπέδωκε· μινυνθάδιος δὲ οἱ αἰών.
Quod caris alimenta parentibus uſque negaſſet,
Illi vita brevis.

Heſiodus Ἔργοις ver. 118. inter ſaeculi ferrei ſcelera ponit, quod

ὐδὲ μὲν οἵγε
Γηράντεσσι τοκεῦσιν ἀπὸ θρεπτήρια δοῖεν.
Debita nec ſenibus genitoribus ulla rependunt
Praemia.

Singulare eſt apud Aegyptios illud, quod filiae, non item filii, alendorum parentum neceſſitate tenebantur, teſte Herodoto Euterpe: Τρέφειν τὺς τοκέας τοῖσι μὲν παισὶ ὐδεμίη ἀνάγκη μὴ βουλομένοισι, τῇσι δὲ θυγατράσι πᾶσα ἀνάγκη, καὶ μὴ βουλομένῃσι. AD

(16) *Praeciamitatores* (ita in Feſto legitur: quod Scaliger adprobat, reſolvens in *Praeciae* & in *Metatores*: eum vide: at in Feſto Pauli eſt *Praeclamitatores*, quod plauſibilius) Feſtus ergo: *Praeciamitatores dicuntur, qui flaminibus Diali, Quirinali, Martiali antecedentes exclamant feriis publicis, ut homines abſtineant ſe opere, quia bis opus facientem videre religioſum eſt.* Hoc ultimum in Feſto Pauli legitur, *Inreligioſum erat*. Verum in hoc locutionum genere *Religioſum* pro *inreligioſo* accipitur.

(17) *Praeciae* ἀπὸ τῦ *Praecire* (cujus thema *Praecio*) formatum.

AD EX. XX. 17.

Non concupiſces domum proximi tui, nec deſiderabis uxorem ejus, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, nec omnia quae illius ſunt.] Initium praecepti hujus tantum ordine differt a Deut. V. 21. ubi uxor domui praeponitur, quae uxor hîc poſtponitur. Verum hîc *Domus*, quia non accipitur uti aedificium, ſed puto pro univerſitate bonorum, & uti continens uxorem, filios, famulitia, & bona cetera; idcirco vox *domus* tamquam incorporale nomen, praeponitur rebus ceteris, quas *Domus* continet. Inter has autem Vxor prima nominatur, quia dignior ceteris. At in Deuter. uxor non uti poſſeſſio habetur, ſed uti ſocia viri ſui, ac propterea ceteris anteponitur, etiam domui, pro mero praedio acceptae.

Nunc illud exquiramus, utrum praeter externa peccata, etiam interna, Decalogo compeſcantur, atque hoc ſaltem mandato, quo deſideria praefocari, verba ipſa jubent. *Non concupiſces* hoc, aut illud. Quid apertius? Et tamen longe aliſid comperiemus, modo verba quibus utuntur hîc Eloquia Divina, expendamus. Nam quibus verbis damnari interna deſideria videbantur, ea verba ad externos potius exceſſus ſignificandos valent. Etenim in Marci Evangelio (X. 19.) pro *Non concupiſces*, Chriſtus hoc praeceptum ita propoſuit, *Ne fraudem feceris*: in Graeco, Μὴ ἀποστερήσῃς. Quo intellecto, ecce tibi mandatum iſtud, quod ante videbatur ad interna deſideria referendum, haud dubie externum evadet; eoque aliorum bona atque commoda quaelibet vetamur intervertere. JCtus Paullus l. 1. D. de extraord. crim. (lib. XLVII. Dig. tit. XI.) *Sollicitatores alienarum nuptiarum, itemque matrimoniorum interpellatores, etſi effectu ſceleris potiri non poſſunt; propter VOLVNTATEM perniciosae libidinis* (ecce tibi caſtigatur *Voluntas*) *extra ordinem puniuntur*. Ergo verba *Concupiſco*, & ἐπιθυμέω, & Hebr. חמד *chamad* non ſunt de mere internis animi cupidinibus, motibuſque verum de iis quae foras in effectus prorumpunt, itaut in hoc Marci Decalogi breviario (Marc. X. 19.) ἐπιθυμέω & *Concupiſco* ſint actuum tam internorum quam externorum verba, quia cum ἀποστερέω h. e. *fraudem facio* permutarunt: de quo mox in loco dicam.

Atque ex hac explicatione, qua *Concupiſcere* pro *Attentare* ſumimus, non ſequitur tamen internam mentis concupiſcentiam hîc a Moſe non cohiberi. Nam ſolet Legislator directe atrociora vetare crimina, ſub quorum tamen ambitu etiam minora continentur, ut ſub homicidio mutilatio prohibetur, ſub adulterio ſtuprum. Ita hîc qui ſollicitari alterius pudicitiam vetat, etiam internas animi cupiditates opprimi cito jubet: unde pulchre per Jacobum Apoſt. (I. 15.) ſcribitur: *Concupiſcentia cum conceperit* (tum enim incipit lethalis eſſe) *parit peccatum: peccatum vero cum* (conſenſu aut opere) *conſummatum fuerit, generat mortem*. Faceſſant igitur Judaei, per quos magiſtros turpibus cogitationibus ac deſideriis immorari & inſordeſcere licet. Atqui a cujuſvis generis concupiſcentiis ita timendum eſt, quaſi ſi jam conceperint, culpamq. pepererint: unde Paulus Act. XX. 33. proteſtatur: *Argentum aut aurum aut veſtem nullius* (ἐπεθύμησα) *concupivi*: quod idem ac *interverti*, quia tam modico intervallo peccati conceptio a peccati partu divellitur, ut inter ſe confundantur.

Poſſremo hue illud mirificum reſervaram, quod in illo Decalogi breviario ex ore Chriſti profecto (Marci X. 19.) id quod alibi ſaepe μὴ ἐπιθυμῆς (*Ne concupiſcas*) dicitur, illud idem quaſi per aequipollens, Μὴ ἀποστερήσῃς in Vulgata (*Ne fraudem feceris*) enuntiatur. Quid ita? niſi quia *concupiſcere* (ubi per-

veneris

veneris ad aſſenſionem) tantumdem eſt quod prodiens in lucem crimen . Atque in hunc Marci locum in meis ad N. T. ſchedis quaedam olim contuleram . Verum ταυτότης argumenti vetuit , ne rem tantulam in tempus aliud reſervarem , ſuaſitque ut huc eadem illa Marci refunderem , ſed ſeorſum a Moſaicis Exodi . Itaque paucula illa in Marci locum adnotata in pagellam imam contuli , quaſi ſi una ex numero Adnotationum (18) ſit .

AD EX. XX. 24.

Altare de terra facietis mihi .] Non de terra ſolutiore ac diffluente , verum ex humo caeſpititia , cujuſmodi in ſtruendis aris temporariis deſcribi a veteribus ſolent . Caeſpititia terra humum ſimul cum gramine continens (unde in Gloſſis pulchre χορτόβωλος nuncupatur) ipſa ſe facile ſuſtentabat , unde ad muros ſubitarios , ad menſas , ad aras , ad ducum tribunalia erigenda celeriter adhibebatur . Nam prius ceſpites ad certum modulum caedebantur (is modulus a Vegetio III. 8. ita deſcribitur) ex circumceſis vero ceſpitibus facile id , in quod caeſi fuerant , compingebatur . Ergo altaria in deſerto uſurpata , ſicuti facile parabilia erant , ita & facilius diſſolvebantur . Et intererat facile diſlipari , antequam caſtra moverent , ne a profanis altaria Domini polluerentur .

Exſtat in Exodi calce noſtra quaedam Diſſertatio *De Moſaico Altari ceſpititio* : quam ſi curae fuerit , conſules .

Et offeretis ſuper eo holocauſta & pacifica veſtra .] שלם *shelem* & in plur. שלמים *shelamim* hîc & plerumq. alibi Graeci abſolute reddiderunt Σωτήρια i. e. *Salutaria* , ſive *ſacrificia pro ſalute* ; quod vetus Itala Seniorum ſequax hîc apud Auguſtinum

(18) *In Marci X.* 19. *animadverſio* .

Ne fraudem fecerit .] Gr. μὴ ἀποστερήσῃς ne quid proximi tui per fraudem intervertas ſive debitum infitiando (in Gloſſis veter. Ἀποστρῶ , *Abnego* : Ἀποστρεῖ Infitiatur : Ἀποστρευτὴς Infitiator) ſive mercedem retinendo (unde Jac. V. 4. μισθὸς ὁ ἀπεστερημένος , *intercepta merces* ; itemque Eccleſiaſtici IV. 1. XXXIV. 24. & in Graeco Deut. XXIV. 14. & Mal. III. 5.) ſive omnino τῷ ἀδικεῖν injuſte quovis modo agendo reſpondet , ut I. Cor. VI. 8.

Ex ordine autem quo haec praecepta hîc referuntur , patet iſtud μὴ ἀποστερήσῃς reſpondere huic alteri οὐκ ἐπιθυμήσεις (ut in Decalogo Moſaico Ex. XX. 17.) ejuſque loco eſſe ; atque hinc fieri in hoc praecepto τὸ ἐπιθυμεῖν (quod verbum apud LXX in Exodo & Deuter. & ad Rom. in hoc legis capite uſurpatur) non ad mere internas animi cupiditates eſſe referendum , verum etiam ad externos conatus ac ſtudia ; quaſi ſi dixiſſet *ne fraude* aggrediaris . Tritum illud eſt , quod in Neocaeſarienſi Canone IV. ἐπιθυμοῦσι de eo capitur , qui mulierem ſollicitat . Ac Latinum equidem verbum non aliud reperio , quo melius vim τῆ ἐπιθυμίᾳ exprimam , quam hoc *Ne quid adpetas* . Nam *Appeto* non tantum eſt cupiendi , ſed & invadendi ſeu attentandi verbum . Cic. pro Roſc. Comoedo cap. 8. *Is per ſummam fraudem & malitiam & perfidiam H-S.* ɔɔɔ *appetiit* : quod alibi eàdem orat. *fraudandi* verbo expoſuit , ut ταυτότητα locutionis animadvertas . Gloſſae veteres Ἐπιθυμοῦντες vertunt *Adpetentes* . Hinc & ipſum *Concupisca* idem prorſus eſt quod ἀποστερῇ i. e. *interverto* , *adpeto* : ut non tantum hîc apud Marcum , ſed & in vetere inſcriptione Romana apud Fleetwood pag. 214. num. 3. ubi de Zozimo M. Canulei liberto dicitur : *Multum . ponderis . auri . & . argenti* . (patroni ſui) *penes . eum . ſemper . fuit . CONCVPIIT . ex . eo . nihil . nunquam* . H. e. nihil in rem ſuam convertit , nihil intervertit .

Sed & Cicero non alia notione eodem verbo ſaepe utitur ; ut pro Sex. Roſc. cap. 37. *At quî ei venit in mentem praedia concupiſcere hominis ignoti , quem omnino numquam viderat* ? Vbi orationis συνοχὴν docet *concupiſcere* hîc eſſe ἀποστερῆσαι . Sic & VII. ep. 13. *Caeſar omnia omnium concupivit* . Et alibi pluries apud veteres melioris aevi ſcriptores . Ad ſummam *Concupiſcere* ubi ſive pro fraude ſive pro ſtupro capitur , λιτότης eſt ac modeſta criminis expoſitio , eaque veriſſima , quia qui in his deliquerit , quis dubitat , eum ante perdite concupiviſſe ?

guſtinum (& credo alibi) retinebat, quippe *Salutaria* abſolute vertens. Sed iidem LXX haud raro εἰρηνικὰς θυσίας *hoſtias pacificas* verterunt, ſane melius quia Hebraeo convenienter: unde id merito Hieronymus ſive *pacificas hoſtias* ſive *pacifica* abſolute interpretatur; appoſite opinor, & cum judicio, quia proxime litteram Hebraicam.

Cum autem plerique ſacrorum ritus atque vocabula ab Hebraeis ad finitimos Chanaanitas, ab his vero ad Chanaanitarum colonos Tyrrhenos, ac poſtremo per hos ad tot Italiae nationes, praecipue in Latium populoſque Latio ſubjectos manarint; hinc mirum non eſt ſi *Pacis* nomen cum apud Graecos haud facile in re ſacrificali reperiatur; contra apud Romanos ſcriptores frequentiſſimum ſit, maxime ubi de *litatione* agitur. Nam *Pacem invenire deûm* erat tantumdem quod *Litare*. Ergo recte Vulgatus τὸ שלם *shelem*, *Pacifica* reddidit. Neque id a Latinis auribus alienum: nam & Silius V. 421. *Pacificans divos* (*pacificis* utique ſacrificiis) uſurparat, & Virgilius IV. Aen. *Pacemque per aras expoſcunt*. Sic idem Poëta *exquirere pacem per aras* alibi dixit: quae tum demum inventa eſſe dicitur, ubi litatum eſt. Livius VI. 1. *Quidam, quod poſtridie Idus Quintiles non LITASSET Sulpicius tribunus militum, neque INVENTA PACE DEVM poſt diem tertium cum objectus hoſti exercitus Rom. eſſet, etiam poſtrid. Id. rebus divinis ſuperſederi juſſum . . . putant*. Parco equidem exemplis aliis huc comportandis: nam in ſubjectam oram (19) plura contuli.

AD EX. XXI. 2.

Si emeris ſervum Hebraeum, ſex annis ſerviet tibi: in ſeptimo egredietur liber gratis.] Saturnaliorum feſtum cum hoc loco Moſaico conferunt, ſi memini, viri eruditi. Verum aliis antiquius videtur Peloriorum feſtum apud Theſſalos, quod deſcribit Athenaeus XIV. 10. Eo feſto vincti ſolvebantur, famuli dominorum menſae maxima cum libertate accumbebant. Conſer & aliorum populorum veterum non abſimiles mores, quos ante Peloriorum mentionem ibid. Athenaeus narrat, & quidem ex Moſaico fonte pleroſque, ut opinor, transfuſos.

Quid quod Aramaei & Chananaei haud paullo Moſe antiquiores jam ante eisdem moribus utebantur? Jacob una primum annorum hebdomade, tum inſuper & altera Labano ſervivit, etſi longe liberaliore genere ſervitutis: Sed hinc tamen

(19) *Quod ſacrificia Pacifica populi Dei* (*Heb.* שלמים shelamim *dicta, Graecis inaudita: at vero apud Latinos a Tuſcis eruditos*) *ea fuerint, per quae pax Deûm quaeri dicebatur.*

Ob publicas calamitates, ob non litatum, ante praelia, ceteraque pericula, *Pax Deûm expoſcebatur*. Virg. 3. Aen. ver. 261.

Sed votis precibuſque jubent expoſcere pacem.

Liv. I. 16. *Pacem precibus expoſcunt, uti volens propitius* &c. Idem VII. 2. *Pacis deûm expoſcendae cauſa*. Adhaec idem *Adorare pacem* pro ſimplici verbo *Orare* junxit, VI. 12. loquens de dictatore Corn. Coſſo: *Cum auſpicato prodiſſet; hoſtiâque caeſa pacem deûm adoraſſet*. Nec raro *pax* cum *peto*, *rogo*, *quaeſo*, verbiſque id genus apud Latinos jungebatur. Plautus Merc. IV. *Quaeſo ut det pacem propitius*. Cic. pro Rabir. 5. *Ab J. O. M. ceteriſque diis . . . pacem & veniam peto precorque*. Ovid. 1. Amor. II. 21. *Veniam pacemque rogamus*.

Haec aliquot loca (nam plura rimari piguit) ſufficiant, ut intelligatur haſce *Pacificas* ſacrorum locutiones, cum a veterum Graecorum ſcriptis abſint, veteri Latio non aliunde innotuiſſe, quam Etruriâ docente, quae primitus eas ab Hebraeis didicerat.

tamen cognoſcimus ſeptem annis Aramaeos ſervitutem definiviſſe. Deus autem mitiorem legem propoſuit, ut poſt ſervitutem ſexennem, ſeptimo anno liber egrediatur.

AD EX. XXI. 6.

Offeret eum Dominus diis &c.] Hebr. *Elohim* h. e. judicibus ſive magiſtratibus; qua notione ea vox infra XXII. 8. 9. 28. & alibi uſurpatur. Vide quae ſupra ad Gen. III. 5. (20) ſcripſimus, cur judices (aut quocumque alio nomine ἄρχοντες) appellentur *Elohim*, ex eo nempe, quia hoc vocabulum ſapientiam prudentiamque complectitur. Graecia vetus id genus hominum σοφὸς (*Sapientes*) appellavit: e quorum numero ſeptem illi in Graecia fuerunt, quorum ſententiae circumferuntur. Dixere autem Σοφὸς, nomine a *ſophetim* h. e. *Sufetibus* ſive judicibus tum Hebraeorum tum etiam Carthaginienſium deducto; quia in judice magiſtratuque maxime ſapientia requiritur. Quandoquidem vero vox *Elohim*, ut plurimum Deum ſignificat; hinc in Vulgata, & in Graeca, aliiſque verſionibus, hîc, & ubicunque ea vox homini tribuitur, *deos* ſunt interpretati. Ab eâdem eſt

(20) Ad Geneſis quidem III. 5. ſequens adnotatio parata fuerat. Verum cum in Geneſim commentarius ederetur, excidit illa Adnotatio: quam nunc demum reperi cum iis conſertam, quae ad Ex. XXI. 6. hic modo dedimus. Quocirca animadverſionem illam qualemcumque, hîc latentem in ſchedis Exodi nactus, integram ſubjicio.

Ad Gen. III. 5.

Et eritis ſicut Dii ſcientes bonum & malum.] Hebr. *Eritis ſicut Elohim*: quod Onkeloſo interprete (quem haud pauci τῶν ἑβδομήκοντα ſequuntur) *magnates* principeſve ſignificat. Quam verſionem quamquam pro mea adoptare non eſt animus; efficiam tamen, quo minus abſurda videatur. Cave enim credas nomen *Elohim* fuiſſe Dei peculiare: non magis certe Dei proprium erat, quam *Adonim* i. e. *Dominus*. Eſt ergo *Elohim* appellativum vocabulum, ac Deo cum Angelis hominibuſque eximiis commune, quod omnes norunt. Ac ceteroqui difficile dictu eſt, eo dementiae fuiſſe ventum, ut Dei ſimilitudo tanta aut a ſerpente mulieri promitteretur, aut ab hac appeteretur: ſed ea excellentia hîc potius aſſequenda proponitur, cujus merito interdum homines Moſaicis temporibus *Elohim* nuncupabantur. Atque huc illud facit Dan. V. 11. ubi de Daniele dicitur: *In quo temporibus avi tui ſapientia par ſapientiae deorum* (Chald. כחכמת אלהין *chechocmath Elahin*, *Sicut ſapientia deorum*) *inventa eſt*. Saepe in Exodo aliiſque ſacri eloquii libris cum hominibus communicatur hoc nomen, ac ferme cum judicibus iiſve qui populo praeerant, ut eum vetat lex τοῖς *elohim* maledicere Ex. XXII. 28, & alibi plaries. Cur autem judices ſic appellarentur, aut quae propria ſit hujus vocabuli vis, ex hoc maxime Geneſeos loco diſcimus, ubi illud (*Scientes bonum & malum*) ἐξηγητικῶς ſubjectum puto. Ergo vox *Elohim* ubi Deum deſignat, omniſcian ejusdem naturam notat; cum vero judicibus tribuitur, eam tantum notat divinarum humanarumque rerum prudentiam experientiamque, cujus merito judices magiſtratuſve evaſere. Itaque locus hic reddi poteſt: *Eritis ſicut dii* (h. e. ſicut judices magnateſve, aut quaecumque omnino τοῖς *Elohim* in Moſaica deinde lege ſubjecta notio fuit, ut ſit hîc κατὰ πρόληψιν uſurpatum id vocabulum) *Eritis*, inquit, *ſicut dii*, *quippe ſcientes bonum & malum*. Ac de *Elohim* quatenus *judices* ſignificat, videbis poſtea plura ubi ad Ex. XXI. 6. (ad hunc ſcil. locum, qui prae manibus) ventum fuerit.

At jure objiciat mihi aliquis, quod infra hoc ipſo cap. III. Gen. ver. 22. dicitur, *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt ſciens bonum & malum*. Quibus verbis Divina ſimilitudo luculenter innuitur. Cui loco ut reſpondeam, non hoc dicam, illud מנו *mimmenu* eidem Onkeloſo celeberrimo interpreti (quem Hebraei non pauci ſequuntur) eſſe tertiam perſonam ſingularem. Vltro fateor *mimmenu* eſſe plurale primae perſonae: ſed tamen verti non incommode, meo judicio poſſet, *A nobis* h. e. *ſecundum nos*, *poſt nos*, ſive cum a nobis diſceſſum fuerit: vel ſi maxime *unus ex nobis* arridet, tum nihil inde aliud quam Deo commune nomen cum magnatibus (*Elohim* dictis) colligitur. Haec olim ad Gen. III. 5. ſcripſeram, quae omiſſa hîc repoſui, in loco haud prorſus alieno.

eſt cauſa, quod apud Getas (apud quos, finitimoſq. Thracas, alioſq. barbaros multa Hebraicae doctrinae ζάπυρα ſive *ſcintillas* ſub horrida barbarie deliteſcentia deprehendi) apud iſtos, inquam, qui plurimum ſupra ceteros ſapientiae laude praeſtabat, is non modo magno in honore erat, ſed & Θεὸς plane ab omnibus appellabatur: de quo vide Strabonem lib. VII. pag. 298. Horum Θεῶν primus, eodem teſte, Xamolxis fuit, qui ſapientiae ſuae merito Θεῷ nomen adeptus fuit, ejusdemq. in ſpeluncae ſeceſſu reſponſa dantis conſilio rex cuncta faciebat. *Is mos*, pergit ibidem Geographus, *ad noſtram perduravit aetatem, ſemper aliquo reperto, qui ita eſſet comparatus, ut regi a conſiliis eſſet, & a Getis Deus appellaretur . . . Porro quo tempore Getis praerat Byrebiſtas, in quem divus Caeſar expeditionem adornavit, Decaeneus eo honore fungebatur.* Exſtat apud Jornandem hujus Decaenei, ſive ut is appellat, Decinei mentio, cui Camoſicus in ea dignitate ſucceſſerit. Ac videtur ea dignitas, a Getis ad Boios manaſſe. At de Maricco Boiorum deo Romanis arma inferente legendus eſt Tacitus II. hiſt. 61. Apud Homerum non tantum Μητίετα Ζεὺς *Conſiliarius Jupiter* vocatur, ſed & quicunq. conſilii vi polleret, eum diis parem appellare Poëta non dubitat, ut Il. XIV. 318.

Ἥ τέκε Πειρίθοον, θεόφιν μήστωρ' ἀτάλαντον,
Pirithoum quae enixa, parem dis conſiliando.

Adhaec Il. XVI. ver. 605. de Laogono Jovis ſacerdote:

- - - Θεὸς δ' ὡς τίετο δῆμῳ.
- - - *coluit populus quem Numinis inſtar.*

AD EX. XXI. 14.

Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias: ab altari meo evelles eum, ut moriatur.] Quod בערמה *beormah* i. e. *aſtute* hîc dicitur, id in legibus Atticis ἐκ προνοίας dicebatur. Vide dicta ad Num. XXXV. 11. ubi in Moſaicis Atticiſq. legibus inter ἀκουσίου Φόνου, & τὸν ἐκ προνοίας ita diſtingui notavimus, ſicuti inter diverſas duas univerſi generis partes diſtinguitur; itaut quicumq. φόνος non ἐκ προνοίας, ſed ex rixa aliove caſu accidiſſet, is continuo ad ἀκουσίων Φόνων claſſem referretur.

Homicidam ab aris avellere cum nefas ſibi Graeci veteres ducerent; tamen hanc ipſam religionem facto deteſtabantur. Hinc Ion apud Euripidem in cognomine fabula conqueritur, in hoc non recte leges hominibus fuiſſe poſitas.

Τοὺς μὲν γὰρ ἀδίκους βωμοὺς οὐχ ἵζειν ἐχρῆν,
Ἀλλ' ἐξελαύνειν· οὐδὲ γὰρ ψαύειν καλὸν
Θεῶν πονηρὰν χεῖρα· τοῖσι δ' ἐνδίκοις
Ἱερὰ καθίζειν, ὅστις ἠδικεῖτ', ἐχρῆν.
Καὶ μὴ 'πὶ ταὐτὸ τῦτ' ἰόντ' ἔχειν ἴσον,
Τόντ' ἐσθλὸν ὄντα, τόν τε μὴ, Θεῶν πάρα.
Neque improbos ſedere ad aram oportuit,
Imo repelli: non enim attrectarier
Deos manu impia decorum eſt: ſed probis
Tribuendus is dumtaxat effugii locus.
Nec debet eſſe cauſa par boni ac mali,
Ratione ut hac aequis fruantur juribus.

Et tamen cum ab altari ſceleſtos avellere religioni ſibi ducerent, quia legibus

vetitum ; variis tamen eosdem vexabant modis , templum circumsidebant , ignem admovebant , tum & aliis artibus aut facinorosos e templis eliciebant , aut vero necabant .

AD EX. XXI. 24.

Oculum pro oculo .] Hinc puto Solonis lex apud Laërtium : Ἐὰν μέν τινα ὀφθαλμὸν ἔχοντος ἐκκόψῃ τις , ἀντεκκόπτω τοὺς δύο . *Siquis unoculo oculum effoderit, uterque ei invicem effoditor .*

AD EX. XXII. 29.

Decimas tuas & primitias tuas non tardabis reddere .] Hebraice est *Plenitudinem tuam & lacrymam tuam* : quod LXX verterunt : Ἀπαρχὰς ἅλωος καὶ ληνοῦ h. e. *primitias areae & torcularis* ; seu primitias aridorum & liquidorum . Et frugum quidem primitias *plenitudinem* appellat , quod manum impleant . Sed *manipulum* aptius interpretabere ; scitum est enim frugum primitivarum manipulum offerri debuisse .

Cur autem torcularium h. e. vini & olei primitias *lacrymam* appellat ? Non alias olei & vini primitias , quae rite Deo offerrentur , fuisse conjicio , quam liquorem illum qui sponte sua , non dum ulla expressione coactus , ex uvis aut olivis guttatim , ac veluti lacrymando deflueret . Liquorem isto modo ex olivis destillantem , *oleum virginem* nostri homines vulgo appellant . Et olim quoq. fuisse in pretio Columella XII. 50. testatur : *Quoniam* , inquit , *longe melioris saporis est , quod minore vi preli , quasi luxurians , defluxerit* . Celebratur quoque nunc in Campania in vicino Vesuvii vini nigri genus nobilissimum , cui *lacrymae* nomen fecerunt , etiamsi torculari exprimatur . At videntur olim principio ex calcatis uvis vina collecta (eoq. *Lacryma* dicta) antequam torcular adhiberetur .

AD EX. XXIII. 1.

Nec junges manum tuam , ut pro impio dicas falsum testimonium .] Partim ex Hebraico textu , partim ex LXX conflata hujus loci translatio , & quidem , apposite ad sensum exprimendum . Nam junctione manuum pacta & foedera perficiebantur , quod ex veteribus nummis ostenditur . Verbi causa exstat Nervae numisma , in quo junctis manibus subjicitur haec inscriptio CONCORDIA EXERCITVVM . Ac sexcenta sunt talia numismata Graeca ac Latina . Adhaec *Dextras conjungere* apud Virg. & alios saepe in incundis foederibus usurpatur .

AD EX. XXIV. 1.

Et septuaginta senes ex Israël .] Nunc primum hujus senatus mentio exsistit . Qui primi in eum senatum allecti fuere , eos verisimile est & aetate provectos , & rerum usu atq. prudentia praeditos fuisse . At postea , vel si aetas adhuc floresceret ; tamen *seniores* dicebantur . Ab Hebraeis ea appellatio per Phoenices ad Poenos horum ἀπογόνους derivavit . Huc illud pertinet , quod Aristo Tyrius apud Livium XXXIV. 61. priusquam Carthagine profugisset , in tabellis scriptum

ſcriptum reliquit, *Ariſtonem privatim ad neminem, publice ad ſeniores (ita ſenatum vocabant) mandata habuiſſe*. Hinc & apud Graecos γερουσίας, & apud Latinos *ſenatus* orta appellatio. Sequiore aetate, adeo *ſenioratus* dignitatis magis quam aetatis nomen erat, ut inde & apud Italos vox *Signore* manarit, itemq. apud Francos, Hiſpanos, alios.

AD EX. XXIV. 5.

Miſitque juvenes de filiis Iſraël, & obtulerunt holocauſta &c.] Hebr. *Et miſit pueros* &c. Id ſi de aetate eſt capiendum (quod non eſt neceſſe) pueris uſus eſt adminiſtris, ſicuti Camillis Romani. Potuitq. is mos ab Hebraeis ad Etruſcos, & hinc ad Romanos manaſſe. Etſi Athenaeus X. 7. ab Aeolibus id ſumptum putat. Παρὰ Ῥωμαίοις οἱ εὐγενέστατοι τῶν παίδων τὴν λειτουργίαν ταύτην ἐκτελοῦσιν ἐν ταῖς δημοτελέσι τῶν θυσιῶν, πάντα τοὺς Αἰολεῖς μιμούμενοι ὡς καὶ κατὰ τοὺς τόνους τῆς φωνῆς. *Apud Romanos clariſſimo orti genere adoleſcentes hoc pariter munus obeunt in publicis ſacris: per omnia Aeolas imitantes, ut & in accentu vocis.* Idem & apud Graecorum antiquiſſimos in more fuiſſe poſitum docebit Apollonius Rhodius I. Arg. 407. in Jaſonis ſacrificio.

- - - Τὼσσ' (boves ſcil.) ἐρύσαντο
Κυρότεροι ἑτάρων βωμῷ σχεδὸν· οἱ δ' ἄρ' ἔπειτα
Χέρνιβα τ' ὐλοχύτας τε παρέσχετον.
- - - *At comitum pars junior aris*
Corpora bina bovum admorunt; aliique ſalitas
Dant fruges, necnon manibus gutturnia praebent.

Ibi Scholiaſtes ſatis vetuſtus adnotat: Κουρότεροι· ἐπεὶ ἴσως νέος ὁ Θεὸς καὶ οἱ τῶν ἑταίρων νεώτεροι τὴν θυσίαν ἐπιτελοῦσι. Καὶ Ὅμηρος ἐπὶ τῆς τῶν νέων θυσίας,

- - - Κοῦροι μὲν κρητῆρας ἐπεστέψαντο.

Hoc eſt: Κουρότεροι *dixit, nam quia Deus juventute florere creditur, eo & juvenes adminiſtros habet: id quod & ex Homero docetur.*

- - - *Crateras juvenes ac vina coronant.*

His ergo juvenibus miniſtris uſus Moſes victimas obtulit. Juvenes ſacrificiorum miniſtros Romani *Camillos* appellarunt, nomine ac re ab Etruſcis accepta, ad quos ab Hebraeis videtur hic mos manaſſe. כמרים *chemarim* Hebraeis ſunt ſacrificuli gentium: unde mutatis liquidis *Camillus*, qui *Caſmilus*, ſi memini, Etruſcis dicebatur.

AD EX. XXIV. 11.

Nec ſuper eos, qui procul receſſerant de filiis Iſraël, miſit manum ſuam.] Supple ut eos occideret, ſive ut affligeret, ut ex alibi dicendis liquet, & ex Hebraeorum perſuaſione de eo, quod nulli impune videre Deum liceat, ac poſtremo ex LXX virali translatione loci hujus. Non praetermittendum eſt autem, quod quae phraſis hîc trunca reperitur, integra Actorum XII. 1. occurrit: *Miſit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Eccleſia.* Vide quae ibi de hoc Hebraiſmo dicta.

AD EX. XXV. 2.

Loquere filiis Iſraël, ut tollant mihi primitias ab omni homine, qui offeret ultroneus.] Pro voce *primitias* Hebraice eſt תרומה *teruma*, ſive (ut vulgo efferunt)

runt) *truma* : At quia nunc primum ea vox occurrit ; neceſſe habeo de ea pauca dicere .

Ac diu eſt , quod haec perſuaſio doctorum hominum mentes pervaſit, *Trumam* ajentium genus eſſe caeremoniae , qua id quod offertur , ſurſum ac deorſum movetur (nam proprie תרומה *truma* ſignificat *elevationem* a verbo רום *Rum* , *elevari*) at contra תנופה *tenupha* (quod alibi legitur) eſſe agitationem verſus quatuor mundi plagas . Sane totum hoc diſcrimen ex doctoribus Hebraeis eſt : nam ritûs hujus in ſacro Codice , aut in Joſepho , Philone , Miſna nullum veſtigium exſtat .

Quid quod in LXXvirali translatione haec duo vocabula iisdem ferme redduntur vocibus, & quidem talibus, nulla ut ſuſpicio de eo ritu ſubeat ? Sane apud Graecos Interpp. τῷ *Truma* in plus 40. locis reſpondet ἀπαρχὴ i. e. *primitiae*; in paucioribus locis aliis plerumq. ἀφαίρεμα , interdum ἀφόρισμα , aut ἀφορισμὸς, quae tria *ſeparationem* notant . Nec aliter *tenupha* modo quidem iisdem ac *Truma* vocibus redditur , modo vero eſt *donum* , aut poſtremo (21) ἐπίθεμα . Credibile ne eſt , Graecis interpp. hujus ritûs ſignificantiam in his vocibus latuiſſe , quam demum poſt plus mille annos Judaei perſpectam habuerint ? Vbi eam legerunt , aut quem teſtem proferent ? Non aliud certe quam etymon vocum illarum , de quo neceſſe eſt pauca delibare .

Et quidem תרומה *theruma* (quod a רום i. e. *elevari* derivatur) *elevationem* proprie notat : תנופה *thenupha* vero , & verbum נוף *nuph* modo de terrae motu, (quia ultro citroq. agitur) modo de cribri agitatione in omnes partes (exempla vide in Pagnini lexico) uſurpatur . Hinc Judaei vocibus illis eas quas dixi rituales ſignificationes ſuperſtruxerunt. Verum toto caelo aberrarunt. Verba הרים *herim* , & נשא *naſa* ſecundum primariam notionem ſunt ſynonyma , utrumq. enim eſt *attollere* & *elevare* . Sed quia quae cupias alicunde decidere aut decerpere , ea ſurſum verſum tollere, dum aufers, niteris, hinc illa verba etiam *auferendi* notionem habent . Exempla *auferendi* in נשא *naſa* & in הרים *herim* ſexcenta reperies . Sic Graecum αἴρω & Latinum *tollo* nunc *elevandi* nunc *auferendi* vim habent , ut & Italis *levare* . Ergo *Trumam* ex ſecundario ſignificatu ἀφαίρεμα optime Graeci verterunt , aut ἀπαρχὴν aut tale quid . Hinc poſtea apud Chaldaeos ſcriptores verbum הרם *teram* , quod eſt *ſeparare* , fluxit . Nam R. Davidi potius aſſentior (qui *Teram* iſtud Chaldaicum recentius eſſe , & a *truma* deductum putat) quam aliis Judaeis , qui contra a Chald. הרם *teram* , quod eſt *ſeparare* , deducunt *trumam* . Omnino enim *trumam* eſſe a רום *rum* , ex iis locis elicitur , in quibus verbum iſtud cum *truma* tamquam cum ſuo derivativo copulatur ; ſicuti נוף *nuph* cum *tenupha* jungitur . At bene tamen eſt , quod his perſpectum fuit , *trumam* aliud proprie non eſſe quam ἀφορισμὸν . Quae de *Truma* dixi , eadem & de *Tenupha* (quae puto eſſe ſynonyma) dici poſſunt .

Ergo

(21) τὸ ἐπίθεμα pro *Tenupha* poſitum ex eo venit , quia verbum נוף (*nuph*) *inſtillandi* & *perfundendi* ſignificatu primario donatur . Hoc ſecutis interpretibus illis תנופה *tenupha* erat *ſtillandi* actio aut *perunctio* . Id vero quia medicis ἐπίθεμα dicebatur (eſt enim ἐπίθεμα quidquid, ſive malagmatis, ſive alterius medicamenti inſtar, affectis partibus applicatur) hinc *Tenupham* reddidere ἐπίθεμα . At in Scripturae locis ἐπίθεμα non Graece , ſed Hebraice capiendum eſt ; ſicuti ῥῆμα pro דבר *dabar* , quoties *eventum* aliquod deſignat , & alia id genus Graeca nomina , ſed Hebraice ſignificantia .

Ergo quae ſive de terrae fructibus, veluti frumento, oleo, vino, ſive de quacumq. re alia Deo aut ſacerdotibus ſeponebantur, ea *Truma* dicebantur. Plura proinde erant *Trumae* genera: de quibus vide Calmetum in Diction. in verbo PRIMITIAE, Buxtorf. in Lex. Chald. in *Truma* & *Tenupha*, & Pagninum in utraq. voce, alioſq. plures. Nam mihi poſt pauca de hiſce ſpinoſioribus ac magnam partem incertis delibata, jam ſatius eſt abſtinere manum.

AD EX. XXV. 11.

Et deaurabis eam auro mundiſſimo] hoc eſt *laminas aureas circumduces*. Ligna enim non aliter poterant deaurari, antequam aurum in folia tenuiſſima diduci patrum noſtrorum demum aetate coeptum eſſet. Metalla autem auro illinere norant & heroicis temporibus. Sic enim apud Hom. Od. XXIII. 159. invenio:

Ὡς δ' ὅτε τις χρύσον περιχεύεται ἀργύρῳ ἀνὴρ
Ἴδρις, ὃν Ἥφαιστος δίδαξε καὶ Παλλὰς Ἀθήνη
Τέχνην παντοίην, χαρίεντα δὲ ἔργα τελείει. *Vt cum quis aurum circumfundit argento vir peritus, quem Vulcanus docuit & Pallas Minerva artem omnigenam, elegantiaque opera perficit.*

AD EX. XXV. 18.

Duos quoque Cherubim &c.] De Cherubim multa interpretes diſputant, & eſt res plena ambiguitatis. Notationem nominis alii aliunde arceſſunt. Cur, ſpretis aliis, non per μετάθεσιν ר כב *rachab*, *equitare* aut *curru devehi* dictos putemus? Sunt in Hebraico ſermone innumerabilia hujuſmodi themata, quae unius litterae permutatione aut tranſpoſitione adhibita, tamen idem ſignificant. Jam vero Deus non uno Scripturae loco aurigantibus Cherubinis vectari dicitur. 2. Reg. XXII. 11. Pſal. XVII. 10. 11. *Aſcendit ſuper Cherubim & volavit* &c. Ezech. X. 4. *Elevata eſt gloria Domini ſuper Cherubim* &c.

Aureos productiles facies &c.] Hebraice eſt זהב מקשה *zahab mikſciah* h. e. *ex auro duritiei*. Sed quia dum malleo duratur aurum, ſimul extenditur; hinc *productiles* interpres poſuit tam hîc, quam ver. 31. ubi de candelabro eſt ſermo. Contrariam rationem ſecuti interpres Latinus & LXX רקיע *rakiah*, quod *Extenſum* proprie ſignificat, στερέωμα h. e. *firmamentum* expoſuerunt; quia, uti ad initium Geneſeos diximus, materia quaelibet comprimendo ac firmando extenditur, ſimulque duratur. Sed ut ad vocem *mikſciah* redeam; videtur Moſes unam continentem materiam notare hîc voluiſſe. Nam verſ. ſequenti *min haccapporet* Cherubinos fieri jubet, h. e. ex una continenti materia tum Cherubim tum Arcae operculum eſſe fabricandum. Adhaec quoque ubi de Candelabro agitur (quod etiam *ex auro mikſciah* i. e. *duritiei* conſtrui praecipit) ſingulas ejusdem partes ממנה *mimmennah* h. e. ex eadem continenti candelabri maſſa conſtruendas eſſe tradit. Eadem phraſis occurrit Ex. XXVII. 2. Nec aliter Homerus locutus Od. XIX. 57. de ſcabello ſellae Penelopes. Fuiſſe enim ait ſellae ipſi cohaerens ac veluti adnatum.

Καὶ ὑπὸ θρῆνυν ποσὶν ἧκε
Προφυὲ ἐξ αὐτῆς.
Suppoſuit pedibuſque ſcabellum,
Sellâ aptum ex ipſa.

AD EX. XXV. 25.

Et ipſi labio coronam interraſilem.] Quid per *interraſilem* Hieronymus intellexerit,

rit, praeter ea quae Calmetus hîc affert, proderit ex Excerptis (ad Ammiani calcem a Valeſio editis) locum huc adſcribere: *Laminam auream juſſit* (Theodericus enim eo uſque illitteratus, ut ne nomen quidem ſuum ſubſcribere noſſet) *INTERRASILÈM fieri, quatuor litteras Regis habentem Theod.* (ut ſint quatuor ſolae litterae, reſcribendum ſine aſpir. TEOD. ac memini hunc ſine aſpiratione notari in nummis) *ut ſi ſubſcribere voluiſſet, poſita lamina ſuper chartam, per eam pennâ duceret, & ſubſcriptio ejus tantum videretur.* Vox *Interraſilis* apud Plinium primum occurrit XII. cap. 19. Praeter ibi ab Harduino notata legantur Cangius & Martinius: nam omiſſis aliis, his contenti eſſe poſſumus.

AD EX. XXV. 30.

Et ponet ſuper menſam panes propoſitionis in conſpectu meo ſemper.] *Panis* nomen Tyrrheni non multo poſt Moſaica tempora a Chanaanitide pulſi, ad nos inde detulerunt. Hebraei quidem panem in templo uſitatum vocibus hiſce duabus enuntiabant לחם פנים *lehem panim*, quod αὐτολέξει ſonat *Panem facierum*. Id nomen pani illi ſacro fuerat ab eo quaeſitum, quod cum ſignatum cancellatim cerneretur, & in plures bolos diviſum, ea tot ψωμία totidem veluti vultuum ſpeciem exhiberent, praeſertim incurioſe intuentibus. Tales ii panes erant, quorum hîc meminit Legislator, quoſque hîc pulchre vocat ἄρτους ἐναντίους, quaſi dicas panes vultibus faciebuſve refertos, tot ſcil. quot inſunt buccellae. Nec alio credo modo panes vulgo uſitati conſtruebantur, quod ea forma percommoda crederetur. Cum enim Hebraei cultris in menſa ad ſcindendum non uterentur; non alio modo ex pane integro bucceas facile revellere licuiſſet, quam ſi ψωμία ſingula diviſa ſulcis, cancellorum loculamentis illis continerentur. Ergo hic panis merito *lehem panim* h. e. *Panis facierum* Moſi dicitur, quia non aliam ſpeciem praeferebat, quam ſi plures buccarum ſeu vultuum ordines cancellatim diviſos (unde & panis *buccellatus* ab illis *buccarum* h. e. vultuum areolis ita dictus) conſpicareris. Atque haec vera ratio *Panis facierum* nomenclationis, mihi crede, fuit. Quam appellationem cur poſtea Seniores in ἄρτους ἐναντίους aut in ἄρτους τῆς προθέσεως (*panes propoſitionis*) permutarint, non eſt (22) interpretari difficile.

Atque iſtius *Lehem panim* vocabulum cum Etruſci, ex Chanaanitide pulſi, in Italia diſſeminaſſent, Latini, qui millia vocum a Tuſcis Hebraeorum ὁμογλώττοις hauſerunt, hinc etiam *Panis* didicere nomen: niſi quod brevitati ſtudentes ex vocibus binis poſteriorem ſervarunt, abjecta primâ, ſicuti pro *Jeruſalem* vulgo dixere *Salem*, itemque *Solyma* pro *Hieroſolymis*. Atque haec eſt vera origo

(22) Hi panes ſicuti in Hebraeo, ita & in LXX diverſis modis efferuntur, uti jam innui. In Hebraeo quidem pluries לחם פנים *lehem panim* ſcribitur h. e. *panis facierum*: in LXX vero hîc ἄρτους ἐναντίους h. e. *panes palam ſive in conſpectu poſitos*, aut potius me interprete, panes quaſi vultibus cancellatim diſtinctis refertos. At ubi ἄρτοι τῆς προθέσεως reperitur (ut in I. Par. IX. 32. & XXIII. 29. & Ex. XL. 21. XXXV. 12. XXXIX 36. aliiſque Regum & Paral. locis) in his locis Ἄρτοι τῆς προθέσεως vulgo quidem *Panes propoſitionis* vertuntur: at aptior interpretatio eſſet, *Panes* (palam in menſa) *propoſiti*; ſicuti *Templum ſanctitatis* pro *Templo ſancto*, & ſexcenta in Hebraeo talia. Ergo ſive ἄρτους ἐναντίους (ut hîc legitur) ſive ἄρτους τῆς προθέσεως (uti pluribus in locis ſcribitur) dixeris, ſemper Graeca lectio cum Hebraica cohaerebit, ſive intelligas, illud פנים *panim* pro לפנים *lephanim* quaſi *palam propoſitos*: ſive potius ſi τὸ *Lehem panim* (ut ſupra dixi) *panem facierum* ſive *vultuum* interpreteris; quia buccellae illae cancellatim ſignatae bucceas ſive vultus totidem mentiebantur.

Digitized by Google

origo vocabuli *Panis*, quod nomen ab Hebraeis Chanaanitae (de quorum ſtirpe Tyrrheni) mutuati, poſtea ſparſere per Italiam. Nec enim Athenaeo aſſentior, Meſſapios putanti auctores vocabuli Πανὸς (23) *Panis* fuiſſe.

Et haec quidem forma Hebraïci panis in plures bucceas, quaſi in vultus totidem, cancellatim diviſi, plerumque quadrata erat, unde & a figura dicebatur *Quadra*, ita ut XII. illi Moſaici panes propoſitionis totidem quadrae eſſent, cancellatim ſignatae. At non difficile eſt de forma item oblonga (ſi quando ea forma uterentur) ſuſpicari, praeſertim duce Feſto in STRVES ita ſcribente: *STRVES genera LIBORVM ſunt* (hinc diſcis, ubi figurae oblongae panes illi fuiſſent, *Liba* vocatos) *digitorum conjunctorum non diſſimilia: qui ſuperjecta* (24) *panicula in tranſverſum continentur*. In hac ergo liborum (h. e. panis oblongi) ſtrue *paniculam* inter ordines interjectam Feſtus ait: non alia certe de cauſa, quam ne liba mucorem contraherent.

Hanc vero ſtruem, de qua Feſtus, non aliunde quam ab Hebraeis per Etruſcos (ex Chanaanitide huc profectos) didiciſſe Italiam, ex eo oſtenditur, quod panes illi Moſaici ſaepe *panes* (מַעֲרֶכֶת *maarecheth*) *diſpoſitionis* vocentur, ſicuti 1. Par. IX. 32. XXIII. 29. & Neh. X. 33. Nec mihi dubium eſt quin ſacer textus eam diſpoſitionem deſignet, quae in Feſto *Strues* vocatur, in qua vacua inter panum ordines ſpatia relinquebantur, eaque paniculâ replebantur. Nam aurei calami, quos panibus interjectos Judaei docent, puto fuiſſe ultimorum temporum, quando in ritibus aliquot, in quibus ad hujuſcemodi minutias Lex non deſcenderat, ab vetere aetatis Moſaicae ſimplicitate diſceſſum. Itaque ſive paniculae, ſive hujuſcemodi aliis de trivio quiſquiliis calamos aureos Judaei poſtea ſubſtituerunt.

AD EX. XXV. 31.

Facies & candelabrum &c.] Implexae admodum atque abſtruſae candelabri deſcriptioni, quae hoc loco exſtat, ex inſculpto inter anaglypta arcus Titiani candelabro Judaico lux affunditur. Quid ipſo candelabro poſt Titianam Templi exciſionem factum fuerit, in hiſtoriae Miſcellae libro XVI. (tom. 1. Muratorii pag. 106. C.) reperio. Nam devictis Vandalis, Beliſarius inter vaſa pretioſa (a Genſerico in Africam ex Romana direptione, uti reor, abducta) reperit & Judaica, in iis autem opinor & candelabrum. *Inter quae*, inquit Miſcella, *erant & Judaeorum vaſa, quae Titus Veſpaſianus filius poſt captam Hieroſolymam Romam detulerat*. Itaq. cum in Beliſarii triumpho ea vaſa delata fuerint, unum ex ejus pompae ferculis candelabrum illud fuiſſe vix dubitaverim. Poſt illud vero tem-

(23) In Athenaei libro III. ſic reperitur: Πανὶς, ἄρτος. *Μεσσάπιοι . . . . καὶ Ῥωμαῖοι δὲ πᾶνα, τὸν ἄρτον καλοῦσι*. Quorum ſententia haec eſt: *A Meſſapiis* (populo Magnae Graeciae in Italia) *Panem* dici pro ἄρτον . . . at a Romanis, ita id nomen inclinari, ut caſus quartus ſit (πᾶνα) *panem*, non vero πάνον, *panum*. Vbi ſicuti de Romanis vera narrat Athenaeus, ſic eum de Meſſapiis non credo mentitum. Verum idem primas vocis origines ignoravit, ab Heb. פנים *panim*, uti ſupra oſtenſum, repetendas. Nim. Tyrrheni, qui ab Hebraeis linguam moreſque didicerant, *Panis* nomen apud Italos propagarunt, ab his vero & Magni Graeci in Italia didicerunt. Scio me de hoc locutum in Comm. ad Tab. Heraeel. Sed locum nunc fruſtra quaeſivi. Conferantur addita Etym. Voſſ.

(24) Panicula eſt lanugo ſive capillamentum milii, arundinis aliarumque comantium plantarum, ex eo, uti ſuſpicor dicta, quod in ſtrue panicea inter quadras aut inter liba interponerctur ad mucorem amoljendum.

pus nihil reperire licuit, quod ad Moſaicum λυχνοῦχον pertineret.

Non tantum vero in fornice Titiano, candelabrum, a Tito abductum, ſcalptum reperitur, ſed & in Judaicis titulis ſepulcralibus apud Fabrettum pag. 389. num. XXXXIV. & num. 247. Eſt & apud me annulus ſignatorius Judaci, cujus nomen nunc non ſuccurrit, cum candelabro, cujus ectypon hîc ſubjicerem, ſi vacaret excutere forulos, & incidendum locare.

AD EX. XXVI. 1.

Tabernaculum vero ita facies. Decem cortinas de byſſo retorta, & hyacintho, ac purpura, coccoque bis tincto, variatas opere plumario facies.] *Cortinae* vox pro *aulaeo* (quod unum antea in uſu fuiſſe putatur) S. Hieronymo debet, ut inter probata vocabula numeretur. In Itala vetere *Aulaea* ſemper loco *cortinarum* uſurpantur. Veluti hoc ipſum capitis XXVI. principium apud Auguſtinum pluribus in locis ita ex Itala legitur: *Et facies tabernaculum decem aulaeorum de byſſo torta & hyacintho & purpura, & cocco torto: Cherubim facies ea opere textoris*. Hactenus ex Italica. Imo Auguſtinus ipſe (in Quaeſtionib. col. 475. D.) *Cortinarum* vocem vulgi imperitiae tribuit his verbis: Αὐλαίας *quas Graeci appellant, Latini Aulaea perhibent, quas CORTINAS VVLGO vocant*. Ergo uno tempore *Cortinam* pro vulgi vocabulo in Africa Auguſtinus (ut in fine commatis hujus dicam) ſcribens habebat: at Hieronymus alio ſub caelo litteris vacans eo uſque probum id nomen habuit, ut hîc eo paſſim in Tabernaculo deſcribendo uſus fuerit. Itaq. nemo id ante Hieronymum, quod ſciam, uſurpaſſe videbatur. At poſt biblicam ejus interpretationem uſu probatam, paſſim uti coeperunt Cortinae nomine tamquam probo vocabulo.

Ac de *Cortinae* vetere ac primaria notione libet hîc pauca dicere. Olim quidquid ſive inferne rotundum eſſet (ut *Cortina* ubi vaſis genus eſt) ſive ſuperne, ut in theatro, tribunali, tentoriis, aliiſque id genus, quorum tholus hemiſphaerii gyrum imitaretur, id omne *Cortinam* vocabant. Et in vaſis quidem *Cortinarum* genus diverſis miniſteriis deputabatur, quorum ſaepe Plinius praeter ceteros meminit. Ac valebat plurimum ad decoquenda metalla. Ergo (ut illuc redeam) *Cortinae* vox ubi pro vaſe accipitur, inferius, uti dixi, hemiſphaerium oculis exhibebat: ex quo fit eodem vaſe ita converſo, ut convexa pars ſeu dorſum ſurſum ſpectet (ſicuti in nummis & anaglyptis (25) cernitur) ſuperioris hemiſphaerii imaginem expreſſum iri, ſive ſcil. tribunalis, ſive theatri, ſive quarumlibet fabricarum ſuperne rotundarum teſtudinem, ac poſtremo caeli ipſius ſinuoſitatem recte *Cortinam* fuiſſe vocatam, nempe inſtar vaſis, quod ſaepe nominavi.

Non ergo mirum, ſi tribunalis olim tholus (26) *Cortina* dicereturi; & *Cortina*

(25) In nummis Νεικοπόλεων quam ſaepiſſime cortina Phoebi conſpicitur, labris humo applicitis, fundi convexa ſurſum attollere; ita ut non incommode in ea conſidere Pythia queverit, dum oracula funderet, uti vulgo narrant. Vidi ſaepe Capuae in elegantiſſimo amiciſſimi Canonici Ciccarelli anaglypto Pythiam ſtantem & in pelvim latices fundentem, in proximo vero Apollinis cortinam eodem plane ſitu converſo.

(26) Huc pertinet illud ſive Taciti (ſive quis alius eſt) in Dial. de Oratorib. cap. 19. *Cum*

tina theatri (27) uſurpetur in Aetna Virgilii, & alia eodem pertinentia. Nam illud omitto, quod Ennius (28) etiam videtur caelum nuncupaſſe *Cortinam*.

Ergo in re noſtra *Cortina* integra Tabernaculi (quae ex decem aulaeis h. e. cortinis minoribus, componebatur) caelum ipſius erat: quae quia ex aulaeis minoribus ſive *cortinis* componebatur, ideo partes hujuſmodi eodem communi nomine vocabantur omnes *cortinae*, in vetere autem Italica verſione (29) *aulaea*.

Atque has cortinas decem *variari opere plumario* [ut in fine commatis hujus legitur] Moſes jubet. Pro *Opere plumario* in Italica eſt *Opere textoris*: quod cum LXX conſonat reddentibus, ἐργασίᾳ ὑφάντου. Fons itidem Hebraeus מעשה חשב, *maaſeh choſheb* i. e. *opere textoris*: quod ex priſcis Hebraeis duas facies habet: cum contra opus רוקם *rokem* h. e. *acu pictoris*, faciem tantum unam exhibeat. Ita ex antiquis Buxtorfius. Verum cave putes, haec diſcrimina fuiſſe perpetua.

Super has cortinas omnes inſtar tecti ſaga cilicina (ut ver. 7.) itemque pelles arietum rubricatae, adhaec & pelles janthinae, ut infra ver. 14. extendebantur, & quidem declivi poſitu opinor, ac tecti pectinati inſtar, nequid aquae pluviae in interiora Tabernaculi redundaret. In hunc modum craſſior Tabernaculi adumbratio ſeſe habet. Ac memini me juvenem eadem haec minute deſcripſiſſe. Sed difficile eſt ab juvene in re ardua nihil abnorme profectum. Itaque ſiquando inter ſchedas talia reperiantur, pro non ſcriptis haberi volo.

Dixi ex Hebraeorum doctrina, & ex verſione Seniorum cortinas decem; de quibus hactenus, opus חשב *choſeb* h. e. *textile* fuiſſe, quod nempe utrinque faciem haberet, tum introrſus tum etiam extrorſum. Quid ſi utraque haec facies *opere plumario* cortinis adquiratur? Vidit hoc, puto, Hieronymus: qui cum *opus* חשב *choſeb* i. e. *cogitantis*, ut ſimul introrſum ſimul extrorſum aſpectabile eſſet, ex textrina exſpectare non poſſet; ad *plumarium opus* recurrit. Atq. hoc mihi non videtur aliud fuiſſe primario, quam ſartura plumarum, quae ſua mollitudine ad farciendum prae aliis deligebantur. Verum iſtiuſmodi ſtragula ubi inſarta fuiſſent, acupictori tradebantur ad eas opere Phrygio illudendas; ideoque is artifex ſolebat vocari *plumarius*, ſicuti & ipſum opificium. Vides; quid

Cum vix in Cortina quiſquam ſit, qui elementis ſtudiorum, etſi non inſtructus, at certe imbutus (non) *ſit*. Quo loco συνηχεία dubitare non ſinit, quin *Cortina* tribunal deſignet, ſub cujus tholo h. e. *Cortina*, auditores cogebantur ad cauſas auſcultandas conſiſtere.

(27) *Cortina theatri* apud Virg. in Aetna eſt hiisce verſibus:

Carmineque irriguo magni cortina theatri
Imparibus numeroſa modis cadit arte regentis.

Quod Turnebus ad rotundam Theatri finuoſitatem refert, ſic exactificatam, ut numeroſae voces ad ſpectatoris aures perveniant, cum ſit muſicis deſignationibus modificata, uti Vitruvius ſcribit. Niſi vero theatri ſonor ad tholum (aut quotumq. nomine theatri legumen vocare libeat) ſit etiam refundendus.

(28) Sed & *Cortinam* metaphorice dixit Ennius auctore Varrone pro caeli hemiſphaerio, verſu illo:

Corpore cacruleo cava quae cortina receptat.

Adde & illud Catonis in Originibus: *Mapalia vocantur, ubi habitant. Ea quaſi Cortes rotunda ſunt.* Locus pulcherrimus ex quo patet, *Cortes* fuiſſe rotundas, proinde & Cortinas a *Corte* derivatas, indidem ita dictas a rotunditate.

(29) In Graeco Seniorum αὐλαία ſemper muliebri genere eſt; quod in Italica *Aulaeum* neutro; idque in Vulgata hodierna eſt *Cortina*. Totum hoc caput 26. ut in Italica erat, ſervavit nobis Auguſtinus in ſuis quaeſtionib. de Tabern. & ex Auguſtino Sabbaterius.

quid hîc apud Hieronymum ſit *Opus plumarium*. Nempe eſt Phrygionium opus: quod opus vela duo requirebat, in quae pluma inſarciretur. Ea vero bina velamina opere Phrygio pingenda utraque erant, ita vero aptanda, ut dum mediam intra ſe plumam nexu impeditam continent, interim picturata veli utriuſq. facies aſpectabilis eſſet, nequid ſive introrſum ſive extrorſum indecorum Dei Tabernaculo videretur. Haec de *Opere plumario*, cujus hîc mentio exſiſtit.

Non ſemel innuiſſe memini *Cortinae* vocem (quatenus vas eſt ad uſus plurimos deſtinatum) mere Hebraeum nomen eſſe: ſed ne plura congererem, huc in finem id exponere diſtuli. Res ita ſe habet. Vox כור *cur* ſive *cor* (quia *Vau* utrique vocali famulatur) apud Hebraeos atque Chaldaeos eſt ſive *fornax*, ſive ſaepius *catinus* aliudve vas rotundae figurae, quod ad liquanda metalla & alios plures uſus valebat. Hinc apud Latinos *Cortes* dictae, quarum peculiaris erat rotunditas: de quo vide ſup. Adn. 21. Catonis locum. Quis enim dubitat, quin ab eo themate (ſed in Chaldaica forma emphatica) כורתא *curta* ſive *corta* factum? Dein ex Orientali כורתא *corta* tum *Cortes* tum *Cortinae* formâ diminutivâ dictae. Idque vas in hemiſphaerii formam rotundum erat, ita ut Phoebi converſa cortina (qualis in nummis Νεοπολίτων, & in Ciccarelliano (30) anaglypto Campano cernitur) convexitatem in ſummo oſtenderet, cui commode Sibylla canendis vaticiniis inſideret. Atque haec cortinae forma ad eas omnes fabricas intelligendas valet, quae in ſummo hemiſphaerium imitantur. Ne plura: ut ne dicta refricem. Nam mihi ſatis eſt Hebraicam vocis originem oſtendiſſe.

Atqui vulgus Aſrorum linguâ Hebraicâ, minimum ab Hebraiſmo Biblico diſſidente, utebantur, quod ex Poenulo Plautino conſtat, & ex aliquot Auguſtini locis, id diſerte affirmantis. Haec eo ſcripſi, ut eruditi conſiderent, an quod initio adnotationis hujus, ex Auguſtino recitavi (*Latini*, inquit, *Aulaea perhibent, quas CORTINAS VVLGO vocant*) an inquam, Auguſtinus de Vulgo Africano id intellexerit: cui כורתא *curta* Orientalium innotuiſſe videtur; maxime cum *Mapalia* (aliter *magalia*) (de quibus Cato ait, *quaſi Cortes rotunda* eſſe) Poenorum peculiare vocabulum, una cum ipſa re fuerit. Quam vocem ex Oriente pulchre viri docti adſciſcunt.

AD EX. XXVII. 1.

Facies & altare de lignis Setim, quod habebit quinque cubitos in longitudine, & totidem in latitudine (ideſt quadrum) & tres cubitos in altitudine.] Non lapideum. Altare

(30) Anaglyptum iſtud Clariſſ. Canonici Capuae Franc. Ciccarelli bis ego memoravi: ac primum in Amphith. Campan. pag. 132. Sed ibi, quia marmor ob oculos non erat, non recte virginem illam, quae in brachio laevo lyram gerit, pro Pythia habui. Non recte, inquam, ſed verius anno elapſo in Spicil. Bibl. ad Gen. XLIV. 5. p. 151. not. 2. virginem alteram, quae alte ex gutturnio fundit latices in pollubrum, hanc, inquam, ſine controverſia antiſtitem Phoebi & vatem putavi, & in ἐξορμητῆς occupatam. Haec explicitis alis ampliſſimis, veſtibus pulcherrimis, brachiis armillatis, ceteroque cultu corporis nitidiſſimo, ſacerdotem ſe Apollinis gerit, dum in divinando ſe exercet, eo nim. divinationis genere, quod ἐξορμητικὴ (*divinatio per aquas*) dicebatur.

Ac ſane cum nuper is, quem ſaepe nominavi, Ciccarellius anaglyptum illud accurate delineatum ad me miſiſſet, ut ſiquae aliter olim retuliſſem, oblatâ occaſione refingerem, ecce hîc libens parui amiciſſimi viri poſtulatis.

Altare fieri jubet, ſed ligneum (*de lignis ſetim*) uti ſemper ac opus, tranſportari facile poſſet. Vox hujuſmodi *Setim* a Senioribus ἄσηπτα h. e. *non putreſcentia* redditur: pro quo Italica verſio cap. XXV. 5. *ligna integra* poſuit. In Arabia lignum hoc provenire volunt, ac ſatis ſolidum, etſi levius quam ponderoſius eſſe. Haec tamen ligna *inaerabantur aeramento* (31) ne amburerentur. Altare quidem inane erat, ceſpite ſive terrâ, imo etiam, uti volunt, rudibus lapidibus in fundo replendum, ſed non niſi aliquo uſque (eâ gratiâ tantum, opinor, ne facile dimoveretur) ceterum quod amplius vacui ſupererat, in id ἐσχάρα i. e. focus immittebatur, & alia de quibus jam dicendum.

AD EX. XXVII. 4. 5.

Craticulamque in modum retis aeneam: per cujus quatuor angulos erunt quatuor annuli aenei. Ver. 5. *Quos pones ſubter arulam altaris: eritque craticula uſque ad altaris medium.*] Hos duos verſus fateor eſſe paullo difficiliores tam in fonte, quam in veteribus interpretibus. At Vulgata Hieronymi expeditior: qui perſpicue praeter craticulam agnoſcit & ei reſpondentem paullo ſuperiorem *Arulam*: illam inquam arulam cui victimae ſive excoquendae, ſive abſumendae (ut in holocauſtis) imponebantur. Itaque non alius focus erat quam craticula illa, quae *reticulata* idcirco fuiſſe dicitur, quia per diſſeminata foramina cineres excernebat, demittebatque deorſum. Craticulae vero huic *Arula* [quae כרכב (32) *carcob* in Hebr. dicitur] imminebat. Ergo huic *Arulae* carnes victimarum committebantur, quas ignes, qui in ſubjecta craticula alebantur, ſive percoquere, ſive conſumere jubebantur.

Atq. haec quidem facilia: at hoc eod. verſu quatuor illi *annuli*, quo valeant, haud plane explicatur. Videtur mihi certe fuiſſe aliquid, quod *focum* ab *Arula* diſtineret. Nam Craticula ſive focus medium ſpatium Altaris occupabat, ita ut ſeſquicubito a fundo (in quo ceſpites & informes lapides pondere ſuo Altare reddebant immobile) & altero tanto a labro Altaris diſtaret. Poſt craticulam ſequebantur annuli, quorum nec forma deſcribitur neque munus: niſi in hoc facti ſint, ut *Arulam* loco ſuo continerent: quae Arula videtur ſemicubito circiter ſublimior fuiſſe craticula: quantum ſcil. ad acuendam aut cohibendam vim ignis in victimam ſatis videbatur. Poſtremo Arula, cui carnes adolendae inerant, cubito circiter ab ore Altaris abfuiſſe videtur. Ita enim factum oportuit, ne fruſta carnium per os Altaris in terram deciderent. Atque ea mihi videtur oeconomia partium Altaris (cubitos tres alti) fuiſſe: quam praeſtat paucis recoquere.

Ergo in imo fundo erat ceſpitum ac lapidum quantum ad Altaris immobilitatem ſatis: ſequebatur inane ſpatium ad recipiendos per craticulae ſpatiola cineres.

(31) Italicae iſta locutio eſt apud Auguſtinum in *Locutionib.* in qua locutione, *Inaerabis ea aeramento* pro LXX vitali Καλύψεις αὐτὰ χαλκῷ legebatur.

(32) Heic in Heb. eſt כרכב *carcob* (vox hîc tantum & infra XXXVIII. 4. occurrens) pro qua ab LXX ἐσχάρα i. e. *focus* uſurpatur. Sed nemo melius Hieronymo vim vocabuli tenuiſſe videtur, qui *Arulam* reddidit. Sic enim videntur antiqui uſurpaſſe, ut totum a parte diſtinguerent. Nam in magnis θυσιαστηρίοις plures inerant partes; aliud enim focus erat, aliud ubi victimae adolebantur. Itaque hîc pars prior *craticula* dicitur (is eſt ignium locus) altera ſimpliciter *Ara*, aut potius *Arula* nuncupatur. Vox *Arula* ὑποκαπνιστικὸς a Tullio uſurpatur in IV. in Verr. cap. III. *Ante hoſce deos erant ARVLAE, quae cuivis ſacrarii religionem ſignificare poſſent.* Apud Graecos etiam βάμις praeter cetera *arulam* notat.

cineres. Hactenus (i. e. ab imo fundo ad craticulam) ſeſquicubiti altitudo eſt; nam craticula (h. e. focus) mediam Altaris altitudinem ex Moſe occupat. Mox ex craticulae angulis quatuor illi annuli (ſive potius συμβλήσεις (33) h. e. *commiſſurae*) quatuor prodeunt: quibus (praeter uſus alios a Moſe non ſignificatos) vinciebatur arula victimas ſuſtinens, ne loco abſcederet. Ergo ab Arula, quod ſpatii reſtabat (cubitum, nos aſſignavimus) ad victimas ſub dio coquendas totum deſtinabatur. Ita ab imo fundo ad ſupremum labrum Altaris tricubitale totum ſpatium diſpertiebatur: ſed partes duae ultimae (craticula ſcil. & Arula) totum τὸ ἐσχάρας Altaris Moſaici conſtituebant.

Sane & apud Graecorum vetuſtiſſimos (h. e. vicinos temporum heroicorum) Moſaico ſimillimus ſacrorum apparatus obſervatur: de quo pauca de multis ex antiquis Graecorum Scholiaſtis, in primis ex Euſtathio, & Scholiaſte Ariſtophanis, ad haec ex Suida, Polluce, Heſychio & aliis excerpam. Atque illud ſtatuendum in primis cenſeo, apud Graecorum antiquiſſimos praecipuam Altaris partem, atque vim totam in Ἐσχάρᾳ ſive *foco* ſuiſſe poſitam: Haec vero ab Euſtathio ſic ex antiquis ἐτυμολογίζεται, ut ſit παρὰ τὸ ἔχειν ἀρὰν: quae tamen originatio haud eſt ad interpretandum facillima. Etenim Ἀρὰ non raro *precationem* notat, ut & ἀράομαι eſt *precor*; etſi illud frequentius, ut haec eadem vocabula *imprecari* & *imprecationem* ſignificent. Mihi veriſimilius fit, ſicuti apud antiquiſſimos Latinos τὸ *Ara* fuit illud, cui procumbimus venerabundi, ita & Graecorum vetuſtiſſimos ab ea notione non abhorruiſſe: atque ab eo factum, ut ſicuti apud Latinos tritum eſt *Arae* nomen pro ſacro, ſic olim & apud Graecos fuerit. Itaque in hac etymologia, qua dicitur, Ἐσχάρα eſt παρὰ τὸ ἔχειν Ἀράν (*Eſchara*, inquiunt, *ab eo dicta, quod Aram habeat*) in hac, inquam, Ἀρὰ idem eſt ac Latinum *Ara*, quam proni adoramus. Primam autem vocis hujus tam apud Graecos, quam Latinos originem ortam ex Hebraeo Chaldaeoque ſermone non (34) dubito, ut & alibi dictum.

Ergo uti dixi, vera illa eſt Graecorum apud Euſtathium originatio *Eſcharae*, ut ita dicta fuerit, quod *Aram in ſeſe habeat*. Niſi quod in his voculis (παρὰ τὸ ἔχειν APAN) veto iſtud APA pro precatione accipi, quod vulgo ſolet. Imo hîc ἀρὰ ſignificatu heroicorum temporum pollet, quo Ἄρα idem erat, quod nunc auribus Latinorum ſonat, apud quos *Ara* & *Altare* ſunt ſynonyma.

Sed ut eo redeam: apud Graecam vetuſtatem praecipua pars Altarium erat Ἐσχάρα, quam & ſolebant Altari (35) imponere. At non niſi poſtea id fieri coepiſſe

(33) Vox טבעת *tabbahat* cum *annulum* plerumque ſignificet, fere ſemper in Graeca verſione δακτύλιος merito vertitur. At hîc & infra XXXVI. 25. redditur εἰς σύμβλησιν μίαν, *In commiſſuram* aut *conjunctionem unam*. Viderit ergo lector an non hîc quatuor iſti in quatuor angulis anuli ita conſtructi fuerint, ut arulam artiſſime loeis aſſignatis adnecterent. Ita equidem ſentio. Vertantur ergo *Anuli*, ſicuti in Vulgata exſtat (quod ſcil. viderentur effigiem anulorum referre) tamen vim nectendi exſerebant.

(34) Hebraeis & Chaldaeis אש *ur*, ubi verbum eſt, *Incendit* ſignificat (quod aris peculiare) ſi ſit vero nomen, non tantum *lucem*, ſed & FOCVM notat, qui tritum eſt *arae* ſynonymum. Hinc & verbum *Vro* apud Latinos eſt, quia focus urit. Et hinc *Arae* (quae & *focus* dicitur) vox, modo V in A vertatur: id quod Chaldaeis in defectivis ſecundâ eſt uſitatiſſimum. Itaque quod *Aram* pro *Ora* aut pro *Vra* dixerimus, hoc Chaldaeis debemus, O in A ſaepe mutantibus.

(35) Apud Sophoclem Ἐσχάρα βωμῶ (*focus Altaris*) reperitur ſcriptum, quia ἐσχάρα ſive *focus altari*, ſi ſolidum eſſet, ſuperponebatur; ſi cavum (ſicuti Moſaicum) inſundebatur.

piſſe puto; nam a principio Ἐσχάρα in id fiebat, ut loco altaris portatilis eſſet. Atq. id ut clarius pateat, ſciendum eſt veterem Graecanicam Ἐσχάραν fuiſſe Altaris Moſaici hoc Exodi cap. deſcripti compendium: quod brevi comparatione utriuſque mihi demonſtrandum propono. Nam I. Sicuti Altare Moſaicum *Arulam* in ſummo habuit, eam & *Eſchara* (i. e. *focus*) habuit, quia etymon *Eſcharae* teſte Euſtathio, eſt παρὰ τὸ ἔχειν ἄραν, *ab eo quod Arulam contineat*. II. Vtrumq. quadratae ſive potius parallelepipedae figurae fuit: ſed in Moſaico parietes erant de ligno Setim, & obducti metallo, at in *Eſchara* erant ferrei, ſi antiquis credimus. III. Vtrumque cavum fuit: in Moſaico ex deſcriptione partium id conſtat: at ἐσχάραν fuiſſe κοίλην, etiam ex eo declaratur, quod ulcera ſi cava eſſent, ob hoc antiqui ἐσχάρας nuncuparint. IV. Vtrumque περιφόρητον ſeu portatile. V. Vox Ἐσχάρα interdum *craticula* exponitur, quia pars notabilis *Eſcharae* craticula fuit, cui ignes impoſiti per ſparſa foramina cineres in ſubjectum inane dejiciebant. VI. Ad Aram quod attinet, haec ex ipſo *Eſcharae* nomine ibi fuiſſe oſtenditur; nam Ἐσχάρα, quia (ut ſaepe dixi) παρὰ τὸ ἔχειν Ἄραν dicta fuit, ideirco non male ita definietur, ut ſit *Habens Aram*. Habes jam in *Eſchara* Moſaici Altaris compendium. Quod eo feci, ut unum ex altero invicem illuſtretur, & penitius intelligatur.

Quae hîc de Ἐσχάρᾳ ſcripſi, magnam partem ex Euſtathio ad Homerum aliiſque Scholiaſtis decerpta ſchedae cuidam duobus tribuſve verbis commendaveram. Sed piguit eos alioſve ab inchoato evolvere, & ex iis verba deſcribere.

AD EX. XXVII. 8.

Non ſolidum ſed inane & cavum intrinſecus facies illud (Altare).] Hoc etiam confer eum paullo ſuperius dictis, ubi Ἐσχάραν κοίλην cum Altari Moſaico *vacuo* comparavimus.

AD EX. XXVII. 9. & 18.

Ver. 9. *Facies & Atrium tabernaculi . . .* Ver. 18. *In longitudine occupabit atrium cubitos centum, in latitudine quadraginta, altitudo quinque cubitorum erit.*] Tabernaculum ſupra deſcriptum cap. XXV. & XXVI. quaeque deinceps hoc cap. XXVII. facta dicuntur, ea dubitare non ſinunt, quin mediis ipſis caſtris aut proxime caſtra fuerint conſtructa. Atque hunc morem a gentibus obſervatum animadvertimus, iis maxime, quibus ſive amicitia ſive notitia gentis Iſraëliticae aliquando fuit. Venitque in mentem cultiſſimae nationis Samnitium: quorum, utpote Tuſcorum, originem ex Chanaanitide aut proximis ex locis fuiſſe, nummi (36) demonſtrant. Samnitibus ergo atrium & arae in mediis caſtris erant. Apud Livium X. 38. nefandus illae dirae religionis apparatus, qui ibi deſcribitur in atrio, quod *mediis* Samnitium caſtris erat, ad aras poſt ſacrificia peractus fuit: *Ibi*, inquit Livius, *MEDIIS fere CASTRIS locus eſt conſeptus cratibus pluteiſque, & linteis contectus; patens ducentos maxime pedes in omnes pariter partes . . . Arae in medio, victimaeque circa caeſae*. Cetera propter diritatem ſacramentorum libens omitto.

AD

(36) Samnites Etruſcos fuiſſe, imo ejus gentis cultiſſimos, oſtendunt triti numni Samnitici duo a V. Cl. Hannibale ex Abbatibus Oliverio expoſiti tom. 2. Diſſert. Corton. a pag. 49. ac deinceps. Nec deſunt alii praeterea nummi Samnitici Tuſcis litteris Tuſcoque ſermone inſcripti.

AD EX. XXVII. 20.

Vt ardeat lucerna ſemper.] De verbo עלה *alah* exſtat in fine inter Diſſertationes illa, quae eſt numero quarta, qua oſtenditur, verbum hoc non aliud ſignificare quam quod hîc Hieronymus interpretatur. Ea plurimis Scripturae locis, non recte expoſitis opem feret.

AD EX. XXVIII. 4.

Rationale.] Hebraicum חשן *chosben* LXX alias ſemper λόγιον aut λογεῖον (h. e. *rationale*) verterunt: hic autem περισθήθιον i. e. *pectorale* reddunt. Alterum hoc veſtis genus erat non manuleatae, quam poſteriores *colobium*, aut *dalmaticam* appellarunt. Ammianus Marcellinus, quam nos Diaconorum dalmaticam dicimus, eam *pectoralem tuniculam ſine manicis* appellavit lib. XIV. cap. 9. ubi de Mara diacono agit, qui eam veſtem Tyrii textrini praepoſito pertexendam mandarat. Vide Valeſium in eum locum. Omnino autem *Pectorale* & *Rationale* ſemper tamquam ſynonyma in re veſtiaria eccleſiaſtica habebantur.

AD EX. XXVIII. 16.

Quadrangulum erit & duplex.] Heb. כפל *chaphul*, quod eſt *duplex* ſive *replicatum*. At vero quas διπλὰς χλαίνας ſaepe memorat Homerus, eas ſic interpretantur, ut e duplici & contorto licio eſſent contextae, cum contra ἁπλοΐδες e ſimplici nectérentur. Pollux VII. 13. Εἰσὶ δὲ χλαῖναι, αἱ μὲν ἁπλοΐδες, αἱ δὲ διπλαῖ. Euſtathius inter διπλῆν atque διπλάσιον ita diſtinguit, ut διπλῆν κατὰ μέγεθος dicatur, διπλάσιον autem κατ' ἀριθμόν. Itaque illud eſt veriſimilius, etiam hîc *Duplex* eſſe *contextum* ex craſſiore licio.

AD EX. XXVIII. 31. 32.

Facies & tunicam ſuperbumeralis totam hyacinthinam. Ver. 32. *In cujus medio ſupra erit capitium, & ora per gyrum ejus textilis; ſicut fieri ſolet in extremis veſtium partibus, ne facile rumpatur.*] Plura de *Capitio*, qui voluerit, praeter alios multos, qui ante delibarant, adeat Martinii Lex. Philolog. Cangii Gloſſar. Voſſii Animadv. Gram. l. ult. Quibus equidem pauca addam, quae aliorum induſtriam effugerunt. Pluries in ſacro Cod. vox *Capitium* occurrit, hîc & infra XXXIX. 21. Et Job XXX. 18. *Quaſi capitio tunicae*. Ei verbo reſpondet in Heb. פי ראש *pi roſh*, h. e. *os capitis*, quaſi dixeris *Capitis aperturam, modulum, effigiem*. Nec mihi dubium videtur (id quod & aliis viſum) quin verbo hoc non aliud notetur, quam foramen ſive apertura in medio tunicae aliuſve geſtaminis, per quam veſtis in collum infindatur. LXX hanc vocem pluries περισώμιον aptiſſime reddiderunt: a quibus vetus Itala verſio id hauſtum non dubitavit integrum uſurpare. Sic enim hic locus ab Auguſtino recitatur quaeſt. 118. *Et facies tunicam talarem hyacinthinam: Et erit PERISTOMIVM ex ea medium, oram habens in circuitu PERISTOMII, opus textoris*. In Cyrilli Gloſſis Περισώμιον ſemel *Rictus* h. e. apertura vertitur, ac rurſus περισώμιον φρέατος eſt *Puteale*. Vt vero ad veſtes per caput facilius immittendas ora illa, cui Capitio ſeu περισωμίῳ nomen, aſpectabilior ſimulque firmior ad attritum eſſet; idcirco opere textili muniebatur: uti Moſes hîc jubet, *Et ora*, inquit, *per gyrum textilis*.

Ex dictis palam eſt, apte LXX & ex his veterem Italam hunc locum ex Hebraeo reddidiſſe: ſed aptius Hieronymum vertiſſe *Capitium*, veteris Latii verbo

verbo uſum. Quod verbum *Vulgi* etiam ore uſurpabatur, ipſo Hieronymo fatente epiſt. ad Fabiol. (ubi de pontificalibus indumentis) in haec verba: *Tunica talaris . . . aperta (quod VVLGO CAPITIVM vocant) oris firmiſſimis ex ſe textis, ne facile rumpantur.*

AD EX. XXIX. 1.

Tolle vitulum . . . . & arietes duos immaculatos.] Hebraeum תמים *thamim* LXX ſemper per ἄμωμος reddiderunt. Tam Hebraea vero vox, quam Graeca ἄμωμος non tantum *immaculatum*, ſed & *integrum* notant, ut (ſi de animali ſermo ſit) intelligitur illud cui nec teſtes nec aliud deſit. Hinc ex Graecis interpretibus neſcio quis unus in Levit. XXV. 30. pro ἐναυτὸς ὅλος *annus integer* (Hebr. תמימה) poſuit ἐναυτὸς ἄμωμος. Ergo tam Hebr. *Thamim*, quam Graec. ἄμωμος pro *integro* accipiuntur quoties de teſticulorum alteriuſve rei integritate ſermo eſt. Sive igitur arietes exſecti, ſive θλασίαι fuerint, h. e. contuſis teſticulis, hi non habentur immaculati, nec ad ſacerdotum conſecrationem idonei. De Latinitate vocis *Immaculatus* apud nonnullos falſo ſuſpecta vide quae in imo (37) aſpergimus.

AD EX. XXIX. 12.

Super cornua altaris.] Cornua altaris fuiſſe videntur protenſurae quatuor in totidem angulis altaris. Lycophron ver. 1068. Ἱππωνίᾳ πρῳρὸς κέρας h. e. *Vibonenſis jugi cornu* dixit i. e. promontorium, qui Lampetes vocabatur in Bruttiis. Ibi Tzetzes: Κέρας, τὸ ἀκρωτήριον.

AD EX. XXIX. 20.

Sumes de ſanguine ejus, & pones ſuper extremum auriculae dextrae Aaron & filiorum ejus.] Confer Lev. VIII. 22. 23. XIV. 14. 17. 25. 28. Quibus locis pro Hebraico הגנך *thenuch* LXX λοβὸν poſuerunt. Haec idcirco fieri jubentur, uti ſacerdotes memores officii in omne tempus eſſent. Nam & apud gentiles λοβὸς ille memoriae ſedes habita, ut auctor eſt Plinius XI. 45. *Eſt*, inquit, *in aure imâ memoriae locus, quem tangentes atteſtamur.* Ibi Lipſius *anteſtamur* legi jubet; ea enim conſuetudo Romanis fuit, ut actor imam auriculam anteſtati tangeret, addens, *memento*. Notus eſt Horatii locus I. ſat. 9.

\- - - *licet anteſtari? ego vero*
Oppono auriculam.

Et quidem λοβὸν a prehenſione ſic dictum docet Etymologici auctor his verbis: λοβοὶ λέγονται, ἐπειδὴ μαρτυρόμενοί τινι, λαμβανόμεθα αὐτῶν. Hinc etiam *aurem vellere* apud Latinos eſt *admonere* Virg. Ecl. VI. 3.

\- - - *Cynthius aurem*
Vellit & admonuit.

(37) *Arietes duos immaculatos.*] Vox *immaculatus* (quae tamen ſaepe in vulgato interprete occurrit) Voſſio novitatis falſo ſuſpecta fuit. Vtitur enim Lucanus libro ſecundo extremo:

Romanaque tellus
Immaculata ſui ſervetur ſanguine Magni.

Auſon. in gratiar. act. ad Grat. *Mente pura immaculabili conſcientia.* In Auguſtini Locutionib. ex Itala antiqua Lev. IV. 23. affertur *Hircum de Capris, maſculum, immaculatum.* Nec dubito quin alibi pluries antiquitas uſurparit.

Ex hucuſque dictis facile patebit ratio caerimoniae hîc deſcriptae, verior utique, quam quae ab aliis interpretibus hîc traditur.

AD EX. XXIX. 23.

Tortamque panis unius, cruſtulam conſperſam oleo, Laganum de caniſtro azymorum.] Exſtat in fine Diſſertatio hujus argumenti, quae eſt num. quinta.

AD EX. XXX. 1.

Ad adolendum thymiama.] Veterum gentilium ſuffitus in ſacris uſitatos non ture aliiſve pretioſis aromatibus hodiernis (quae poſterioris uſus omnia) ſed herbis, arborumque corticibus aut fruſtis conſtitiſſe, jam pridem viri docti demonſtrarunt. Quibus adde quae Potterus habet II. Archaeol. 4. n. II.

AD EX. XXX. 35.

Facieſque thymiama compoſitum.] De Κῦφι Aegyptiaco fortaſſis jam alii adnotare plura occuparint. De eo enim Plutarchus, Galenus, S. Hieron. meminerunt. Vide Kircherum Tom. 2. Oedipi par. 2. pag. 539. Huc referendum videtur opus illud Manethonis deperditum apud Suidam περὶ κατασκευῆς κυφίων h. e. de ſacri ſuffitus, quod Κῦφι Aegyptiis vocabatur, praeparandi ratione. Apud me quidem certe Moſaicum iſtud thymiama ab Aegyptio Κῦφι differt, imo (nequid ſacris Moſaicis deeſſet) loco τῦ Κῦφι Aegyptii praeſcriptum a Moſe juſſu divino fuit.

AD EX. XXXI. 2. 3. 4.

Ver. 2. *Ecce vocavi ex nomine Beſeleel filium Vri filii Hur de tribu Juda.*] Patrem enuntiavit, matrem (quae Maria ſoror Moſis fuit) tacuit ſcriptor divinus: an ne forte ſtudio cognationis videretur abreptus ad tot laudes conferendas in hunc admirandum artificem? cujus ſepulcrum ad moenia Sidonis Judaei ejus urbis incolae fuiſſe teſtantur.

Ver. 3. *Et implevi eum ſpiritu Dei, ſapientia & intelligentia, & ſcientia in omni opere* (Ver. 4.) *ad excogitandum quidquid fabre fieri poteſt ex auro, & argento, & aere . . . .*] Quod Beſeleel iſte a *ſapientia* & *intelligentia* & *ſcientia* tantopere a Legislatore magnificetur, id ſuſpicor anſam praebuiſſe impoſtoribus, uti hunc Beſeleelem ex architecto & artifice mirifico (cujuſmodi Moſes praedicavit) etiam ſcriptorem γνωμολόγον (*ſententiarum ſcriptorem*) efficerent, in quo praecipue ſapientia verſatur, non memores ſcil. *ſapientiam*, *ſcientiamque* non raro in Scripturis confundi. Dicam jam planius, quo haec ſpectent. In quadam Graeca Collectione ſententiarum (edita Baſil. ann. 1521. cui titulus *Scriptores aliquot Gnomici*) pag. 158. reperi hoc Beſeleelis dictum: διαφέρει τῦ νηπίυ καθ' ἡλικίαν ὐδὲν ὁ ἐν ταῖς φρεσὶ νηπιάζων. *Mente qui deſipit, nihil ab eo qui aetatis defectu deſipit, diſcrepat.* Pro Pſeudo-Beſeleelis alicujus dicto omne iſtud habeatur licebit; nec enim Beſeleel Moſaicus recitatae ſententiae auctor eſſe potuit.

Et implevi eum Spiritu Dei ſapientia & intelligentia & ſcientia in omni opere.] Mirum videbitur ſapientiam appellari eam, quae circa arte facta verſatur: at eâdem notione *ſapientiae* vox uſurpabatur antiquitus: unde Homerus, in loco hujus plane gemino ac germano cecinit Il. XV. 410.

Ἀλλ'

Ἀλλ' ὥστε τέκτονος ἐν παλάμῃσι δαήμονος, ὅς ῥά τε πάσης
Εὖ εἰδὴ ΣΟΦΙΗΣ ὑποθημοσύνῃσιν Ἀθήνης·
Ὣς &c.
Dirigit ac veluti navalia robora amuſſis
In manibus fabri, penitus cui ſcilicet omnis,
Pallade praeceptrice, operum SAPIENTIA nota eſt:
Sic &c.

Quod de Minerva magiſtra ultimo verſu additur, id & Od. XXIII. 159. de hac ſimulque de Vulcano praedicatur his verſibus:

Ὡς δ' ὅτε τις χρύσον περιχεύεται ἀργύρῳ ἀνὴρ
Ἴδρις, ὃν Ἥφαιστος δέδαεν καὶ Παλλὰς Ἀθήνη
Τέχνην παντοίην, χαρίεντα δὲ ἔργα τελείει.
Argento veluti cum quis catus oblinit aurum,
Omnigenas quem Vulcanus docuitque Minerva
Artes, unde ſagax opera uſque elegantia cudat.

Minerva μαχανῖτις celeberrima veteribus fuit, de qua, ut & de Minerva ERGANA dixi non pauca ad anaglyptum quoddam in Comment. ad Amphith. Campan. circa ejus libri finem.

AD EX. XXXI. 18.

Scriptas digito Dei.] Profani quoque legum latores (diabolo Divina opera imitante) leges ſuas ad deorum aliquem auctorem referebant; ad Jovem Rhadamantus ac Minos, Lycurgus ad Apollinem, Romulus ad Conſum, Numa ad Egeriam &c. Plura exempla collegit Diodorus Sic. lib. 1. p. 48. Val. Max. lib. 1. c. 2. & ex recentioribus Baltaſſar Bonifacius hiſt. ludicrae XIX. 1.

AD EX. XXXII. 4.

Quas (inaures) *cum ille* (Aaron) *accepiſſet, formavit opere fuſorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem.*] Tot jam opinionum commenta de hoc Aaronico vitulo conflatili prodierunt, ut novas de eo comminiſci ſtultum putem. Hoc moneo tantum, illorum placitum, qui non integrum vitulum fuiſſe ab Aarone conflatum, ſed caput dumtaxat, nube antiquorum teſtium confirmari, veluti Tertulliano, Lactantio, Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino, Optato, Iſidoro, tot aliis: quibus addere liceat Nicetam Choniatem, nunc ſe mihi offerentem, qui pag. 226. memorat ταυρόχρανον, h. e. bubulum caput Iſraëlitarum ebrietate conflatum, fuiſſe a Moſe comminutum. Ac revera caput integri animalis loco eſſe, nummi paſſim oſtendunt, in quibus deorum hominumque capita pro integris ipſis exhibentur. Nec ſecus Minotauri caput pro integro illo ſemiviro numiſmata paſſim oſtendunt.

Ac miſſis pluribus, illud mihi non temere videor eſſe dicturus, ex capite bubulo, quod Iſraëlitae hîc, poſtea vero decem tribus adoraverunt, Graecorum fabellam videri poſtea conflatam de aſinino capite, quod conſtanti ſuperſtitione ab Judaeis coli ethnici nugabantur. Id ex eo fortaſſe natum, quod ſicuti cetera idola, ſic vitulinum illud caput אָוֶן *aven* (ſeu veriore pronuntiatione *On*) h. e. *abominationem* Hebraei orthodoxi appellare conſueverint; & locum faedae ſuperſtitionis

ſtitionis (qui antea *Bethel* dicebatur) *beth-aven* poſtea , aut potius *Beth-On* (quia poſterior haec pronuntiatio verior) nuncuparint . Id. erat Graece ambiguum , quia οἶκος ὄνου tum *templum abominationis* , tum *aſini* reddebatur . Quare ex eo Graecorum foediſſima de cultu aſinino calumnia originem traxit : de qua ad Of. IV. 15. plura dixi .

AD EX. XXXII. 6.

Et ſedit populus manducare & bibere , & ſurrexerunt ludere .] Id quidem ad choreas & hujuſcemodi luſus , qui in partem religioſi cultus veniebant , referunt eruditi viri . Ceteroqui notum eſt priſcos homines poſt epulas aleis , talis , & aſtragalis aliiſve quibuſcumque ludis vacaſſe ; quod ex Platone & ex aliis doceri poteſt .

AD EX. XXXII. 15.

Portans duas tabulas teſtimonii , ſcriptas ex utraque parte .] Receptum olim non fuiſſe morem ait Calmetus hîc , ſcalpendi litteras ex utraque parte lapidis , eoq. hîc factum putat , ut ſedulo monendum cenſuerit Moſes, tabulas illas utrinq. exaratas fuiſſe . At equidem , ſi quid in veterum Hebraeorum more fuerit , ex Graecorum Romanorumque vetuſtis marmoribus exiſtimare licet , non pauca hujuſmodi monumenta ὀπισθόγραφα , & quidem eodem utrinq. exemplo , aut ferme eodem , & vidi , & a Grutero , Fabretto , & aliis afferri animadverti . Id eo , opinor , faciebant , ut ſive marmor parieti adpingebatur , qua parte adhaerebat , a quavis injuria ſervaretur ; ſive utriuſque paginae liber adſpectus erat , eadem epigraphe legi utrinque poſſet . Quid ergo impedit , quo minus idem in hiſce tabulis factum credamus ? Et erant ὀπισθόγραφοι quidem , ſive ex utraque parte perſcriptae , ſed eodem exemplo . Quae cautio quia non perpetuo adhibebatur ; ideo fuiſſe in his tabulis adhibitam, Moſes hîc ſibi diſerte docendum e re putavit.

AD EX. XXXII. 17. 18.

Audiens autem Joſue . . . dixit ad Moyſen : Vlulatus pugnae auditur in caſtris. Qui reſpondit : Non eſt clamor adhortantium ad pugnam , neque vociferatio compellentium ad fugam , ſed vocem cantantium ego audio .] Vide quae de bellica iſta vociferatione (Graece ἀλαλητῷ , unde manavit ad Latinos *ululatus* , quem Livius Gallis pugnantibus tribuit) congeſſit Feithius IV. Antiq. Homer. 14.

Porro LXX hîc pro verbo ענה *anah* verbum ἐξάρχω repoſuerunt , quod toties fere facere conſueverunt , quoties de choris cantionibuſve ageretur ; veluti Ex. XV. 20. Num. XXI. 17. 1. Sam. XVIII. 7. XXI. 11. XXIX. 5. Pſalm. CXLVI. 7. quibus certe locis omnibus , qui ſunt de re muſica , Graeci , uti dixi , interpretes pro ענה *anah* ἐξάρχω uſurparunt . Ergo ἐξάρχω muſicum verbum eſſe pro *praecinere* poſitum , ſupervacaneum eſt docere. Eâ gratiâ LXX hîc verterunt : οὐκ ἔστι Φωνὴ ἐξαρχόντων [*praecinentium*] κατ' ἰσχὺν , οὐδὲ Φωνὴ ἐξαρχόντων τροπῆς (praecinentium ad fugam) ἀλλὰ φωνὴν ἐξαρχόντων οἴνου (praecinentium ad pocula) ἐγὼ ἀκούω . Antiqui omnia ferme rhythmice aggrediebantur. In remigatione ecquod portiſculi munus fuerit , ſatis ſcitur . Plutarchus Alcibiade Callipedem hiſtrionem tragico cultu indutum remigum officia cantando direxiſſe narrat . Silius lib. VI.

Mediae ſtat margine puppis
Qui voce alternos nautarum temperet ictus ,
Et remis dictet ſonitum , pariterque relatis

Ad

Ad numerum plaudat resonantia caerula tonsis .

Herodianus in descriptione ἀποθεώσεως decurrisse equites narrat πυῤῥιχιῷ δρόμῳ καὶ ῥυθμῷ . Ac ne singula ῥυθμικῶς peracta percurram; in pugnarum etiam commissionibus ῥυθμῷ delectabantur . Suidas in Ἐλελεῦ . Οἱ πρωσιόντες ἐς τὸν πόλεμον Ἐλελεῦ ἐφώνουν μετά τινος ἐμμελοῦς κινήσεως . *Bellum enim inituri ELELEV canunt non sine motu rhythmico* . Diodorus Siculus de Hispanis : ἐν δὲ τοῖς πολέμοις πρὸς ῥυθμὸς ἐμβαίνουσι , καὶ παιᾶνας ᾄδουσιν , ὅταν ἐπίωσι τοῖς ἀντιτεταγμένοις . *In praeliis ad rhythmos incedunt , & paeanas canunt invasuri hostem* . De iisdem Silius lib. VIII.

Misit dives Callaecia pubem ,
Barbara nunc patriis ululantem carmina linguis ,
Nunc pedis alterno percussâ verbere terra ,
Ad numerum resonas gaudentem plaudere cetras .

Et lib. X.

Ac ritu moris Iberi
Carmina pulsata fundentem barbara cetra
Invadit .

Lacones quoque ad tibiam & numeros ingrediebantur & congrediebantur . Nec minus Galli & Germani cantum ac saltationem in praeliis adhibebant . Ex his omnibus verisimile fit, Hebraeis (ut hinc discimus) rhythmum aliquem in praeliis usitatum videri : alioqui enim causa nulla fuisset , cur idem ille tumultus , qui Mosi canentium ac ludentium videbatur , ad Josuae aures accidens , pro pugnantium ululatu fuisset habitus . Id eo fit , quia non minus in pugna , quam in choris , numerus aliquis adhiberi solitus ab Hebraeis : qui mos inde ceteras nationes pervasit .

AD EX. XXXIII. 7.

Moyses quoque tollens tabernaculum , tetendit extra castra procul , vocavitque nomen ejus Tabernaculum foederis .] Ad hoc tabernaculum foederis temporarium , non ad juge foederis tabernaculum (quod cap. XL. erectum narratur ; quodque adeo non extra castra fuit , quia quod in Romanis castris praetorium ducis fuit, hoc apud Israëlitas tabernaculum Domini , qui dux exercitus erat) omnino respexit Eusebius , cum de Constantino prodidit in II. de vita Const. 12. Τῷ μὲν σταυρῷ τὴν σκηνὴν ἐκτὸς καὶ πορρωτάτω πηξάμενος . . . κατ' αὐτὸν ἐκεῖνον παλαιὸν τοῦ Θεοῦ προφήτην , ὃν τῆς παρεμβολῆς ἐκτὸς πήξασθαι τὴν σκηνὴν , τὰ θεῖα πιστεῦται λόγια . *Et crucis quidem tabernaculum fixit longissime extra castra . . . exemplo veteris illius Prophetae , quem extra castra tabernaculum constituisse , divina oracula fidem faciunt* . Et quidem non tantum extra castra , sed & πορρωτάτω Crucis tentorium Imperator firmavit : sicut hîc Moses ex LXX , ἔξω τῆς παρεμβολῆς , μακρὰν ἀπὸ τῆς παρεμβολῆς .

AD EX. XXXIV. 6.

Patiens , & multae miserationis ac verax .] Nunc primum occurrit locutio ista , ארך אפים *erech appajim* , *longus naribus* (quae alibi saepissime usurpatur) ac ferme conjungi solet , ut hîc , cum רב־חסד *rab hesed* , *multus misericordia* .

Ejus

Ejus contrarium eſt קצר אפים *ketſar appajim* (*brevis naribus* , ὀξύθυμος) Prov. XIV. 17. Et quidem etſi אף *aph* ſaepe furorem ſignificat ; tamen duali numero videtur quidem proprie & grammatice *nares* (utpote binas) notare , translate vero *iram* . Nam praeter Hebraeos , antiqui olim ut frontem pudoris , riſus lienem , ſic & irae ſedem naſum ſtatuerunt . Notum illud Theocriti :

Καὶ οἱ ἀεὶ δριμεῖα χολὴ ποτὶ ῥὶν κάθηται .
Olli bilis amara uſque inſidet horrida naſo .

Plautus Amphitruone actu IV. in ſcaenis dubiae auctoritatis : *Vetu 'ſt adagium . Fames & mora Bilem in naſum conciunt* . Perſius :

Diſce ſed ira cadat naſo rugoſaque ſanna .

Sed & irriſio , quatenus derivatur ex ira , naſo tribuitur . Πυκτῶ Suidae eſt μυκτηρίζω. *Nario* in Gloſſis idem qui *ſubſannator* . Certe ex Hebraeorum diſciplina κλευασμὸς ex ira proficiſcitur , ut illud : *Ego autem in furore meo ridebo & ſubſannabo vos* . Hinc *naſo ſuſpendere adunco* , hinc *ſubſannare* , quod Graecis μυκτηρίζω , ac tot alia .

Verum unde hoc eſt , quod apud Hebraeos narium longitudo patientiam , brevitas ὀξυθυμίαν notat ? Inde opinor , quod qui iraſcuntur , nares corrugant , unde eſt illud modo ex Perſio allatum , *Rugoſaque ſanna* [*Sanna* enim ad naſum pertinet , unde illud Juven. VI. 305. *qua ſorbeat aëra ſanna*] & omnino *corrugare nares* Latinis ſuccenſere ſignificat . Id vero inde fit , quod in ea animi perturbatione ſpiritus aeſtuans ac veluti ebulliens concitatior erumpit , nareſque vicibus crebris dilatat atque corrugat ; unde & naſi brevitas , ejusdemque , poſtquam ira reſedit , productio . Hom. Od. . . . 317.

Τῶδ' ὠρίνετο θυμὸς , ἀνὰ ῥῖνας δὲ οἱ ἤδη
Δριμὺ μένος πρύτυψε .
Hujus inardeſcente animo , jam ſpiritus acer
Nare foras prorumpit .

Ceterum *Corrugare nares* pro *iraſci* videtur & ab Hebraico ſermone non alienum . I. Sam. III. 13. Sacerdoti Eli ſupplicium intentatur , eo quod non כהה בם *chibab bam* , i. e. *Corrugatus fuit in eos* (filios ſuos) reprimendo & coërcendo eos. Quamquam non narium tantum , ſed & frontis totiuſque oris (nam totum hoc אפים *appaim* dicitur) corrugatio iram comitatur : eaque uti dixi ὀξυθυμίαν (*ſubitam excandeſcentiam*) ut contra explicatio μακροθυμίαν , *longanimitatem* prodit . Inde , uti dixi , ortum ut *longus naribus* patientem ſignificet .

Et hic Spicilegii in Exodum finis eſto : quia quae ſequuntur Exodi capita , ea deſcriptorum jam operum exſecutionem ſub Beſeleele architecto exponunt . Superſunt tamen loca ſex longiuſculâ explicatione enarrata , quae in totidem ſequentes Diſſertationes conjeci .

DISSER-

DISSERTATIONES (1)

OLIM AD QVAEDAM EXODI LOCA SPARSIM PROMISSAE.

DISSERTATIO I.

DE VOCE שלישים *ſcialiſhim*

AD EXODI XV. 4.

Promiſſa ſup. pag. 31. ad EX. XV. 4.

CVrrus Pharaonis & exercitum ejus (Dominus) *projecit in mare : electi principes ejus ſubmerſi ſunt in mari rubro.*] Ex iis, quae de שלישים *ſcialiſeim* & τριστάται ſupra ad Ex. XIV. 7. in Spicilegio dixi, colligitur non ab re Noſtrum interpretem vertiſſe hîc *principes*. Aſtipulatur enim praeter alia vetus poëta Ezechiel in Ἐξαγωγῇ, qui cum easdem, aut συνωνύμους voces, quas in LXX repererat, adhibere ſoleat; hîc tamen pro ſeniorum τριστάταις, πρεσβύταις i. e. *duces* ſive *praefectos* poſuit, ratus eſſe ſynonyma. Sic enim ſcripſit :

Ὡς γὰρ σὺν ὄχλῳ τῷδ' ἀφύσσετον δίφρον
Βασιλεὺς Φαραὼ μοῖραν ὅπλων μίτρα,
Ἵππον τε πώλους, ἁρμάτων τε τετραύρων,
Καὶ τριστάταισι (niſi malumus τριεπάτοισι reponere) καὶ πυραστάταις ἐμοῖ . . .
Poſtquam Pharao profiluit ex regia
Seipatus innumerabilis vi exercitus,
Equiteq. cuncto, curribuſq. quadrijugis,
Ducibuſque, ſtrenuiſque defenſoribus.

LXXviralis autem hujus loci verſio hoc differt a Vulgata, quod Seniores τριστάτας conſtruunt cum ſuperioribus in hunc modum : Ἅρματα Φαραὼ, καὶ τὴν δύναμιν αὐτοῦ ἔῤῥιψεν εἰς Θάλασσαν, ἐπιλέκτους ἀναβάτας τριστάτας· κατεπόθησαν ἐν ἐρυθρᾷ Θαλάσσῃ, πόντῳ ἐκάλυψεν αὐτούς : hoc eſt, *Currus Pharaonis & exercitum ejus projecit in mare, electos aſcenſores triſtatas : Abſorpti ſunt in mari rubro : ponto operuit eos.* At contra Maſorethica Hebraici textûs interpunctio (quae talis eſt : *Currus Pareh & virtutem ejus, ſive exercitum, dejecit in mare : & electio triſtatarum ejus ſubmerſi ſunt in mari Suph*) cum Vulgata conſentit, differt autem a LXX. Verum haec nihil ad ſententiae ſummam.

Hoc etiam notandum quod pro verbo uno שלישיו *ſcialiſeiu* Seniores duo vocabula appenderunt, ἀναβάτας τριστάτας, quaſi dicas *aſcenſores triſtatas*. *Triſtatae* quinam ſint, valde obſcurum : at Valeſius ad Euſeb. Hiſt. IX. 9. hanc notionem tamquam de ſuo attulit, quod τριστάται ternos e curru pugnantes notare videantur. At vetuſta haec expoſitio fuerat Origenis atque Nyſſeni, quorum fragmenta interpretationum textui Seniorum in quibusdam editionibus ſubjiciuntur. Nam ibi legitur : ὁ μὲν ἡνίοχος, ὁ δὲ ὑπερέπιζεν, ὁ δὲ ἐμάχετο. *Unus agitator, alius clypeo protegebat, alius* proprie *pugnabat*. Veriſimillima interpretatio, quae ipſa tamen ſuo commentario indiget.

Sciendum eſt enim currum heroicis temporibus duos ſaltem recepiſſe ſeſſores, nempe ἡνίοχον (i. e. agitatorem) & παραβάτην (Homero παραιβάτην) cum nempe qui de curru pugnabat,

(1) Nemo miretur ſi breviores ſint, quam pro conſueto diſſertationum modulo. Quid quaeris ? Hae quoque donari pari titulo geſtiebant, quo germanae ſuae ad finem Geneſis nuper prodiverant.

pugnabat, quem & dominum currus fuiſſe dicit Heſychius : παραβάται, inquit, οἱ ἐπὶ τῶν δίφρων ἑστῶτες μαχόμενοι, οἱ κύριοι τῶν ἁρμάτων. Pollux I. cap. 10. ſegm. 141. Ἐπιβεβήκασι δὲ τῷ ἁρματείῳ δίφρῳ ἡνίοχος καὶ παραιβάτης· ὃν ὁ Πλάτων ἀναβάτην μικρασπίδα ἰκάλεσε. *Currus vero ſedem conſcendebant Auriga & Aſcenſor, quem Plato* ἀναβάτην μικράσπίδα i. e. *Aſcenſorem cum parvo ſcuto vocavit*. Ac profecto quod Plato μικράσπίδα appellarit, id notat *parma* aut *pelta* (brevibus ſcil. armis) *ſtantem*. Confirmat haec Athenaeus lib. V. cap. 8. in celebris pompae deſcriptione : Ἐπὶ δὲ πάντων τούτων (ἁρμάτων) ἀναβεβήκασι παιδάρια χιτῶνας ἔχοντα ἡνιοχικοὺς καὶ πίτασους· παραιβεβήκασι δὲ παιδισκάρια διεσταλμένα πτελταρίοις καὶ θυρεολόγχοις &c. *In omnes hos currus conſcenderant adoleſcentuli, cum petaſis & auriganum habitu; quibus ſe adjungebant parabatae puelluli cum exiguis peltis & lanceis ſub thyrſorum ſpecie latentibus.*

In his omnibus non alios habes, quam agitatores & parabatas. Cum bini ergo curru vectari ſolerent, auriga ſcil. & παραβάτης: quî factum ut Origenes & Nyſſenus ternos aguoverint ? An ſingulare hoc Aegyptiorum fuerit : quos proinde LXX novo donarint vocabulo, ut ἀναβάτας τριστάτας appellarent ? An potius Graecis non modo binos, ſed etiam ternos in uſu fuiſſe ſeſſores dicemus, ut unus *agitator* eſſet, alter *parabates* idemque (uti volunt Origenes & Nyſſenus) ὑπερτιστὴς, tertius *bellator*, idemque dominus currus ?

Ita prorſus mihi videtur. Nam primum omnium Ariſtophanis Scholiaſtes Nubibus annotat, πολεμιστήρια vocari τὰ πολεμικὰ ἅρματα ἐφ' ὧν ὁπλίτης ἐπιβέβηκεν ἅμα τῷ παραβάτῃ. Qui diſtinxiſſe videtur ὁπλίτην h. e. *pugnatorem*, eumdemque dominum currus a *parabate* : quibus quin tertius acceſſerit ἡνίοχος, non eſt quod dubitari poſſit.

Deinde in re nuptiali παρόχους (ita dictos non a παρέχω, ſed quaſi παροχυμένους) inſtar fuiſſe παραβατῶν, antiqui notant grammatici : unde & Heſychius πάροχοι, ait, παραβάται, καὶ παράσπονδοι, καὶ οἱ συμπορεύοντες τῇ νύμφῃ ἐπὶ τὸ ζεύγος. Atqui Favorinus air, ſcriptiſſe Pauſaniam, in curru nuptiali ſponſam ſediſſe mediam, hinc autem ſponſum, illinc πάροχον (qui fuerit unus ex amicis aut cognatis) adſeditſe. Quidni etiam in πολεμιστηρίοις ἅρμασι (*belticis curribus*) terni conſederint, eoque τριστάται appellati ?

Adhaec ex Xenophonte Paed. VII. recitat haec Budaeus : Τὰ μὲν [ἅρματα] καὶ ἀναλαβόντα τοὺς παραβάτας, τὰ δὲ καὶ ἀπολιπόντα. Particula καὶ videtur hoc innuere, τὸν παραβάτην pugnatori & agitatori ita tertium acceſſiſſe, ut & abeſſe potuerit. Poſtremo grammatici, quicunque παραβάτην interpretantur *dominum currus*, non videntur animadverſiſſe vim praepoſitionis παρὰ: quae quidem magis in eum qui tertius accedit, quam in dominum videtur convenire. Atque ex laudatorum grammaticorum numero Homeri Scholiaſtes non recte ad illud Il. ψ. 132.

Ἂν δ' ἵππω ἐν δίφροισι παραιβάται, ἡνίοχοί τε,

Currus conſcendere παραιβάται *auriga*que, annotat : παραιβάται, οἱ ἐπὶ τῶν ἁρμάτων συμπολεμοῦντες, τουτέστι κύριοι τῶν ἁρμάτων. At quid aliud eſt, ſi non iſtud, pugnantia loqui ? quos enim dominos currus facit, ſive primarios pugnatores, eosdem συμπολεμοῦντας dicit. Recte illud συμπολεμοῦντες (tales enim fuere παραβάται, quia τῷ ὁπλίτῃ συνεπολέμουν) at nego eosdem fuiſſe dominos currus (2) quae eo dicta ſint, ut appareat, non nugatos Origenem atq. Nyſſenum, cum ternos illos curribus inſidentes intelligi per ἀναβάτας τριστάτας, adnotarunt.

Fuit autem cum per τριστάτας deſignatas credidi trigas heroicorum temporum ab Homero deſcriptas, ita ut trijugo curru vectos textus quidem Hebraicus שלישים *ſcialiſcim*, LXX vero τριστάτας appellarint. Nam in curribus, quos Homerus deſcribit, praeter jugales equos duos, fuit & tertius παρήορος. Παρήορος Euſtathio dicitur ὁ ἐγγὺς ἀεὶ τῶν ζυγίων ἢ ζυγίων : Eumdem poſtea παράστιον & στιβαῖον appellatum adnotat. Lorum quo is continebatur, παρηορία ab Homero dicitur, quam recidit Neſtor Il. VIII. 87. ne παρήορος lethali vulnere ſauciatus aliis impedimento eſſet ;

Ὄφρ' ὁ γέρων ἵππειον παρηορίης ἀπέτεμνε
Φοινήϊον αἶσιον.

Cornipedis dum lora ſenex ſcidit, arduus enſe

Fulmineo

(2) Atque ex hoc loco, vel ſi alia deſint, intelligitur, illa Homeri ſcholia non unum auctorem habere, ſed veteri purpurae alios ſubinde pannos aſſutos. Vnus grammaticorum ad Homerum adnotaverat : παραιβάται, οἱ ἐπὶ τῶν ἁρμάτων συμπολεμοῦντες, idque rectiſſime. Alter item (fortaſſe ex Heſychio, cujus verba ſupra recitavi) οἱ κύριοι τῶν ἁρμάτων. Quae duo diverſorum diverſiſſima ſcholia peſſimus aliquis conſarcinator, addito τουτέστι, in unum ineptiſſime ſudit. Niſi forte pro κύριοι velimus κυρίᾳ aut κυρίοις ſcriptum : quae una ei loco medicina adhiberi poteſt.

Fulmineo aggrediens.

At eamdem ob causam Il. XVI. Automedon Αἰξὰς ἀπίνοψε παρήορον Sarpedonis. Eodem libro ver. 148.

Τοῖσὶ καὶ Αὐτομέδων ὕπαγε ζυγὸν ἀκέος ἵππου
Ξάνθον καὶ Βαλίον, τὼ ἅμα πνοιῇσι πετέσθην,
- - - - - - - - - -
Ἐν δὲ παρηορίῃσιν ἀμύμονα Πήδασον ἧκε.

Cornipedes tunc Automedon agit ad juga binos
Xanthumque ac Balium, Zephyros praevertere natos,
- - - - - - - - - -
Atq. ad lora levem temoni Pedason apeuit.

Atque apud Haliearnassensem trigarum Homericarum illustris mentio exstat lib. VII. his verbis: Ἀρχαῖον ἐπιτήδευμα καὶ ἡρωϊκὸν, ᾧ ποιοῦ τοὺς Ἕλληνας Ὅμηρος ἐν ταῖς μάχαις χρωμένους· δυοὶ γὰρ ἵπποις ἐζευγμένοις, ὃν τρόπον ζεύγνυται συνωρὶς, τρίτος παρίππετο στιχαῖος ἵππος ἱμᾶσι συνεζευγμένος, ὃν ἀπὸ τοῦ παρηορᾶσθαι καὶ συνιζεύχθαι παρήορον ἐκάλεον οἱ παλαιοί. *Priscum & heroicum institutum, quo Graecos in pugnis utentes facit Homerus. Nam duobus equis bigarum in morem junctis adjungebatur tertius funalis, adnexus loramentis, quem ab ea re παρήορον prisci vocabant, ab eo scil. quod appensus atque adjunctus esset.* Ergo conjiciebam τρισσάτας eos dictos, qui hujusmodi triga vcherentur, Ecce autem in iisdem Origenis & Nysseni interpretationibus animadverti, & hoc illos occupasse dicere; nam post verba supra recitata hoc sequitur: ἢ τρισσάτας λέγει τοὺς ἐπὶ τριῶν ἵππων ἐπιβεβηκότας· εἰ γὰρ παλαιοὶ ἐν πολέμῳ ἐξιόντες, ἐπὶ τριῶν ἵππων ἐπωχοῦντο.

Ac post recitata Origenis & Nysseni interpretamenta, & haec alia adscribuntur, quae huc afferre proderit, ut quisque, quod e re sua videbitur, tollere inde possit: ἢ τοὺς ἰσχυροὺς καὶ πρὸς τρεῖς δυναμένους ἀντισῆναι· ἢ τοὺς ἐν τῇ παρατάξει τρίτους ἱσταμένους ἐν τῇ φάλαγγι, τούτῳ τῷ τρόπῳ τῆς παρεμβολῆς ἱσταμένης φαλαγγοειδῶς· τῷ γὰρ πρώτῳ πίπτοντος ἢ ἀποσαμένου, ὁ τρισσάτης ὑπεισῆρχετο τὸν ἐκείνου τόπον, ἢ τὸν τρισσὸν, τοῦτ' ἔστι τὸν ἐν τῷ καθίζεσθαι τὸν βασιλέα τρίτον ἱσταμένου, ἢ τὸν τρίτην ἔχοντα καθέδραν· οἷος ἦν ὁ Δαβὶδ παρὰ τῷ Σαοὺλ.

Nonnullae quidem harum interpretationum Origeni & Nysseno tributarum leviusculae sunt: sed tamen quia acutum lectorem dueere ad meliora queunt, huc sicuti reperi, comportavi.

DISSERTATIO II.

QVA CVM EXODI XV. 8. 10. COMPARANTVR ANTIQVIORVM GENTILIVM LOCA.

Promissa sup. pag. 31. ad EX. XV. 8. 10.

VEr. 8. *Et in spiritu furoris tui congregatae sunt aquae . . .* Ver. 10. *Flavit spiritus tuus & opernit eos mare.*] Hebraice ista sic habent: *Flatu narium tuarum congregatae sunt aquae . . . flavisti spiritu tuo, & opernit eos mare.* Pulchra translatio, cohaerens iis omnibus, quae de tonitruali Hebraeorum, Ethnicorumque doctrina descripsimus olim in ea dissertatione inedita, cui FIAZZO (1) nomen fecimus. Nimirum sicuti tonitrualis fragor sermone Biblico Dei ipsius ore exprimi credebatur (id quod gentiles ad Jovem transtulerunt) ita quidquid magnum aut terribile eveniret, quo se maxime Divina potentia proderet, id Hebraei Divino tantum flatui tribuebant, uti cum dicitur: *Verbo Domini caeli firmati sunt, & SPIRITV oris ejus omnis virtus eorum:* ac talia plurima.

(1) Inscriptio Neapoli in colle Pausilypo ante hos triginta annos erat in suburbano nobilium Mazzarum praedio, JOVI FIAZZO sacra. Hebraice יע פי *phi az* est *os praevolidum*; cujusmodi Jovi Tonanti fuisse dicitur, ut qui ore suo tonitrua orbem territantia exprimeret, maxime Neapoli, ubi ex proximo monte Vesuvio, non sine torrentibus ignearum vomitionum proximis & longinqua vastantium, saepissime intonat. Hinc apud Oscos Vesuvii accolas sermone Etrusco montem quidem *Vesuvium* ab אש (*es, Ignis*) vocarunt, eum vero Jovi *Fiazzo* h. e. *Tonanti* fecere sacrum.

ma. Hîc autem flatu tantum ſuo merſiſſe Aegyptios praedicatur Deus.

Manſit autem apud poſteros hujus tam inauditae Aegyptiorum ſubmerſionis memoria; uti conſtat ex Diodoro lib. III. cap. 3. Artapano apud Euſebium in IV. Praep. 27. Pompeio Trogo apud Juſtinum lib. 36. ad quae loca, utpote jam pridem aliis notata, ſatis ſit digitum intendiſſe. Hinc vero etiam factum arbitror, ut *ſinus Arabicus* λίμνη χαλκοκέρωσις, aut aliter ſed eodem intellectu diceretur: quae appellatio laude profecta videtur, quod quidquid hominibus triſte atque horrendum accideret, id veteres Jovis ultoris fulmini tribuerint: id quod ex Luciani Timone, & poëtis omnibus licet cognoſcere. Atque equidem non abſimilem adpellationem nuper in Aeſchyli fragmento apud Strabonem nactus, locum poëtae, Caſaubono viro perſpicaciſſimo parum intellectum, adſcribam. Sic autem apud Aeſchylum in Prometheo τῷ λυομένῳ apud Strabonem lib. I. pag. 33. legitur.

Φοινικόπεδόν τ' ἰρυθρᾶς ἱερὸν
Χεῦμα θαλάσσης,
Χαλκοκέρωτόν τε πᾶν' ὀκταπλῆ
Λίμνην πανοτρόφων Αἰθιόπων,
Ἵν' ὁ πανέσπερος ἥλιος
Αἰεὶ χρᾶτ' ἀθανάτῳ,
Κάματόν θ' ἵππων θερμαῖς
Ἄνακάμπτει πρόχοαις ἀναπνοάς.

quae ſenariis aliquot ita complectitur Xylander interpres.

Mariſque fluctus cernes puniceos rubri
Saerum fluentum, & aereo quae fulmine
Palus ad oceanum pereellitur ſiſta
Omnigenum Aethiopum, qua ſol cuncta
qui videt
Identidem immortale corpus abluit,
Reficitque mollibus undis ſudantes equos.

In quem locum Caſaubonus, *Equam autem*, inquit, *paludem χαλκοκέρωτι Aethiopum poëta intelligat, non ſane ipſe intelligo.* Unde hae viro doctiſſimo tenebrae, niſi quod ἰρυθρὰν θάλασσαν dumtaxat Arabicum ſinum (qui ſolus hodie *mare rubrum* appellatur) intellexit? Vnde conſequens fuit, ut ſtagno χαλκοκεράτῳ locum non invenerit. Atqui meminiſſet ἰρυθρὰν θάλασσαν apud antiquos fuiſſe communem totius Indici Oceani appellationem, ſeu quidquid maris ab Africae παραλίᾳ ad Indos uſque protenditur *mare rubrum* antiquitus dictum (2) ſive ab Erythra neſcio quo rege (quem noſtri *Edomum* fuiſſe putant, quia *Edom*. Hebraeis *rubrum* Latine notat, Graece *Erythram*) ſive ex aliis cauſis indito nomine. Ex quo ſequebatur, λίμνην ei rubro Oceano adſitam non aliud fuiſſe, quam ſinum Arabicum: quî ceteroqui ſinus non tantum in Graeca Latinaque Bibliorum verſionibus *Mare rubrum* peculiari nomine appellatur, ſed & nonnumquam apud Scriptores exteros, & vulgo hodie apud univerſos.

Illud etiam viro docto aliud agenti impoſuit, quod de vera λίμνῃ Aeſchylum locutum putaret; nec ei ſuccurriſſet, ſaepe (3) Homerum, ſaepius vero Sophoclem λίμνας pro mari uſurpaſſe: id quod jam ante grammatici veteres notarant. Sicubi vero haec λίμνης notio congruit; ad ſinus certe ſignificandos, (lacubus quam mari ſimiliores) valde eſt appoſita: unde μαιώτιδες λίμνης vetus eſt apud Graecos Latinoſque appellatio: & Homerus Pontum Euxinum eodem vocabulo notavit, Il. XXIV. 79. ubi de Iride:

Εὖδον μείλιχοι πόντῳ, ἐπιεσσάμενοι δὲ λίμνῃ.
Vix nigro ut incubuit Ponto, pigra ſtagna gemebant.

Verum quid his immoror, cum hunc ipſum ſinum Arabicum, quo de agimus, vere λίμνην fuiſſe, aliquando creditum fuerit? Mirum profecto videri poſſit, non veniſſe in mentem Caſaubono, id quod Strabo ipſe, a ſe mirifice illuſtratus, lib. I. p. 47. ex Evemero nugaciſſimo Scriptore apud Eratoſthenem narrat in hunc modum: Καὶ τοῦτον (τοῦτο, nempe Εὐημέρῳ recte reſcribit Caſaubonus) δ' ἕνα τῶν λόγων αὐτὸς (Ἐρατοσθένης) λέγει, τὸν μὲν Ἀράβιον κόλπον λίμνην ὑπολαμβάνειν τινά. *De Evemeri vero nugis unam ipſe* (Eratoſthenes) *exemplum refert, quod ſinum Arabicum lacum eſſe putarit.* Et Evemero fides facile adjungi poterat,

(2) Strabo lib. XVI. pag. 765. in Felicis Arabiae finibus deſcribendis ait: Τούτης δὲ τὸ μὲν προσάρκτιον πλεῦρον ἡ λιχθεῖσά ἐστιν ἔρημος· τὸ δ' ἑῷον ὁ Περσικὸς κόλπος, τὸ δ' ἑσπέριον ὁ Ἀράβιος· τὸ δὲ νότιον ἡ μεγάλη θάλαττα, ἣ ἴδιον τῶν κόλπων ἀμφοῖν, ὧν ἄπωσαν Ἐρυθρὰν καλοῦσι. *Cujus Arabiae ſeptentrionale latus faciunt jam dicta deſerta, orientale Perſicus ſinus; occidentale Arabicus, auſtrinum mare magnum, quod extra utrumque ſinum, eſt, cui univerſo Maris Rubri nomen impoſuerunt.* Idem Strabo pluries libro I. & alibi ſinum Arabicum τὸν τῆς ἰρυθρᾶς κόλπον vocat, ferme ut in recitato fragmento Aeſchylus, quem poëtam in geographicis conſtat fuiſſe apprime verſatum.

(3) Apud Homerum non ſemel βάθεσι λίμνης, *in imo maris*, non vero *in fundo paludis* exponitur.

poterat, quippe qui Caſſandri juſſu & auſpiciis Mare rubrum navigarit.

Exſtat & inſignis Choerili locus apud Joſephum lib. I. contra Apion. quo per λίμνην eumdem ſinum Arabicum intelligi ſuſpicor: de quo tamen magna eſt inter Grotium & Bochartum contentio: de qua (4) inferne pauca damus.

Jam vero ut ad recitatum ab initio Aeſchyli locum redeam; is ſuam λίμνην (ſinum autem Arabicum intelligit) non alia de cauſa χαλκοκέραυνον (quaſi ſi *aereo ictam fulmine* dixeris) appellavit, quam propter infixum hominum memoriae πολυθρύλλητον illud de Aegyptiis ſumptum a Deo ſupplicium. Nam, ut initio dixi, talia omnia veteres Jovis fulmini tribuebant.

Atque illud facile intelligitur, cur idem hanc λίμνην *Aethiopum* fuiſſe dixerit; nempe quod eam accoluerint Aethiopes. Quos πανταχόθεν (nam πανταχόθεν, non πανταχόσε in libris veteribus ſcriptum teſtatur Caſaubonus) nuncupavit; nimirum quod Aethiopes infra ſupraque illum incolerent ſinum, quem intra ſe tanquam lacum, concluderent. Nam ſcitum eſt, dupliceem apud antiquos fuiſſe Aethiopiam, unam cis, alteram trans ſinum Arabicum (quae poſterior ſemper eſt intelligenda, quoties Aethiopia in ſacris litteris nominatur) unde Homerus Od. IV. 23.

Αἰθίοπας, τοὶ διχθὰ δεδήαται, ἔσχατοι ἀνδρῶν
Οἱ μὲν δυσομένου Ὑπερίονος, οἱ δ' ἀνιόντος.
Extremos hominum Aethiopes, geminiſque diremptos
Partibus, hos qua Sol cadit, & qua attollitur illos.

In quem Homeri locum legi poteſt prolixa Strabonis diſputatio lib. I. pag. 30. & ſequentibus.

---

(4) Litigioſi, quos dixi, Choerili de Xerxis expeditione verſus hujuſmodi apud Joſephum ſunt:

Τῷ δ' ἐπιθὼν θαῦμα ἰδέσθαι, χλῶσσαι μὲν φοίνισσαι ἀπὸ στομάτων ἀφίσσας
Ὦκεες δ' ἐν Σολύμοις ὄρεσι, πλατὺν ἰὴ λίμνην.
Pone ſequebatur genus admirabile viſu,
Barbara Phoenicum quod ab ore vocabula mittens,
Montibus in Solymis lacui loca juncta colebat.

Bocharius Chan. I. 6. de Homericis Piſidiae Solymis haec accipit. At Grotius ad Lucae III. 14. propter incommoda plura, quae in Bocharti opinione reperit, eo labitur ut a Choerilo Arabas quosdam Judaeorum vicinos deſcribi putet. Inter cetera quae in Bocharti opinione Grotius reprehendit, illud eſt quod Choerilus ſuis, quos deſcribit, Solymis verſu ſeq. τριχομίτρηδας h. e. *in orbem tonſor* appellet: quod Lyciis Piſidiſque non convenit, at Saracenis ſive Arabibus apprime convenit. Vide cetera in laudato Grotii loco.

Atque iis omnibus, quae ſcite ibi Grotius affert, adjungi poteſt Herodoti auctoritas Thaliä de Arabibus in hunc modum narrantis: Τῶν τριχῶν τὸν κυρτὸν κείρεσθαι φασι, καθάπερ αὐτὸς τὸν Διόνυσον κεκάρθαι· κείρονται δὲ ὑποτρίχελα. *Eodem modo, quo tonſus eſt Bacchus, tonderi ſe ajunt: porro IN ORBEM tondentur.* Et Jeremias IX. 26. Arabiae deſertae incolas פאה קצוצי *circumtonſor angulis* h. e. *in orbem* appellat: nam eadem ferme phraſis Levit XIX. 27. apud omnes veteres interpretes eſt *in orbem tondere*. Poſtremo deſcriptos a Choerilo Xerxis commilitones ut Arabas fuiſſe ſuſpicer, & illud facit, quod Homerus Od. V. 282. Solymos montes cum Aethiopibus h. e. ſinus Arabici accolis conjungat.

Τὸν δ' ἐξ Αἰθιόπων ἀνὴρ κρίνων ἐνοσίχθων
Τηλόθεν ἐκ Σολύμων ὀρέων ἴδεν.
Aethiopum e regione redux Neptunus ut illum,
Eminus e Solymis proſpexit montibus &c.

Quare ſi quidem Choerilus Arabas intellexerit, illud πλατὺν ἰὴ λίμνην ſinum eſſe Arabicum, conſequemur. Hactenus pro Grotii meaq. ſententia.

DISSERTATIO III.

DE MOSAICO ALTARI CESPITITIO

AD EXODI XX. 24.

Promiſſa ſup. pag. 40.

Altare de terra facietis mihi . . .] Non de terra ſolutiore ac diffluente haec intelligenda, verum de tenaciore & continentiore (cujuſmodi in paluſtri Aegypti tellure vidctur fuiſſe) quae in quadras aut laterculos diſſecta, ita componi in formam altaris poſſet. Id terrae genus *ceſpititium*, aut vero ſubſtantivo nomine uno *Ceſpes* Latinis dicebatur. *Ceſpes* quid ſonet Latinis auribus, Latini ipſi docebunt, quia Graeci veteres voce ſimul cum re carebant, recentes vero, ubi opus, circumſcribebant ut infra dicam. Verum praeſtabit ante, quid *Ceſpes* ſit ſtatuere ac tum demum, unde nam id ſibi nomen adſciverit.

Servius ad Ecl. I. 69. *Ceſpitem* definit *Terram cum propria herba evulſam*. Nec aliter Feſtus: *Ceſpes* (ait) *eſt terra in modum lateris caeſa, cum herba*. Vbi duo ſunt quae ad definitionem ceſpitis pertinent: prius illud eſt *In modum lateris*, alterum eſt illud *Cum herba*. Ac recte *in modum lateris* a Feſto ſcribitur; quia Vegetius I. 24. non alium modulum ceſpitis deſcribit, quam qui laterculi fuit. Integrum locum afferre proderit: *Ceſpes autem circumciditur ferramentis, qui herbarum radicibus continet terram. Ceſpes fit altus ſemiſſem, latus pedem, longus pedem ſemis*. Ex his vides quam recte Feſtus *In modum lateris* ſcripſerit. Deinde quod idem *Cum herba* adjecit, id quoque ad continendum *ceſpitem*, ne dilaberetur, neceſſe fuit. Quocirca recte in vett. Gloſſis *Ceſpes* idem eſt ac qui Graece χορτόπλινθος (quae vox *herbam* ſimul *lateremque* complectitur) aut idem qui χορτόβωλος h. e. *Gleba cum ſuo gramine*. At quod Feſtus addidit τὸ *Caeſa*, cave putes id participium ad etymon *Ceſpitis* pertinere, quia tantum ad enuntiationis fulcimentum a Feſto poſitum fuit. Et tamen quotuſquiſque eſt, qui non Ceſpitem a *Caedo* derivarit, Feſti definitione falſus? Imo eo uſque ventum, ut cum omnis antiquitas *Ceſpitem* ſine diphthongo ſcripſerit, tamen heri & nudius tertius *Ceſpes* cum diphthongo ſcriptitari a ſciolis coeperit, refragantibus membranis veteribus. Verum nihil eſt, quod *Ceſpitem* a *Caedo* derivemus, quia *Ceſpitis* nomen nec Graecis nec Latinis debetur, ſed Etruſcis: qui primi *Ceſpitum* doctrinam rituſque in Latium intulerunt. Nam quia Tyrrheni primitus ex Chanaanitide exacti inter cetera loca Italiam potiſſimum occuparunt (quod pluribus in locis liquido oſtendimus) idcirco voces Hebraeas plurimas per Italiam diſſeminarunt: inter quas *Ceſpes* eſt numerandus. Cujus ubi etymon ex Hebraeo arceſſiverimus, tum cetera ad *Ceſpitem*, & ad hunc Moſaicum locum pertinentia perſequemur.

Non aliunde *Ceſpitis* vox orta mihi viſa, quam ex Hebr. עצב *kaſab*; cum litterae ſimul omnes (nam *Beth* facillime in ב *Pe* tranſiit, cum ſit ejusdem organi elementum) ac ſimul ſignificatio congruant. Nam Hebraicum *Kaſab* eſt *praecidere*. Nec vero ſimpliciter *praecidere*, ſed in III. Reg. VI. 25. & VII. 37. eſt praecidere ad certum definitumque modum atque menſuram. Parem uſum apud Chaldaeos, Rabbinos, Syroſque reperies. Conſer quaeſo, quas paullo ſuperius lateris, ceſpitisque deſcriptiones ex Feſto & ex Vegetio attuli, reperies laterum omnium, ſicuti & Ceſpitum unum fuiſſe modulum unumque inſtar: niſi quod *Ceſpes* praeter laterculi modulum, etiam *herbam* ſive gramen in Feſti definitione requirit, ac rationem Vegetius addidit: *Qui* (ceſpes) *herbarum radicibus continet terram*. At in ceteris modus idem.

Ergo *Ceſpitis* tum etymon, tum etiam res, ex Oriente fluxit, unde Tuſci ad nos attulerunt. At Graecia vetus omnis totam rem *ceſpitum*, ſicuti & nomen ipſum ignoravit: recentior vero Hellas ubi primum ceſpitum uſum (ab Italia Tuſcorum diſcipula) didicit, pro ſimplici nomine meram nominis circumſcriptionem uſurpavit: cujuſmodi ſunt χορτόβωλος & χορτόπλινθος ambo ſtudioſe compoſita, quod eſt novitatis indicium. Nam quid aliud eſt χορτόβωλος, quam *gleba cum gramine*? quid χορτόπλινθος niſi *gramen inſtar quadrae* aut *laterculi*? At recentes iſtae vocum compoſitiones quid aliud quam antiquae Graeciae

Graecae verborum inopiam in re ſcil. qua primitus caruiſſet, confitentur? Nec aliud Plutarchus Pompeio praeſetulit; a quo ex inopia Graeci nominis, quod *ceſpiti* reſponderet, res ipſa definiendo ſignificatur: νῶτ, inquit, ἐκτομὴ βαθεῖα. Quid vero mirandum, ſi vetus Graecia ea voce caruerit? Nam ne vetus quidem Latium tatia verba tenuiſſet, niſi ex Tyrrhenorum adventu rem ſimul cum ſuo nomine rei conſentaneo didiciſſet. Nam *Ceſpes* ex ⲥⲡⲁ *kaſab* venit, quod non eſt quovis modo *praecidere*, verum ad certum definitumque modum atque menſuram, uti ſupra tum ex Hebraea proprietate, tum ex Feſto & Vegetio docuimus. Etenim ferramento quodam (cujus hic alter meminit) herbida ſimul terrae ſuperficies, ſimulque cum terra ſubtus errantes graminum ſtirpes praecidebantur, ita ut gramineae radices adhaerentem tellurem ſecum auferrent. Deinde ceſpitis modulus ſive quadram imitabatur (ſi quidem ad aram aut ad menſam conſtruendam pararetur) ſive laterculo aequalis erat, ſi vallo & bellicis operibus inſerviret. Nam incredibile dictu eſt, quot res quantàque celeritate (quippe incumbente militari labore) conſtruerentur. Nolo his rebus morari lectorem alio feſtinantem: ſed curioſos tamen hujuſmodi antiquitatum ex Oriente per Tyrrhenos derivatarum in ima pagina detinebimus. Non enim tantum altaria ex (1) ceſpite componebantur, ſed & (2) menſa, & vallus (3) qui interdum dicebatur murus, & imperatori allocuturo (4) tribunal.

Antequam vero manum de tabula, ſciendum

(1) Altare Moſaicum ſpecimen fuit ceterorum, quae poſtea in eumdem modum, ex diſciplina Tuſcorum ac primaeva ſimplicitate ex terra ceſpititia congeſta fuerunt. *Temeraria* hujuſmodi *altaria* Tertullianus Apol. c. 25. vocavit: qua notione vocarit, ipſe ſatis oſtendit, ita de priſcis Romanis loquens. *Frugi*, inquit, *religio & pauperes ritus, & nulla Capitolia certantia caelo, ſed* TEMERARIA DE CESPITE ALTARIA. *Temeraria*, inquit, quia ſtructa de ceſpite ſubito ac temere caeſo. Virg. XII. 118. *In medioque foces & dis communibus aras Gramineas*, h. e. ceſpititias, quia ex humo & gramine ceſpes conſtat. Simile eſt illud Lucani lib. IX. *Subitas congeſtu ceſpitis aras*. Hinc ceſpitem *vivum* h. e. recens cum viridi adhuc gramine caeſum vocat Horatius. *Hic vivum mihi ceſpitem, hic Verbenas pueri ponite*. Et alibi: *Poſituſque carbo in Ceſpite vivo*. Ex quibus datur intelligi, quoties ſacrum fieret, toties *vivum ceſpitem* fuiſſe caeſum, h. e. adhuc vireſcente gramine.

Adhaec inſcriptiones Fratrum Arvalium apud Grut. pag. 120. hujuſmodi altaria ter TEMPORALES ARAS h. e. ſubito & pro tempore factas, appellant.

Ex tot veterum ſcriptorum locis licet colligere in aliis regionibus terram, non ut hic in Campania noſtra mollem ac ſolubilem, ſed plerumque durlorem fuiſſe, ita ut in lateres ſcindi poſſet. Quid ſi ſolutior fuiſſet, *ut ad ſimilitudinem lateris* (inquit Vegetius) *Ceſpes non poſſit abſcindi*? Tum ſane *ſaepibus ductis* (ut Vegetius alt) *vel interpoſitis ſtipitibus ramiſque arborum, ne terra facile dilabatur, agger erigitur.*

(2) Menſae ita conſtruebantur, ut elatiores ceſpites (& quidem ſi quadrata eſſet, in quadrae formam) caeſos adhiberent. Varro de L. L. IV. 25. *Menſam eſcariam Cibillam appellabant. Ea erat quadrata*, ut etiam nunc in caſtris. Male quidam emendant *Cillibam*; quia hoc nomen idem Varro menſae caſtrenſi rotundae tribuit, quae *Cillibantum* dicebatur. Apud Lucanum IV. 196. milites *Dure concordes ceſpite menſas Inſtituunt*. Tibull. II. 5. 99. *Feſtas exſtruet ALTE* (quippe altiores in menſis ceſpites) *Ceſpitibus menſas, ceſpitibuſque toros*. Tiberius (apud Suet. XVIII. 5.) *Trans Rhenum eum ordinem vitae tenuit, ut ſedens in ceſpite nudo cibum caperet*.

(3) Vallum extrinſecus palis ac ſudibus, intrinſecus vero ceſpitibus, qua longiſſime pateret, conſtructum ſaepe *Murum* veteres appellarunt. Capitolinus Pio cap. 5. *Britannos . . . vicit, alio muro ceſpititio, ſubmotis barbaris, duxit*. Eodem ſenſu accipiendus Xiphilinus lib. 76. de Maeatis Britanniae populis incolentibus juxta eum *Murum*, qui inſulam bifariam dividit: & Spartianus Severo, *Muro*, inquit, *per transverſam inſulam ducto*: quod & Victor exſcripſit. At Eutropius lib. 8. & Caſſiodorus in Chronico hunc eumdem, *Vallum* appellant; atque omnium diſertiſſime Beda tellis domeſticus Hiſtor. lib. I. *Severus*, inquit, *receptam partem inſulae . . . non muro (ut quidam exiſtimant) ſed valle diſtinguendam putavit; murus etenim fit de lapidibus, vallum vero . . . fit de* CESPITIBVS. Adhaec Craſſus ad claudendum Spartacum in angulo Bruttio, *murum* CCC ſtadiorum feciſſe dicitur a Plutarcho in Craſſo: eum tamen *Vallum* Appianus vocavit lib. 1. Nec aliter de pluribus aliis muris quibus regna diſpeſcebantur, conjici licet: maxime ſi telluris tenacioris ingenium velificetur.

(4) Tribunal allocuturo imperatori e ceſpite conſtruebatur militari ritu. Tacitus in I. Ann.

dum eſt apud gentiles incidiſſe articulos temporum, in quibus ita maturanda ſacrificia eſſent, ut non liceret rite praeparare omnia, quaecumque legibus ſacrificiorum jubebantur: id quod ſaepe inſtante praelio ſolebat accidere, uti ex Virgilio patet in XII. Aen. 116. ita canente:

Campum ad certamen magnae ſub moenibus urbis
Dimenſi Rutuliq. viri Teucriq. parabant,
In medioq. focos, & Dis communibus aras
Gramineas, Alii fontemq. ignemq. ferebant,
Velati lino & verbena tempora vincti.

Quo loco *arae gramineae* quid aliud ſunt, niſi *arae ceſpititiae*? Atqui ad ceſpites eo modo exſtruendos, quo ſupra ex Feſto & ex Vegetio intelleximus, longiore mora temporis opus erat, quam quod, paratis utrinque copiis bellumque anhelantibus, indulgebatur. Confer totum poetae locum.

Verum hanc totam difficultatem Servius amolitur, ad illud *Aras gramineas* ſic adnotans: *Romani enim moris fuerat ceſpitem arae SVPERIMPONERE, & ita ſacrificare.* Novus hic loquendi modus. Nam in prima altaris inſtitutione (in hoc ſcil. Exodi loco, *Altare de terra facietis mihi*) in ceſpite tantum conſiſtebat altare totum: hîc autem apud Servium *ceſpes ab ara* diſtinguitur, quia *ceſpes arae ſuperimponitur*.

Verum haec facile componentur, ſi Altare ſubitarium hujus Exodi loci ab altari portatili diſtinguatur. Illud *De terra*, ſeu (ut interpretari licet) ex iis, quos Tuſci in Italia *ceſpites* appellarunt, neri Deus juſſit, plurieſq. repetebatur, quoties imparati a Deo juſſi ſacrificare. Interdum & ex impolitis lapidibus Deo jubente Altare factum. At ubi poſtea Tabernaculum Deo architectante formatum, tum & de Altari aeneo cogitatum: quod utpote ex metallo fuſum, circumferri liceret. Atqui hoc, cum eſſet inane, quoties erat Deo ſacrificandum, terrâ h. e. ceſpitibus lapidibuſque fundus replebatur, ut in loco dictum.

Similes erant Tuſcorum in Italia inanes arae portatiles: quibus, ubi opus, promptiſſimum erat CESPITEM (ut loquitur Servius) SVPERIMPONERE, ſupra quem ſacra fieri leges rituales cum Moſaicis conſentientes jubebant. Atque haec mens Servio in ſuperiorem Maronis locum commentanti fuit, quippe ajenti, in ſubitis ſacrificiis ceſpitem arae ſuperimponi debuiſſe. Romani hoc ex Tuſcis (unicis in Italia tituum ſacrorum magiſtris) didicerint neceſſe eſt: ſicuti Tuſci ex Hebraeis, ab ipſo Deo edoctis ante cognoverant.

Ann. *Congeſtis ceſpitibus tribunal imperatori fiebat militari more*. Xiphilinus lib. 62. *In tribunal factum* ex terra paluſtri Romano more conſcendit. Plutarchus Pompelo ſcripſit: *Necdum militari more ceſpitibus compoſitis ſuggeſtum excitaverant*. Vopiſcus in Tacito in inauguratione Probi *ceſpititium tribunal* memorat; & Plinius in Paneg. num. 635. *Tribunal viridi ceſpite exſtructum* Trajano dicit. Ammianus lib. 23. *aggere gleboli* ſtetiſſe Julianum allocuturum ait. Eadem vox *aggeris* apud Lucanum lib. V.

Stetit aggere fulti
Ceſpitis intrepidus vultu.

Hinc eſt quod βῆμα illud ſive tribunal, *Suggeſtus* ſive *Suggeſtum* vocabatur, nempe a ſuggeſtis ceſpitibus.

DISSER-

DISSERTATIO IV.

GRAMMATICA DE VERBO עלה *alah*

Quod plerumque ſit Ardere aut accendere.

AD EXODI XXVII. 20.

Promiſſa ſup. pag. 56.

PRaecipe filiis Iſraël, *ut afferant tibi oleum . . . puriſſimum . . . ut ardeat lucerna ſemper.*] Pro *ardeat* Hebraice eſt תעלה *haaloth*: quod eſt in *Hiphil* a verbo עלה *ala*, *aſcendit*. Itaque Pagninus hîc interpretatur, *Ad faciendum aſcendere lucernam ſemper*. Alii aliter, ſed ita ut ex *aſcendendi* ſignificatu, qui verbo ineſt, eorum interpretationes fluant. Neque hîc tantum haec Hebraica phraſis occurrit, ſed ſaepiſſime, quoties ſcil. de lucernis candelabri mentio eſt; tunc enim quod in vulgato Latino legimus *imponere*, *componere*, *concinnare lucernas*, & in LXX ἐπιθεῖναι aut aliud ſimile, ibi in Hebr. eſt העלות *haaloth* i. e. (ut quidem vulgo ad verbum interpretantur) *facere aſcendere*. Hîc tamen *Ardendi* verbum rectiſſime Noſter uſurpavit, ſicuti & ante ab LXX uſurpatum fuerat, apud quos hic locus redditur ἵνα καίωσι λύχνον διὰ παντός, *ut ardeat lucerna ſemper.*

Quid ergo? rectane hujus loci eſt Seniorum ac Vulgatae interpretatio? Eſtne nativae ſignificationi Hebraici verbi ſubnixa, an hîc ſententiam tantum ſecuti ſunt, non vocem grammaticam? Ajo, revera verbo עלה *alah* hanc *ardendi* ſignificantiam (praeter alteram *aſcendendi*) ineſſe.

I. Ac primum ex derivativis nominibus, quae ex verbo עלה *alah* deſcendunt, id oſtenditur: cujuſmodi eſt עולה *olah* vox millies in Scripturis repetita, quam Noſter reddit *Holocauſtum*, ut & LXX ὁλοκαύτωμα aut ὁλοκαύτωσιν, i. e. *quod totum igneſcit*, nec quidquam ex eo reſervatur. Nonne vides in hoc derivativo nomine exſerere ſe notionem verbi עלה *alah* qua *Ardere* ſignificatur? Huc accedit, quod שה *Olah* ſynonymum eſt אשה *isheh* i. e. *ignitum*. At Magiſtros quis non rideat? Qui ex eo עלה *olah* dictum affirmant, quia ſurſum aſcendit, quaſi vero non & ceterae hoſtiae ſurſum in altare ad Dominum aſcenderint; aut vero quaſi peculiaris aliquis *elevationis* ritus in *Ola* (*holocauſto*) fuerit, quem ignoravit antiquitas.

II. Huc ſpectat alterum derivativum ejuſdem Hebraici verbi, nim. ILVA (hodie *Elba*) inſulae nomen ad oram Etruriae, e regione Populoniae. Id nomen ex עלה *alah* deflectitur. Nam ſicuti ex ערה *nudari* fit ערות *erua*, *nuditas*, ſic ex חלה *alah* fit עלוה *Elva* ſive *Ilva*: nam hoc genus quieſcentium *Lamed He* in derivativis aſſumit in medio *Vau*. Porro ILVA ab *ardore* caminorum fabrilium, quibus ferrum conficiebatur, nomen invenit, ut ejus nominis Graeca interpretatio Αἰθαλία (1) quod alterum eſt inſulae nomen, ſatis declarat; de quo vide quae diximus, in Diſſer. de Tyrrhenorum origine tom. 3. Cortonenſium Diſſert. quas Romae Pagliarinus edidit pag. 62. 63.

Ex his vides *Ilvam* tantumdem Tyrrhenis fuiſſe, quod Gracis Αἰθάλη aut Αἰθαλία i. e. *Ardens*, proinde verbo עלה *alah* (ex quo *Ilva* deducitur) primario *ardendi*, ſecundario autem *aſcendendi* (nempe quia flammae proprium eſt aſcendere) vim ac notionem ineſſe.

III. Ve-

(1) ILVA inſula in ora Etruriae (apud Graecos ſcriptores Αἰθαλία, quam recte *Fornacariam* dixeris) propter multitudinem caminorum quibus ferrum cogebatur in maſſam, ita dicta. In nominibus autem locorum bilinguibus (quorum mos paſſim in geographia vetere in locis quibus Tuſci ab initio inhaeſerant, fuit) eadem ſignificatio utrique nomini ſuberat. Ergo ſicuti Αἰθάλη Graece *caminum* notat, ita & *Ilva* Etruſcis tantumdem ſignificabat. De Ilva plura in meis curis Tyrrhenicis Mss. ſicuti & in iis quae Italice reddita prodierunt apud Pagliarinum ante plus XX. annos tom. 3. Diſſert. Cortonenſium pag. 62. 63. Adhaec notitiam de *Ilva* & *Aethalia* dabunt Cluerius & Cellarius in Etruria p. 947.

III. Verum quid derivativis immoror, cum radix ipſa עלה *alah*, *ardendi* ſignificatu polleat. Nec dubito, quin, cui vacabit hujus verbi (in Scripturis frequentiſſimi) uſum in Concordantiis Hebr. expendere plura loca ſe datura ſint, quibus עלה *alah* ſit *Exardeſcere*. Scio hoc verbum nonnunquam cum *irae* vocabulo jungi: vide Pſal. LXXVII. 21. 31. & alibi. Cur, quaeſo, cum ira copulatur? Ne ab *aſcendendi* notione recedant, reſpondent, quia *ira* in nares *Aſcendit*. Satis frigide. Imo quia in ea locutione hoc verbum ſignificat *exardeſcere*. At etiam Jud. VI. 21. idem hoc verbum cum igne jungitur. *Et aſcendit* (Hebr. תעל *taal* i. e. *exarſit*) *ignis de petra* (illâ, cui impoſitae carnes fuerant) qui abſumpſit carnes. Nec rimantibus puto alia plura Scripturae loca defutura, in quibus עלה *alah* cum *igne* aut ſimilibus nectitur.

IV. Deinde hoc idem verbum in forma Hiphil non dubito quin ſit *Accendere*, quoties jungitur eum עלה *ola*, *holocauſtum*; nam iis locis העלות *haaloth* non eſt, uti putant, *facere aſcendere* i. e. *altari imponere*, ſed eſt *igni abſumere*. Exempla ſunt in propatulo.

VI. Poſtremo idem thema (ut jam ad propoſitum locum deveniam) non aliud notat, quam *accendere*, quoties conjungitur cum נרות *neroth* i. e. *lucernis* candelabri. Vulgo quidem in Bibliis Hebraico-Latinis interpretantur id verbum *Aſcendere facies*, ubi Noſter vertit, *Collocabis*, aut *Diſpones*, *Impones* &c. At revera iis locis omnibus id verbum ſignifieat *facere*, *ut ardeat*, ſive *accendere*, id quod in eo loco, qui prae manibus eſt, Noſter poſt Seniores, ſecutus eſt. Sed Ex. XXX. 8. iidem Senes ſic diſerte poſuerunt: ὅταν ἄρτῃ (Heb. בהעלת *behaaloth*) Ἀφῇ τοὺς λύχνους ἐφ' (ubi Noſter tamen verbum *Colloco* uſurpavit) ſed eſt, *quando accendet Aaron lucernas veſpere*. Atq. hi duo Seniorum loci oſtendunt, hanc eſſe עלה *alah* nativam notionem; nam quoties verbum ἐπιτιθημι *impone* aliudve iidem interpretes uſurparunt, apparet eos de re, non de verbis fuiſſe ſollicitos. Ceterum non ſoli Seniores *accendendi* notionem verbo עלה *alah* ſubjecerunt, ſed & Graecus Machabaici prioris (qui liber Hebraico illo ſermone, qui vernaculus temporis illius eſſet, ſcriptus fuit) Interpres in lucernarum & candelabri mentione; Sic enim 1. Mach. IV. 50. legitur: Καὶ ἐξῆψαν τοὺς λύχνους τοὺς ἐπὶ τῆς λυχνίας. Noſter: *Et accenderunt lucernas, quae ſuper candelabrum erant*. Vbi certe idem Hebraicum verbum in *Hiphil* (ſive in *Apocl* ſermone Syro-Chaldaeo) uſurpatum fuerat. Confer & 2. Mach. I. 8. Καὶ ἐξάψαμεν τοὺς λύχνους, καὶ προεθήκαμεν τοὺς ἄρτους. Vbi Noſter: *Et accendimus lucernas, & propoſuimus panes*. Accedit & illud, quod ſi העלות *haaloth* ſit *aptare* aut *imponere*, quoties de lucernis eſt ſermo; ejus contrarium eſſet *deponere*, *detrahere*: verum (ut omittam, quod lucernae non removebantur) nuſquam illud illi locutioni opponitur, ſed ſemper *extingui lucernas* aut ſimile, ut 1. Sam. III. 3. *Lucerna Dei antequam extingueretur*: & 2. Par. 29. 7. expoſtulat Ezechias, quod impii majores ſui, abolito cultu Dei, etiam *extinxerunt* (non dixit *removerunt*) *lucernas*. Et alibi.

Haec pluribus edifſerenda putavi, quod vidiſſem, hanc inſignem verbi עלה *alah* ſignificationem ab Hebraiſtis fuiſſe neglectam. Niſi quod ubi ſuperiora exaraſſem, animadverti, etiam Buxtorfio aliquid ſuboluiſſe, ſed tantum in Hiphil *cum* (inquit) *de accendendo lumine agitur*, *cujus* (inquit) *flamma ſurſum aſcendit*. Hoc alterum addidit, nequid huic verbo de unico (uti putavit) *aſcendendi* ſignificatu decederet: adeo inveteratas perſuaſiones exuere difficillimum.

DISSER-

DISSERTATIO V.

AD EXODI XXIX. 22. 23.

DE TORTA PANIS, CRVSTVLIS, LAGANIS

Promiſſa ſup. pag. 58.

TOlles adipem de ariete . . . . Tortamque panis unius, eruſtulam conſperſam oleo, laganum de caniſtro azymorum, quod poſitum eſt in conſpectu Domini.] Tota commatis hujus difficultas in expoſitione vocum pistoriarum reſidet, prout illae hîc in Hebraeo, in LXX & in Vulgata leguntur, ac porro non raro alibi occurrunt.

Ab Hebraeo fonte ordior, in quo ita legitur: *Et* (ככר, *chicear*) *tractam panis unam &* (חלת *hallath*) *placentam* (ſive collyram) *panis olei* (h. e. oleatam) *unam*, & (רקיק *rakik* h. e. tenue) *laganum unum de caniſtro infermentatorum, quod coram Domino*. Ceterae verſiones antiquae fermae conſentiunt, praeter LXX viralem ceteris breviorem: apud quos haec tantum leguntur: Καὶ ἄρτον ἕνα ἐξ ἐλαίου, καὶ λάγανον ἓν ἀπὸ τῆ κανῆ τῶν ἀζύμων τῶν προτεθειμένων ἐνώπιον Κυρίου. *Et panem unum ex oleo, & laganum unum ex caniſtro azymorum propoſitorum ante Dominum*. Quid hîc fuerint ſecuti Senes, niſi quia uſi codice manco, alii viderint.

Tota ergo hujus textus difficultas in piſtoriis vocibus ſaepe in ſacro Codice recurrentibus verſatur, quae & apud Latinos non raro occurrunt. Nam Etruſci qui antiquitus in Chanaanitide ea panificia ex Hebraeis didicerant, poſtea in Italiam advecti, eadem Italos docuerunt, nominibus interdum eisdem; at pluries, uti fit, variatis. Ac nemo, quod ſciam, piſtoria Scripturae vocabula curatius illuſtranda ſuſcepit: niſi quod Iſidorus ea rapo in ſuis Originibus praeterivit. Veluti lib. XX. cap. 2. tria haec non omiſit, a Lagano incipiens: *Laganum eſt latus & tenuis panis* &c. Ac ſtatim deinde: *Cruſtula, diminutivum eſt a cruſta: panis oleo conſperſus* (haec definitio hinc ex Moſe ſumpta) *in medio concavus & tortus; haec & Torta panis* vocatur, ut a Moſe hîc.

Atque haec tria Moſaica panificia, quo ordine a Moſe memorantur, breviter explicanda ſuſcipimus.

SECTIO I.

De Tortae nominis antiquitate & notione.

Primum omnium de *Tortae* nomine, iis non aſſentior, qui ejus verbi natales Hieronymi translationi tribuunt. Nec enim, quia hodie in Italae reliquiis, quas Sabbaterio debemus, non invenitur, continuo affirmabimus a toto Italicae translationis corpore *Tortae* vocem olim abfuiſſe. Verum age abfuerit. Atqui ideirco *Torta* ab Itala exſulabat, quia ubi hodie in Vulgata vox Tortae legitur, ibi in LXX (quos unos Itala vetus de Graeco in Latinum tranſmittendos ſibi propoſuerat) aut nihil Hebraico vocabulo ככר *chicear* Graece reſponderet, aut generale nomen ἄρτος (uti nunc pluries) reperiretur, aut ἐγκρυφίας. Quare non immerito in Itala vetere, quae ex Graeco expreſſa fuerat, pro *Torta* aut nihil erat, aut fort. *ſubcinericius panis*, aut aliud quod ignoramus.

Verum age: nuſquam ante Hieronymi translationem ea vox reperiatur: tum continuo quaſi vox nova repudianda videbitur? Non puto, quia Hieronymum Latine ſcientiſſimum novimus, nec fuiſſe uſurum putamus, niſi ea vox argentea ſaltem ſenium aetatis poſſet oſtendere. Adhaec ejus nominis diminutivum *Tortula* (quod Latine exſtat Num. XI. 8.) in Philoxeni Gloſſario legitur his verbis: *Tortula*, Τροχιλία. Etſi interim ignotum per ignotius, quia τροχιλία quid ſit, ignoratur. Quare ad ſolidiora nos convertamus.

Nec enim de *Torta* deſpondebimus animum, ſi modo vocis *Tortae* vetuſtatem Erotiani antiquitate metiri licuerit. Nam fuit Erotianus Galeno, a quo laudatur, antiquior. Ergo nobiliſſimus hic Hippocratis gloſſographus ἄρτον ἐγκρυφίαν (*panem ſubcinericium*) ita definit: Παρ' Ἀττικοῖς ἄρτος ἐκπάζεται ὁ συντιθέμενος ἐκ τε φοινίκων λιπαρῶν καὶ ἀλεύρου καὶ ὕδατος· εἰσὶ δὲ λέγειν τὸν ἐν θερμοστοδίῳ ἐγκρυβέντα ἐκπεφθῆναι, ὃν τύρτην καλοῦσιν. h. e. *Sic Attieis appellatur panis ex pinguibus palmulis, ex farina, & aqua confectus. Sed par eſt intelligere eum panem, qui in ealidos cineres ad aſſandum abditur, quem τύρτην* [*tortam*] *appellant*. Quod Atticum vocabulum

esse ἐγκυφίαν dixit, id quoq. in Athenaeo (1) reperies. At ultima tria in Erotiano verba τεθύπασε (2) arguit Hieron. Mercurialis in II. var. lect. 5. Tres, inquam, ultimas tantum voculas Noster arguit; nam priora illa εἰκὼς δὲ . . . mirum ni Erotiani fuisse putet.

Quamquam ne ultimae quidem tres voculae compertae sunt novitatis. Quid enim rogo in hoc vocum ternione criminatur Mercurialis, nisi id de quo controversia est? Accusat has voces ille novitatis: nos uti fineras tuemur, ac jure, ni fallor, defendimus. Nam cum Ἐγκυφίας in Atticorum, non vero in promiscuo usu esset; intererat modis omnibus describere, quid Attici vocarent Ἐγκυφίαν. Hinc ejus componentia primum Erotianus exposuit, deinde qua ratione coqueretur: postremo, quo pacto ceterorum Graecorum communi lingua Atticum illud vocabulum verteretur, necesse habuit patefacere. *Tortum*, inquit, nunc vulgo *nuncupant*. Accuratio haec tanta in lexicographo non modo laudabilis, sed necessaria fuit. Mercurialis ergo minime accedo, *per quem tria verba taceri* illa in Erotiano jubentur.

Tamen non ita accipiendus Glossographus est, quasi Τόρτα per omnia τῷ ἐγκυφίῳ respondent. Nam si Biblicus usus spectatur; τῷ ἐγκυφίῳ LXXvirali nonnisi Num. XI. 8. in hodierna Vulgata respondet *Tortula*. At vicissim ubi in Vulgatae sex locis aliis *Torta* legitur, ibi a Scribus abest ἐγκυφίας. De Italica versione nihil habeo dicere, quia loca huc attinentia amisimus. Haec de usu Biblico: de quo certe sollicitus esse lexicographus qui potuisset? Verum, siquid pro *Torta* Biblica audendum est, non tam de vocabuli *Tortae* usu recuperato gaudendum, quam de ceteris notitiis superstitibus. I. Ac primum ejus orbicularis figura sic demonstratur. Biblica vox *Torta* (argentei saltem aevi, ut ex Erotiano intelligitur) cum hodierno Italico nomini *Tortano* (unde ὑποκορισμῶς *Tortanello*, *Tortulae* respondens) originem dederit; satis ostendit, sicut hodierni *Tortani*, ita & veteris *tortae* figuram in orbem redisse. II. Cum pistorium hoc genus subitarium esset, panari subito deceat: atque ea de causa non de fornaceis, sed de subcinericiis panibus, utpote subito parabilibus, hic agi debuit. Atqui nihil celeri coctioni aptius eo pane, in quo tractatae in orbem redeuntes, non minus interna sua, quam extima prunarum violentiae exponunt: cum contra qui panes difci formam referunt, eorum externa amburuntur, adhuc crudis interim umbilico viciuis.

Illud etiam scire lubet, id quod sequiore aevo *Tortam* appellarunt, olim eequo nomine Latini dixerint. Mihi *Spiram* nuncupasse videntur. Auctor Festus: *Spira dicitur . . . . & genus operis pistorii, & funis nauticus in orbem convolutus: ab eadem omnes similitudine*. Quomodo *Spirae* i. e. *restis* similitudo in opere illo pistorio ineffet, Cato explicuit cap. 77. *Spiram sic facito . . . Inde tamquam restim tractas facito*, ac plura ibidem, quae omittimus. Ergo *Spira* sic ferme fiebat, ut duae trefve tractae (i. e. liba aut virgae oblongae ex subacta farina) convolverentur in eum modum, quo funiculi torqueantur ad componendum restim. Atque is deinde pistorius restis in orbiculatem h. e. spiralem componebatur figuram.

Ergo non aliud fere *Torta* pistoria erat, quam *restis* (sicut Cato vocat) pistorius, in spiram retortus, deinde in orbiculatam formam compositus. At panis ille nostri temporis quem *Tortanello* vulgo appellant, orbicularis quidem est, at non semper ex duobus tribusve libis, veluti funiculis, contortus. Quamquam & istud diligentiae ab elegantioribus pistoribus haud negligi solet.

SECTIO II.

De Graecis & Hebraicis Tortae nominibus.

Nunc age illud videamus quid Graece, quid Hebraice respondeat Latino *Tortae* vocabulo. In Graecis quidem Bibliis modo nihil loco *Tortae* respondet, modo ἄρτος, ac semel ἐγκυφίας Num. XI. 8. Sed Hebraice Num. VI. 19. ac bis alibi חַלַּת *challah* i. e. *placenta* reperitur: pluries etiam in Num. XI. 8. & alibi: עֻגֹת *aguhs*; saepius vero כִּכַּר *chiccar*, hic scil. & 1. Sam. II. 36. X. 3. & 1. Par. XVI. 3. & Jer. XXXVII. 20. Ex his tribus vocabulis חַלַּת *challah* quidem quia *placentam* significat, eo ipso in gyrum convolvebatur: nam placenta, auctore Catone cap. 76. baliteo impo-

(1) Athenaeus lib. III. ubi de pane loquitur, qui ἀπαυθρωπὸς dicitur: Εἶναι δὲ καὶ ὄντος ἐπ' ἀνθρώπου γράφεται, ὥσπερ καὶ παρ' Ἀττικοῖς ἐγκυφίας. Hoc est: *Videtur* Ἀπαυθρωπὸς *iste supra carbones percoqui debuisse, sicuti & apud Atticos qui* ἐγκυφίας (*subcinericius*) *appellatur*.

(2) Quae Mercurialis margini Erotiani a scioło quoquam, ac postea in textum putat assuta verba, non alia quam haec tria sunt, ὃ (nempe ἄρτον ἐγκυφίαν) τέρετρα καλοῦσι, ut ex tota Mercurialis *συμπλοκῇ* constat.

imponebatur, ut in orbiculatam figuram fingeretur. Deinde חלה *challah* eſt a חלל *chalal*, *perforavit*, quia inerat in medio placentae ſeu tortae *foramen* ſive *feneſtra* (nempe illa, quam ſupra dixi ad interiora coquenda opportunam) nam & haec Hebraeis ab eodem themate i. e. a *perforando* חלון *challon* nuncupatur. Hinc & vocabula Talmudica חלילת *chalilah* & מחול *machol* circuitum in orbem notant.

Alterum vocabulum eſt חוגה *chugah* (quod LXX ſolent reddere *ὑγκρυφίαν ſubcinericium*) qui & ipſe orbicularis erat, ut intus excoqueretur. Atque in hac dictione re vera ineſt orbis ſignificantia; nam verbum חוג *chug* in Talmude eſt *circulum ducere*, unde חוגה *chugah*, *circulus*. Deinde idem verbum Arabice ſignificat *Curvavit*, *flexit*, *arcuavit*, & inde formata nomina orbiculatae formae ſignificantiam complectuntur. At qui Hebraicum verbum חוג *chug* exponunt *aſſit*, *coxit*, ſplendide fallunturs quibus impoſuit illud Ezech. IV. 12. תעגנה *thechugennah*, quod interpretantur *coques illam*, cum revera reddi debeat ad verbum, *placentabis illam*: quae ſignificatio (ut ſaepe alibi ſolet) ex nomine חוגה *chugah*, quatenus *placentam* notat, in verbum eſt derivata.

Reſtat nomen ככר *chiccar*, cui quinquies in Latino *Torta* reſpondet. Atque hoc quidem Hebraeum nomen tria ſignificat & panis genus, & campi planitiem, & pecuniam ſive talentum. Equidem, quidquid alii ſtatuerint, non dubitaverim, quin ex his ſignificationibus ea, quae *planitiem* notat, primaria ſit; itaut ככר *chiccar* ſit proprie *lamina*: quae & *panis lamina* eſſe potuit (*tractum* aut *tractam* Latini appellabant) & lamina metalli, unde eſt *talenti* notio: nam ככר *chiccar auri* aut *argenti*, erat infecti auri aut argenti *later*: quocirca erat planae utique formae. Ac poſtremo μεταφορικῶς ad campeſtrem planitiem notandam tranſiit. At hic, ubi de pane agitur, haud dubie farinae ſubactae lamina, ſive tracta eſt accipienda, quae plerumque in orbicularem formam torquebatur: ut merito *Torta* ab Vulgato Interprete dicta fuerit. Ab hac notione ii non diſſident, qui apud Mercerum ככר *chiccar*, *orbem* interpretantur. Jam cetera commatis inſpiciamus. Atque hactenus aſpera & confragoſa ſectati, ſequentia minus fore confidimus.

SECTIO III.

De cruſtula conſperſa oleo.

Cruſtulam conſperſam oleo.] A Moſaica *Cruſtula* incipio. Quod eam *conſperſam oleo* dixit, tantumdem eſt quaſi dixiſſet *oleo* ſubactam. Nec enim de oleo tantum extrinſecus irrorato id capiendum puto; nam totum iſtud Hebr. eſt *lechem shemen*, i. e. *panem olei*: nec ſecus Onkelos reddidit, *Panem* (משח *meſah*) *olei* ſive ex *oleo*. LXX idem ſenſerunt, ut qui verterint, Ἄρτον ἐκ τῆς ἐλαίου, *Panem* (ſaepe in LXX ἄρτος loco *tortae* uſurpatur) *unum ex oleo*. Ἐξ de componentibus uſurpatur.

Jam vero *Cruſta* aut *Cruſtum* ex Oriente ductum (3) videtur, atque ea notare maxime, quae gulam irritant. Ejus diminutiva ſunt *Cruſtula* & *Cruſtulum*. Atque haec loco

(3) In Buxtorfii Chaldaico lexico col. 1100. haec ſcripta reperio. ברושיתא (*cruſjata*) *Cruſtula*, *Lagana*. Ac mox: *Cruſjata debbiti*, *Cruſtula triticea*: *Gitlin fol.* 69. 2. *Sic adducit Aruch.* Hactenus Buxtorfius, addens tamen in ſuis libris legi per ב loco כ vocem initialem. Ea prima *Cruſtae* ſive *Cruſtulae* mentio in libris Judaicis.

Atque hic per ludum magis quam ſerio addo, fuiſſe a mea uſque pueritia id genus exquiſitioris in arte coquinaria placentae facile primarium. Ei nomen *Cruſtata* fuit: id ſcil. quod in Aruch legitur. Quae in Cruſtulis Iſidorus (col. 1313. ver. 55.) deſcribit, ea in *Cruſtatam* noſtratem cumulatius conveniunt: quam non vacat deſcribere. Itaque jurares *cruſjatam* (ſeu potius *cruſtatam*) in Aruch expreſſam parem illi fuiſſe, quam Iſidorus memoravit: utramque vero fuiſſe Moſaicae parem, & aut ad noſtra uſque tempora perduraſſe, aut noſtris temporibus revixiſſe. Haec quaſi per jocum chartis illuſi nolens, ac plane veritus, ne cui deſpere videar.

Illud tamen non invitus addo, apud Buxtorfium in lex. Hebr. Jer. כרש *cheres* notare *ingluvium*. Videatur praeterea Caſtellius in כרס tam inter Hebraica quam Chaldaica, ubi plura afferuntur exempla, quae ſive ad ventriloſos, ſive ad edulia irritantia gulam pertineant. Itaque eum *Cruſta* & *Cruſtula* nec in Latino nec Graeco ſermone parentes ciere poſſit, imo ne cognatos quidem; ex his, ſuquam, oſtenditur, *Cruſtam* & *Cruſtulum* hoſpites in Graecia Latioque fuiſſe. Ergo a כרס (quod ad gulam gulaeque irritamenta refertur) vox *Cruſta* venit; quia ab hoc in Chaldaica forma emphatica fiet כרוסתא *ceruſta* ſeu *Cruſta* ipſum, quod quaerebamus.

co bellariorum (4) distribui vulgo solebat.

SECTIO IV.

De lagana canistri azymorum, quod postmum est in conspectu Domini:. Laganum de canistro azymorum.] Deest in Vulgata *nusum* quod fons Hebraeus habet, itemque LXX, Chald. Onkelos, Syrus, Arabs, Samarit. Ac miror quomodo ex Vulgata excigerit, Vox *Lagani* in Hebraeo fonte est פרי *Rakik* h. e. *Tenue*, quia simplex membrana est, non intus infarta. Hinc Isidorus XX. 2. definivit: *Laganum est latus & tenuis PANIS* (*Panem* vocat, quippe tantum ex similagine, aliove farinae genere subactum opere pistorio) *qui primum in aqua, postea in oleo frigitur*. Comma hoc ultimum alienae manus suspicione laborat; quia, Vossio (in suo Etym.) teste, a pluribus Mss. abest: tametsi laganum prius in aqua coqui, postea in oleo frigi debere, in profanis plurib. lagani descriptoribus adnotatur.

Porro λαγάνον (*lagani*) vocem ad Graece exprimendum Hebraicum פרי *Rakik* (i. e. *tenue*) Seniores scite usurparunt: quos Hieronymus secutus est, itemque Syrus interpres non uno loco. *Lagani* vero nomen apud Graecos quidem (5) perantiquum fuit, apud Latinos vero non aeque vetus. Reperitur & in Syris versionibus, sed non ut mihi Syraici peculii vox ea fuisse videatur, sed Graeci potius. De Lagano consulantur Hesychius, & Suidas in λάγανον, Acron vero ad Horatii I. Serm. 6.

Sed ne tantulae rei diutius haereamus; laganum Mosaicum simplicitate sua magis quam quavis re alia a Graecanico discrepabat. Mosaicum quippe non aliud quam lamina farinacea, aut proprie similaginea erat, & quidem azyma, quippe quae hic *de canistro azymorum* sumenda jubetur. Atque hujus membranae tenuitati vox פרי *rakik* fidem facit. Jam vero quam dixi laminam, ea fricta ubi fuisset, oleo irrorabatur. Vides ut Mosaici lagani omnia dictu factuque facilia fuerint: at in lagano Graeco non item. Nam massa similaginea caseo & melle sive infarciebatur sive mixtim subigebatur. Ea vero in lagani formam redacta: mox ubi fricta esset, oleo insuper adspergebatur. Atq. istud illud est laganum, quod tantopere in deliciis apud veterem Graeciam Latiumque fuit.

Dixi Mosaica lagana loci hujus oleo tantum lita fuisse, quia jam ante cocta in furno fuerant, quam in *canistro azymorum* reponerentur, ut in conspectu Domini (quod hic dicitur) sisterentur. Verum nihil impedimento erat, quin haud ex praecepto Moſis, sed ut lagana sapidiora fierent, interdum etiam in fartagine frigerentur. Atque hoc illud est, quod 2. Sam. VI. 19. David ad lactificandum populum distribuit singulis λάγανον ἀπὸ τηγάνου. Vbi λάγανον ἀπὸ τηγάνου (*lagana de fartagine*) ea prorsus intelligenda quae fricta in fartagine fuissent. Atque ibidem Vulgata: *Similam frixam oleo*.

Verum quid me ultra discrucio, cum nihil re eſcaria veterum difficilius atque incertius omnes fateantur? Itaque de eodem *Lagano* si qua forte pauciſſima restant, malim ea deorsum (6) rejicere.

DISSER-

(4) Apud Grut. pag. 228. num. 8. MVLSVM. ET. CRVSTVLAS. PECVNIA. NOSTRA. DEVOTIS. OMNIBVS. ET. POPVLO. DEDIMVS. Hor. 1. Serm. I. 25.

. . . *Vt pueris olim dant crustula blandi*
Doctores, elementa velint ut discere prima.

Acron ibi videndus, qui *crustula*, placentas interpretatur.

(5) Inter Graecos neme, quod sciam, ante Aristophanem (apud Athenaeum pag. 110. itemque apud Suidam) λαγάνων memînit: post quem LXX hoc loco, tum alii postea usurparunt. At ex Latinis primus omnium Horatius affertur I. Serm. 6.

Ad puri & ciceris vefera, laganiq. catinum.

Et Acron quidem ita legit atque interpretatur. Tamen meliores codd. habent in Flacco *lasbani*: quod rectius eruditis videtur; quia *Laganum* nihil cum porro & cicere commune habet, cum haec vilia, illud paullo lumptuoſius: deinde hoc vulgare olus, illud inter operoſa coquinae poſtremo apud Horatium *Catinus* lachano, utpote oleri jurulento, quam arido lagano, convenientior tribuitur. Idcireo hic apud Moſem laganum de *canistro*, non de *catino* sumi jubetur. Hieronymus, qui *Laganum* usurpavit, aut ex Italica facile id arripuit (quae nunc legis iis deficit) aut certe primus λάγανον Latio donavit.

(6) *De Lagani vocabulis apud Syros, apudque Graecos, Latinosque.*

A Syris ordior. Vbi apud Castellum in rad. לגן Syriacum ܠܓܢܐ *legno* (h. e. *laganum*) affertur, ibi verſio Syriaca Numerorum laudatur.

DISSERTATIO VI.

DE MOSAICIS CORNIBVS

AD EXODI XXXIV. 29.

Promiſſa ſup. pag. 61.

SECTIO I.

Variae hujus loci Exodi (XXXIV. 29. &c.) verſiones referuntur: Moſis cornua aſſeruntur, verum longe diverſo ab animalium cornibus.

CVmque deſcenderet Moyſes de monte Sinai, tenebat duas tabulas teſtimonii, & ignorabat, quod CORNVTA eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis Domini. Item ver. 30. *Videntes autem Aaron & filii Iſr. CORNVTAM Moyſi faciem, timuerunt prope accedere.* Ac ver. 35. *Videbant faciem egredientis Moyſi eſſe cornutam.*

In his locis omnibus in Hebraeo eſt קרן *karan*, quod & *cornutum* & *irradians* notat. Hoc alterum Senioribus placuit, ſic quippe interpretatis: Κατεφώτιστο δὲ αὐτῷ ἡ ὄψις τοῦ προσώπου, Μωυσῆ, ὅτι ἐδόξασεν ἡ ὄψις τὸ πρόσωπον (al. χρωτὸς) τοῦ προσώπου αὐτοῦ ἐν τῷ λαλεῖν αὐτὸν αὐτῷ. *Deſcendente autem ipſo de monte, Moyſes non ſciebat, quia clarificatus eſt aſpectus cutis faciei ſuae, in loquendo eum ſibi.* Graecas Seniorum voculas totidem Latinis appendimus, fidelitatem magis quam proprietatem ſecuti. Quid Theodotio, & Symmachus interpretati fuerint, nunc ob hexapla amiſſa ignoramus: verum non dubito, quin duo illi in vertendo קרן *karan* (in quo loci hujus difficultas verſatur) LXX Senibus adhaeſerint: nam ſi ab his receſſiſſent, ut *faciem cornutam* cum Aquila redderent, cur Hieronymus Aquilae unius meminiſſet tamquam auctoris Moſaicorum cornuum? Quippe Hieronymo uni debemus Aquilae (Hebraicae literae ſcrupuloſe addictiſſimi) translationem loci hujus, quam affert Hieronymus cap. 6. in Amos his verbis: *Vnde & in Exodo juxta Hebraicum & Aquilae editionem legimus: ET MOYSES NESCIEBAT, QVIA CORNVTA ERAT SPECIES VVLTVS EJVS: qui vere dicere poterat, in te inimicos meos cornu ventilo.*

Aquilam ergo unum (nam ne Onkelos quidem, non Syrus, non Samaritanus, non Arabs in ſuis translationibus veſtigium ullum de vultu cornuto Moſis ſignarunt) hunc inquam Aquilam ducem eſt ſecutus Hieronymus. Nec imminebat id Aquilae praetulit, ſpreto timore panico Judaeorum quorumdam, quos in *cornuum* & *cornuti* vocabulis neſcio quis ignominioſae rei metus inceſſit: de quo ignominioſo (utî Judaei putarunt) vocabulo (1) vide ſis Druſium hic, qui & ad ſua Judaeorum proverbia nos amandat. Verum quid iſtis terricularmentis futilius, quando nec deos, nec heroas, nec regum potentiſſimos cornus in nummis fignata dedecuerunt, imo quaſi dixerim aemulatione Moſis ab his omnibus diis magnatibuſque arrogata fuerunt, & in ſimulacris ſuis ornamenti loco adſcita: imo & Mnevis

---

tur. At Syriacas verſiones omnes conſtat poſt Chriſtum elaboratas; quam dudum autem poſt Chriſti aſcenſum, nemo expedivit. Ac Veteris Teſt. (in quo Numeri) ſerius quam Novi factas volunt. Itaque nihil facilius, quam ut Syriacum illud ܠܓܢܐ *legno* de Graeco λάγνον (quo utitur Ariſtophanes) fluxerit.

Etiam Ferrarius in ſuo Lex. Syr. לכוחו *lechuto* pro *legnis* attulerat ex verſ. Syra libror. Regum. Quod eadem reſponſione retunditur ſ maxime cum libri Regum ſerius Numeris Syriace redditi videantur.

Ex Graecis vero, qui τὸ λάγνον uſurparunt, nemo Ariſtophane, ac poſt hunc Senioribus antiquior. Ac de *Lagani* voce videndi Athenaeus, Heſychius, Suidas, Scholiaſtae antiqui. Hos & audimus, *Laganum* eſt placentula membranae inſtar ex ſimila & oleo recente.

Miror tamen λαγάνου vocem in tanta antiquitate vocabuli non copioſe prole derivatorum fruticaſſe apud Graecos Latinoſq. Haec de nomine λάγνος: nam rem ipſam (quae in V. T. variis nominibus Hebr. deſignatur) quis dubitat, Hebraicam natu fuiſſe?

(1) De ignominioſa cornuum notione nullum exſtat veſtigium antiquius Artemidori (qui ſub Caeſaribus inſomniorum interpretationes ſcripſit) loco, apud quem κέρατα marito κοσμῆ idem eſt ac κορυφαῖον. Videſis Spanhemium *de praeſt. numiſm.* tom. 1. pag. 402. ubi & Imper. Andronici Comneni factum affert huc pertinens. Quid iſta ſimul cum Judaicis Druſii proverbiis ad Moſis aetatem?

Mnevis (qui non alius quam Moses ipse habebatur) cornuto habitu oris in Heliopolitano Aegypti templo antiquissimo Divinos honores post Israëlitarum ab Aegypto exitum est consecutus. Postremo Aquilam & Hieronymum eave putes tam crassos fuisse, ut Mosaica cornua animalium cornibus figurâ, duritie, colore, substantia aequiparârint. Quae ergo notione Mosem cornutum vocarint, age videamus.

SECTIO II.

De Mosaicis cornibus h. e. de ejus cornuta seu bifurcata radiatione.

Mosis ex Domini colloquio radiatio faciei ejusmodi fuit, ut ipse cogeretur velare vultum, excepto tempore quo sive ex ore Dei mandata excipiebat, sive quo eadem Israëlitis renuntiabat: quo facto rursus velabat caput. Vide a ver. 29. ad finem capitis. Haec quidem arguunt, Mosis faciem ita coruscasse, ut intuentium oculis incommodaret: nisi forte hoc ea gratia faciebat, ut Domini sacramentum quantum posset, absconderet. Hinc vero arguunt, verbo קרן *karan* (quod aliquoties, sicut & hîc, est *radiare*) nihil aliud notari, quam nimirum nescio quem in Mosis ore fulgorem.

At Aquila (cujus locum Sect. I. ex Hieronymo protuli) & ipse Hieronymus in Hebraica littera crediderunt se CORNVTAM Mosis faciem deprehendere: id quod cuivis facile est intelligere. Nam thema קרן, si nomen sit, & *Keren* legatur, nusquam aliud quam *cornu* significat. Ergo ibi etiam ubi verbum evaserit (ut hoc loco *Karan*) explicari convenit *cornutum esse*, sicuti & idem verbum in *Hiphil* est *cornua emittere*. Quocirca non est dubitandum, quin hîc verbum *karan* sit *Cornutum esse*, sicuti Aquila, Hieronymus, & antiquiores recentioresque Magistri cordati aliquot existimarunt.

Verum cur, rogo, Moses ita sententiam loci hujus explicuit, ut rei summam implicuisse videatur? *Ignorabat*, inquit, *quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini*. Idcirco, inquam, ita rem enarravit, quia cum totum illud, quod in vultu Prophetae comparuit, vera lux esset, nec tamen sicuti splendores ceteri (quia per bicornem illam radiorum effusionem duorum veluti cornuum processum imitabatur) ideirco verbo *karan* usus, ostendere voluit, per bifidam nescio quam radiationem illam se binos lucis processus quasi cornua duo emisisse.

Ergo simul utraque verbi קרן *karan* est notio copulanda, i. e. radiatio una cum extantibus cornibus, ac fatendum est de sancti Prophetae capite bina radiorum volumina, binorum cornuum speciem praeseferentia, prodiisse. Hoc uti magis clarescat, pari exemplo L. Marcii Philippi strenuissimi ducis, in quo diabolus Divino permissu idem prodigium redintegravit, Sect. seq. firmabimus.

SECTIO III.

De simili radiatione, cornuta in L. Marcii capite sese ope diaboli exserente.

Livius lib. XXV. cap. 39. L. Marcii Philippi (qui prostratas in Hispania Romanorum res praeclare restituit) ubi gesta narrasset, ita adclamat: *Apud omnes magnum nomen Marcii ducis est, & veras gloriae ejus etiam MIRACVLA addunt: FLAMMAM ei concionanti EVSAM E CAPITE SINE IPSIVS SENSV cum magno pavore circumstantium militum.* Haec eadem contracliora a Plinio H. 106. ex Valerio Antiate narrantur.

Atque hoc quidem radiantis mediâ concione Marcii miraculum Mosaico par ac plane germanum esse, nemo non videt. Etiam illud utrinque simile, quod sicuti hîc de Mose scribitur, *Et IGNORABAT, quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini*; ita & de Marcio Livius, *flammam ei fusam e capite* scribit, *SINE EJVS SENSV*, imo *cum magno pavore circumstantium militum*.

At, inquies, cornuta facies Marcio defuit, si Livio narranti credendum. Non defuit, sed ignota Livio fuit; quia Marcii nummos (quos una cum aliis omne genus numismatis aetas nostra quantovis pretio comparat) scriptor Patavinus non contrectavit, ex quibus discere potuisset, Marcii flammam, sive radiationem fuisse cornutam, plane uti Mosaicam; quia utriusque flamma duo radiantia volumina recto tramite sursum erigebat, plane ut hircina cornua viderentur. Marcii nummum unum in Dujatii commentario Liviano ad XXV. 39. contemplari potes. Affert & Vaillantius alterum a superiore diversum in familiarum numismatibus numer. 23. sed doleo, quod alienatus animo illum, qui ibi cornutus effingitur, Philippum Macedoniae regem interpretatur: *vi sua*; De utroq. denario inferne (2) pauca.

Ex his vides ecquid diabolus simia rerum

(2) In Dujatiano nummo pars aversa omissa fuit: nec eam in scriptoribus nummorum familiarum quaerere curae fuit. Littera Φ *Philippum* (quod fuit huic Marcio cognomen) designat.

rum diviniorum apud gentiles Deo permittente ſategerit. Quidquid nimirum ſanctiſſimum in utroque foedere juſſu & virtute divina factum; hoc ipſum apud gentes imitabatur ad pervertendos mortales. Quo iſta tamen, cum hoc nunc non agamus?

SECTIO IV.

De Mnevis (qui Moſes Aegyptiorum eſt) cornuto ſeu radiato capite.

Qui *Mneves* Diodoro Siculo (cui notitiam ſatis uberem numinis hujus debemus) dicitur; is aliquot aliis poſterioribus *Mnevis* cum tertia vocali appellatur: quod uti leviuſculum ſpernimus. Mnevis ergo nobiliſſimus ille eſt, qui primus in Helſopolitano templo divinos honores meruit; quia Apis, qui Joſephus fuiſſe creditur, non niſi interjecto tempore coli in Memphitico templo coepit. Nec cauſae defuerunt, cur Moſes Joſephi honores antevenerit; quia Divina per hunc Legislatorem miracula (veluti in primis mare rubrum ſicco veſtigio trajectum, lex per eundem cum prodigiis ingentibus lata, manna quotidianum de caelo pluens in diaria exercitus, crebra cum Deo colloquia, ac not alia notiſſima) Moſem celebriorem fecerunt, quam fuerat antea Joſeph: Idcirco ante divinos honores Joſepho decretos, nobiliſſimum Heliopoli templum ab Aegyptiis huic legislatori erectum, in quo cum cornibus colebatur, eisdem cornibus ſcil. quae Moſi Deum alloquenti enata in fronte fuerant. Ac bene eſt quod in hac de Mneve narratione profani ſcriptores ac veteres Chriſtiani invicem, niti paucis in locis, non diſſideant. Videndus de his in primis Diodorus Siculus, & Juſtinus in Exhort. ad gentes. Adde Cyrillum, ac plures alios: inter quos non omittendus Macrobius, non quod neceſſe ſit, ſed magis ut (3) emendetur. Verum de Mueve nolo plura adjicere, maxime cum cumulate Huetius in Dem. Ev. Prop. IV. cap. 2. n. 37. de his egerit.

Reſtat illud, quod ex auctoribus qui ſuperſunt, non hominem cornutum, ſed bovem cum cornibus tam in Heliopolitano, quam in Memphitico templo cultum fuiſſe conſtat. Quo pacto nunc in tauro Heliopolitano Oſiris, in Memphitico Apis divinos nacti honores dicuntur? Res ita componi poteſt. In confeſſo eſt templum Heliopolitanum antiquius fuiſſe Memphitico. Et in Heliopolitano quidem facile homo cornutus Oſiridem exhibebat, ſub Oſiride vero Moſem latuiſſe fatentur omnes. At deinde etiam Joſepho ob egregia benefacta excitari templum placuit, ac Joſephum ſub Bovis ſimulacro peculiaribus de cauſis, quas apud alios reperies, ibi adorari. Poſt hoc factum Heliopolitae videntur loco cornuti viri colere coepiſſe ſub ſpecie cornuti bovis Moſem ſuum, quem *Oſiridem* aut *Mnevin* vocarunt.

---

gnat. In occipitio ducis hujus illud quod viſitur monogramma, ſi reſolvatur, *Marcium* repetitum dabit. Ac ſuſpicor, monogramma illud in poſtica denarii pagina ſcalptum fuiſſe; ſe enim mos in familiarum denariis, ut in adverſa parte nomen integrum, at in averſa non raro nomen idem compendio deſignatum viſatur.

Atque in hujus Marcii cornibus notabile eſt, quod cum hircina ſint, tamen non recta procedant, verum nonnihil tortuoſa videantur: imo & quod circa cornuum ſuperficiem neſcio quae tremula ſcabricies obſervetur (niſi vero fefellit ſe, qui apographum ex metallo expreſſit) quae quidem ſcabritia ad imitandum capitis lumen, cujus meminit Livius, ſolerter ſubtiliterque affectata ab artifice fuit.

Vegio ad nummum alterum, qui a Vaillantio in gente Marcia num. 22. exhibetur. Ac primum, cum nummus L. Marcii ſit, cur eum qui in eo ſcalpitur, non ipſum Marcium, ſed Philippum Macedoniae regem putet, non intelligo: imo quod cauſas requirat, cur in ſuo denario Marcius regem Philippum exhiberi juſſerit, in iis Vaillantio eruditiſſimo non aſſentior. Quid enim? idem utrobique capitis ornatus, eadem inſcriptio, eadem hircina cornua ex capite prodeuntia, nihil poſtremo peculiare Philippi Macedonis: Fortaſſe dixeris, non eamdem utrobique videri vultus imaginem. Atqui hoc ideo, quia diverſis ſcalpti temporibus. Ac re vera in Dujatiano vernantis aetatis eſt Marcius: at in Vaillantiano ſenilem aetatem refert. Poſtremo accuſetur potius artificis inſcitia aut negligentia, quam hic Vaillantio, quamlibet viro magno, aſſentiamur.

(3) Macrobius in Sat. I. 21. ita in Gronoviana editione habet: *Apud Heliopolim Taurum Soli conſecratum, quem NETON cognominant, maxime colunt.* At illud *Neton* diu vexatum lectionum incredibili varietate fuit. In notis Gronovii inter cetera ſcribitur: *Plerique ad margi-nem antiquos habere NEYTON* (ajunt) *quomodo Seldenus in Mſs. ut praedicat, vetuſtiſſimo invenit, cui placet* MNEVIN, *quem ſequitur Grotius ad Exodum*, hoc ipſo loco ſcil. Ex quibus vides, cum τὸ *Neuton* (quae tamen melior aliis) nihili ſit, M huic voci praeponendum, ac tum reformato fine, *Mnevin* aut *Mneven* ſine controverſia legendum.

SPICI-

SPICILEGIVM ADNOTATIONVM LITTERALIVM IN LEVITICVM.

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ PAVCVLA.

QVicumque ille fuit, quo auctore ORPHICA poëmata prodierunt, is satis antiquus certe fuit. Nam Onomacritus ille, ad quem auctorem a multis Orphica referuntur, Pisistrati tyranni (quem Gellius Ser. Tullio regi aequalem facit) temporibus floruit. Ergo sive huic Onomacrito, sive alii cuilibet paris aevi, memorias vetustissimas refricare propositum fuit. Praeter Orphica memorantur & alia praeterea opuscula parem saltem antiquitatem prae se ferentia. Atque hos omnes ex Mosaicis fontibus sua scripta irrigasse, vel ex eo arguitur, quod inter hujusmodi poëmata Κόσμου κτίσις (*Mundi creatio*) celebrabatur, quod est vere argumenti Mosaici opusculum, de quo ad Gen. I. 2. quaedam adlevi.

Adhaec in Διαθήκαις ad Musaeum (cujus operis multa est apud Justinum, Clementem Alex. Eusebium, alios mentio) memoratur Μονογενής τις ἀπορρὼξ φύλου ἄνωθεν χαλδαίων, hoc est *Vnigenitus quidam, propago generis ab origine Chaldaei* (qui vulgo Abraham fuisse fingitur) & ὑλογενὴς, seu ut alii legunt, ὑδογενὴς (*ex aquis profectus*) qui Moyses fuit: ut omittam quod διαθήκης vocabulum est mere Hellenisticum ad Hebraicum ברית *Berith* exprimendum nove usurpatum. Atque ex hoc ipso Levitico Mosaico, manarunt non pauca ex Orphicis opera; ut τὸ Θυηπολικὸν sive de *sacrificiis* a Suida laudatum: quem librum Plato in II. de rep. spectasse putatur his verbis: Βίβλων δὲ, ait, ὁμαδὸν παρέχονται Μουσαίου καὶ Ὀρφέως . . . καθ' ἃς ΘΥΗΠΟΛΟΥΣΙ. *Qui librorum congeriem ostentant, Musaei Orpheique . . . ex quorum ritu sacris operantur.*

Jam vero ex hoc ipso *Levitico* manarunt & haec opera apud eumdem Suidam, τὰ ἱεροστολικὰ, & Καταζωστικὸν, quibus omnino vestium apparatus ad sacra praescribebatur. Adhaec Ὀνομαστικὰ ἔπη (1200. quae idem Suidas laudat) ea occasione scripta videntur, quod saepe in Genesi nomina hominibus aut locis imponuntur: Orpheus autem, teste Athenagora, τὰ ὀνόματα θεῶν πρῶτος ἐξεῦρε, *deorum primus nomina invenit*.

Postremo ex illo thymiamate, cujus confectio a Mose traditur Exodi XXX. factum, ut ex Orphicis hymnis, qui exstant, nonnulli inscribantur Θύμια ἀρώματα. Et sane Auctor allegoriar. in Hesiodi Theog. pag. 267. laudat Orpheum ἐν τοῖς θυμίοις ἀρώμασι, sive ut vulgati libri habent, θυμίαμα, sive ἀρώματα. Adhaec quemadmodum Moses de gemmis τῆ λογίῳ pontificii egerat; sic inter Orphica

Orphica apud Suidam memoratur περὶ λίθων γλυφῆς, ἥτις ὀγδοηκοντάλιθος ἐπιγράφεται: laudat & Orpheum ἐν λυθικοῖς Tzetzes ad Lycophr.

Porro, si liceat pedem ad Geneſim revocare; antiquiſſimus quiſque κοσμογονίαν ſcripſiſſe perhibetur. Ex ſcriptoribus ante-Homericis a Fabricio tom. 1. Bibl. Graecae recenſitis, pauci ſunt, quin κοσμογονίαν ſcripſiſſe dicantur. Scripta certe ante aut poſt Homerum plurima hujus argumenti ſunt. Palaephatus Athenienſis Homero, ut ajunt, antiquior ſcripſit Κοσμοποιΐαν verſibus quinquies mille, Suida auctore. Atque ex his omnibus aperte cognoſcitur, Moſaicum Pentateuchum ſcriptoribus Homerici ſaeculi materiem, interdum & titulum ſuppeditaſſe.

AD LEVITICI TITVLVM.

Liber Leviticus.] Titulus is a LXX non temere creditur inditus ex eo maxime, quia Sacerdotum Levitarumque miniſteria, prout a Deo inſtituta ſunt, complectitur. Non hoc nec tale ſimile, quod meminerim, in mentem venit gentilibus, ut Sacra caerimoniaſque ſuas ad deos illos, quibus peragebantur, inſtitutores referrent. Romani ſola, quod ſciam, ſacra Herculis ab Hercule ipſo Potitiorum Pinariorumque familiae tradita jactitabant. Livius IX. 34. in concione P. Sempronii trib. plebis adverſus Ap. Claudium Cenſorem: *Poenitet enim, quod antiquiſſimum ſollemne & SOLVM ab ipſo, cui fit, inſtitutum deo, ab nobiliſſimis antiſtitibus ejus ſacri* (Potitiis ſcil.) *ad ſervorum miniſterium religioſus cenſor deduxiſti*. At rituales leges, quas hic liber complectitur, vel eo ſe apud Hebraeos commendabant, quod hi ſe a ſummo veroque Deo edoctos κατὰ λεπτὸν fuiſſe, qua ſe maxime ratione coli vellet, ex hoc libro tenerent. Inde & ejusdem libri pretium apud Judaeos non minimum fuiſſe oportuit.

AD LEV. II. 13.

Quidquid obtuleris ſacrificii, ſale condies, nec auferes ſal foederis Dei tui de ſacrificio tuo. In omni oblatione tua offeres ſal.] Id etiam a gentilibus obſervabatur, ut omnes norunt: unde & ἱερὸς ἅλας dicebant, & Homerus θεῖον ἅλα. Et quia in pleriſque antiquitus erat ſacrificiorum cum menſis magna communio (quiâ primitus & ſacrificia verae epulae erant, & hae a ſacrificiis non ſejunctae) hinc ne a menſis quidem ſal exſulare poterat, quem religioſe lingerent. *Sacras* (inquit Arnobius) *facitis menſas ſalinorum appoſitu*. Vide quae fuſius dabimus ad Act. I. 4.

In omni oblatione tua offeres ſal.] Itidem apud gentiles. Plinius XXXI. 7. *Maxime autem in ſacris intelligitur ejus* (ſalis) *auctoritas, quando nulla conficiuntur ſine mola ſalſa*. Ovidius I. Faſt. 337.

Ante, deos homini quod conciliare valeret,
Far erat & puri lucida mica ſalis.

Hinc *fruges ſalſae* ſaepe apud poëtas Latinos in ſacris deſcribendis, ut apud Graecos ἁλοχύται, i. e. *mola ſalſa*, aut caniſtra, quibus portabatur, celebrantur. Is mos ſive a conviviis ad ſacra, ſive hinc ad epulas manavit. Certe enim ſalem a menſa abeſſe nefas putabatur; ut ad Act. I. 4. dicetur. Nam quia ſacrificia

tamquam ſacrae epulae habebantur; hinc utrobique panis, vini, ſalis, carnium & ſiquid tale aliud, uſus communis fuit. Apud gentiles ſic dii ſacrificiis epulaturi adeſſe credebantur, ut homines menſae accumbunt: id quod & pulvinaria addocent, & alia ſexcenta, quae huc afferre in re ſatis comperta non eſt opus.

AD LEV. III. 17.

Jure perpetuo in generationibus & cunctis habitaculis veſtris nec ſanguinem, nec adipem omnino comedetis.] Dubium eſt, utrum lex de non comedendo ſanguine (quae ſaepiſſime deinceps iteratur, veluti Lev. VII. 26. & XVII. 11. & 14. & Deut. XII. 23. & tandem Actorum XV. 20.) hîc nunc primum proponatur, an vero jam antea Noacho tradita fuerit Gen. IX. 4. Obſcurus quippe is locus Geneſeos, & varie ab interpretibus intellectus; ac fortaſſe ſolum interdicta ibi Noachidis carnis, cujus non effuſus ſit ſanguis, comeſtio. Nunc autem primum meri ſanguinis eſus perſpicue vetitus.

Ac frûſtra ſunt, qui crudi ſanguinis uſum, quem efferatae quaedam nationes adhibebant, interdictum volunt. Cultior enim erat Hebraeorum populus, quam ut pertimeſcendum fuerit, ne in tantam feritatem raperetur. Imo ſi eo ſpectaſſet legislator, ab *ebibendo* ſanguine, non a *comedendo* interdixiſſet: nunc vero locis omnibus eſus cruoris, non potus vetitus deprehenditur.

Sequitur adipis vetatio: de quo diverſi inter ſe abeunt interpretes. Vtcumque eſt, non is adeps vetatur, qui carni adhaerens atque permixtus comeditur, ſed adeps merus & ſolitarius: de quo videatur Bochartus in Hierozoico p. 471. ubi tres affert (1) ex Hebraeis legis exceptiones.

Verum cum ſanguinis & adipis vetatio ſimul hoc loco conjungantur: exiſtimo ſpectatum a Legislatore ad vetuſtiſſimum morem inferciendi viſcera ſanguine, unaque adipe; quod genus edulii (Lat. *Apexabo* vocatum) apud antiquiſſimos mortalium in deliciis fuit. Apud Homerum cum Vlyſſes cum Iro certamen committeret, Antinous praemium victori proponit ventrem caprinum ſanguine & adipe infertum. Od. XVIII. 44.

Γαſτέρες αἰδ' αἰγῶν κεκαυ' ἐν πυρὶ· τὰς δ' ἐπὶ δόρπῳ
Κατθέμεθα κνίσης τε καὶ αἵματος ἐμπλήσαντες·
Ὁππότερος δέ κε νικήσῃ κρείσσων τε γένηται,
Τάων ἢν κ' ἐθέλῃσιν ἀναστὰς αὐτὸς ἑλέσθω.
Caprarum hi ventres viden' ut torrentur in igne,
In caenam ſervati, adipe atque cruore tumentes?
Victor qui fuerit certamine cumque duorum,
Surgens quem volet auferto, ſibi robore partum.

Itaque cum Vlyſſi victoria obtigiſſet, Antinous ei praemium perſolvit. Od. XVIII. 117.

Ἀντίνοος δ' ἄρα οἱ μεγάλην παρὰ γαſτέρα θῆκεν
Ἔμπλεί̓ν

(1) Bochartus in Hier. col. 471. videatur ubi de exceptionibus hujus legis tribus apud Hebraeos. I. non peccari per errorem, ſed per ſuperbiam. II. prohiberi tantum bovis, ovis, caprae: quae tria animalia Lev. VII. XXIII. 25. Deo offerebantur. III. eum adipem prohiberi qui exta, renes, & alia ambit, non quod media carne latet.

Ἐμπλείην κνίσης τε καὶ ἁίματος.
Ast olli Antinous grandem dedit haud mora ventrem
Sanguine confertum atque adipe. Hunc, opinor, morem respexit haec lex, qua sanguinis & adipis vetatio jungitur.

Similia habet Homerus Od. XX. 25. ubi Vlyssem: *animum nunc huc celerem nunc dividere illuc*, ait, non secus ac in ventre hujusmodi fit, interim dum assatur.

Ὡς δ' ὅτε γαστέρ' ἀνὴρ πολέος πυρὸς αἰθομένοιο
Ἐμπλείην κνίσης τε καὶ αἵματος ἔνδα καὶ ἔνθα
Αἰόλλει μάλα δ' ὦκα λιλαίεται ὀπτηθῆναι.
Ac veluti ventrem fartum pinguedine & atro
Sanguine vir coquus, accenso fervente camino,
Assari cito dum cupit, huc convertit & illuc.

Et hymno in Mercur. Ver. 121.

Ὤπτα δ' ἀμφ' ὀβελοῖσι πεπαρμένα δρατοῖσι
Σάρκας ὁμοῦ καὶ ἠῶτα (2) γεράσμια, καὶ μέλαν αἷμα
Ἐργμένον ἐν χολάδεσσι.
Roboreis verubus carnes assabat acutis
Infixas, ac terga in honorem, atrumque cruorem
Clusum intestinis.

Sanguis intestino concluſus admixto pingui, *Apexabo* Latinis dicebatur, de quo edulio Varro in IV. de L. L. & Arnobius. Italis hodie *Sanguinaccio* vocatur.

Ac nihil in Mose obest particula disjunctiva *Nec*: quae quidem hîc a fonte abest, ubi sic legitur: *Omnem adipem & omnem sanguinem non comedetis*. Sic quoque LXX: Πᾶν στέαρ καὶ πᾶν αἷμα οὐ φάγεσθε. Ac notandum quod Hebraice & apud τὸν ὁ adeps sanguini praeponitur aeque, ut apud Homerum. Quae duo fortasse conjunctim capienda non minus, quam ubi dicitur futurus filius hominis in corde terrae *tribus diebus & tribus noctibus*, h. e. tribus ἡμερονυκτίοις (non absolutis) alioqui vaticinii veritas non constabit: de quo dicetur ad Matt. XII. 40. ad illud, *Erit fil. hom. in cor. ter. trib. dieb. & trib. noct.*

AD LEV. IX. 7.

Deprecare pro te & pro populo.] LXX ἐξιλάσαι ab ἐξιλάσμαι, quod est *placare*, verum (ubi precibus agitur) proprie est *deprecari*, h. e. precibus amoliri malum. Ac Numerorum libro semper ac LXX eo verbo usi sunt, ibi Noster *Deprecor* repositi. Perite. Cic. de Inv. II. 34. *Deprecatio est, in qua non defensio facti, sed ignoscendi postulatio continetur.* Ad Her. II. 17. *Deprecatione utemur, cum*

(2) Νῶτα γεράσμια in Homericis editionibus verti solet *Terga honorifica*. Sed metri necessitate *Terga in honorem* posui: quod & significantius. Ea dorsi pars intelligitur, quam lanii *Il filetto* apud nos vocant, quae cum sapore & tenerituditie ceteris praestet belluae locis omnibus; idcirco honoratioribus convivis reservabatur. Itaque hic Hymni locus mire consentit cum I. Sam. IX. 24. *Levavit autem cocus armum & posuit ante Saul: dixitque Samuel . . . . De industria servatum est tibi.* Ad quem Samuelis locum plura, Homeri, Virgilii & aliorum loca damus quibus hoc confirmetur. Atque in Homero illud frequens, Νῶτοισι δυσκίτοισι, *Armis perpetuis*; quia longa in bestiis armorum istorum series. Ne plura; qui ad Samuelem cetera reservamus.

cum fatebimur nos peccaſſe. Sic etiam Quintilianus VII. 4. Plinius IV. epiſt. 29. *Egit ille in ſenatu cauſam ſuam : egit autem ſic, ut deprecaretur*, ſupple *veniam*.

AD LEV. XII. 2.

Mulier ſi ſuſcepto ſemine pepererit . . . immunda erit &c.] Immundities puerperii causâ uſurpata & ethnicis fuit. Delus inſula cum ab Athenienſibus in honorem Apollinis eſſet conſecrata, ne loci ſanctitas puerperio aut funere violaretur, cautum fuit. Itaque nulli in ea naſci aut ſepeliri licebat : tam morituri igitur quam pariturae in vicinam inſulam, Rheniam dictam, exportabantur. Auctor Strabo lib. X. Vide quoque Thucyd. lib. III.

AD LEV. XIII. 4.

Recludet eum Sacerdos.] Vetus Itala apud Auguſtinum locis pluribus pro Seniorum verbo ἀφορίζω (quo hîc & ver. ſeq. LXX utuntur) rectè habet *Segregabit*. At aevo Hieronymi *Recludo* pro eo quod eſt *probe claudo*, uſurpabatur: imo & τῷ ἀφορίζω *ſegrego* rectè reſpondebat. Juſtinus I. 9. *Singulae ſeparatim recluduntur*. In Cyrilli gloſſis : ἀποκλείω, *recludo*. In altero vetere Onomaſtico : κατακλείω, *recludo*. Sequiore aevo qui monachi ſingularibus cellis concluſi & ſegreges aſceticum vitae genus ſectabantur, ii *Incluſi* & *recluſi* dicebantur. Eosdem *reclauſos* appellat Greg. Tur. VIII. 34. Aimoinus, alii. Carolus ſimplex Franciae rex, ex eo quod diu carcere detentus fuit, *Reclauſi* cognomentum eſt aſſecutus.

AD LEV. XVI. 9.

Cujus exierit ſors Domino.] Sic in lib. Joſue etiam *egredi ſors* eſt crebra locutio. Et ceteroqui *Exire Sortem* eſſe probam locutionem, oſtendunt Epitomae declamationum Senecae III. 1. *Sortiti ſunt, ut cujus nomen exiſſet, ex pacto exaecaretur . . . Exiit ſors cujusdam. Excaecatus eſt*. Haec ideo notantur, necui haec locutio Italiſmum ſapiat : cum contra res habeat.

AD LEV. XVI. 21.

Et poſita utraque manu ſuper caput ejus (hirci) *confiteatur omnes iniquitates filiorum Iſraël, & univerſa delicta atque peccata eorum : quae imprecans capiti ejus, emittet illum per hominem paratum in deſertum*.] Inde fortaſſe hoc ad profanos fluxerit, ut ἐπὶ τῆς καταράς κατ' αἶγας ἀγρίας τρέπειν τὰ κακὰ conſueverint, ut ex Suida, & aliis notant adagiorum ſcriptores. Ea, inquam, deprecandi formula (κατ' αἶγας ἀγρίας) uti dixi, potuit ex eo manare, quod *Hircus* iſte malis omnibus oneratus in ſilvas ablegabatur, ut κατὰ κάπρον ἄγριον τρέπειν τὰ κακὰ viderentur Hebraei ex hoc loco.

Familiare ceteroqui gentibus & hoc fuit τὰ καθάρματα, ſeu piacula projicere in mare, in paludes & ſimilia. Atque ex eo quod in Lernaeam paludem καθάρματα Argivi projicerent, inde ortum adagium Λέρνη κακῶν, ut interpretatur Strabo lib. VIII. pag. 371. διὰ τὰς γενομένας, inquit, καθαρμὰς ἐν αὐτῇ : clarius Heſychius διὰ τὰς Ἀργείους καθάρματα εἰς αὐτὴν βαλεῖν. Atque ad eum morem

morem ſpectare mihi videtur Horatius, ubi curas, ac talia *in mare Ponticum* &c. abigenda ventis committit.

Appianus in Ver. τῶν ἐμφυλ. luſtrationis claſſis ritum deſcribens ait: Καὶ τρὶς ἐπὶ σκαφῶν περιφέρουσιν ἀνὰ τὸν στόλον τὰ καθάρσια, συμπεριπλεόντων αὐτοῖς τῶν στρατηγῶν, καὶ ἐπαρωμένων ἐς τάδε τὰ καθάρσια ἀντὶ τοῦ στόλου τὰ ἀπαίσια τραπῆναι. *Moxque in ſcaphis ter circum claſſem luſtramina circumferunt, circumnavigantibus una & ducibus, comprecantibuſque ut in ea luſtramina a claſſe infauſta omnia avertantur.*

AD LEV. XVI. 22.

Cumque portaverit hircus omnes iniquitates ipſorum in terram ſolitariam, & dimiſſus fuerit in deſerto; revertetur Aaron ....lavabit.] Mira Judaei praedicant de hoc hirco, quem peccatis onuſtum, in locum praeruptum fuiſſe deportatum volunt, atque illum hinc praecipitem ſe dediſſe. Eum montem XC. ſtadiis abfuiſſe Hieroſolymis iidem Judaei volunt. Fateor, non omnia quae apud Miſnicos ejusdem ſurfuris leguntur, funditus falſa eſſe: at intuta tamen. Hoc loco pro eo quod Latine legitur *in terram ſolitariam*, id Hebraice eſt *in terram* גזרה *gezera*, i. e. *praeciſam*: quod notare poteſt vel *ſejunctam* ab hominum commercio, vel *praeruptam*. Hoc poſterius poſtulare mihi videtur Syrorum ſermo: apud quos גזירתא *gezirto* ſignificat *praeruptum locum*; veluti, ſi de aedificiis ſermo (ſicuti Ezech. XLI. XLII.) notabit *extremam crepidinem*, *faſtigium*, *pinnaculum*. Ceteroqui devoti alicujus capitis praecipitatio de praerupta ſpeculâ, nim. καθάρματος & ἀποτροπῆς gratia, non ignota gentibus fuit, utpote Moſaica inſtituta ad profanas caerimonias traducente diabolo. Apud Strabonem lib. X. pag. 462. ſic ſcribitur: *Fuit porro apud Leucadios more a majoribus tradito receptum, & quotannis in ſacrificio Apollinis* (ἀπὸ τῆς σκοπῆς ῥιπτεῖσθαί τινα τῶν ἐν αἰτίαις ὄντων, ἀποτροπῆς χάριν) *ut reorum aliquis de ſpecula dejiceretur, averruncandi gratia ſuſpenſis, eidem dejiciendo omnis generis plumis avibuſque, quarum volatu ſaltus ſublevaretur. Inferne autem exigui lembi plures in orbem diſpoſiti excipiebant dejectum* (καὶ περισώζειν εἰς δύναμιν τῶν ὁρῶν ἔξω καταληφθέντα (at melius in ſcriptis ἀναληφθέντα) *& ſic demum illum* (ex ſaltu) *quantum quidem fieri poterat, incolumem extra fines abigebant.* Haec ultima Interpres optimus non optime reddiderat. Ad eamdem narrationem pertinet illud Servii ad III. Aen. 279. de Leucate monte Leucadis: *Vnde nunc auctorare ſe quotannis ſolent, qui de eo monte ſe jaciunt in pelagus.* Et illud Ampelii in libro memoriali cap. 8. *Leucade mons, unde ſe Sappho dejecit propter virum* (vide ibid. Strabonem de ſaltu amantium, & Scaligerum in II. Lect. Auſon. 18.) *in ſummo monte fanum eſt Apollinis, ubi ſacra fiunt: & cum homo inde deſiluit, ſtatim excipitur lintribus.*

AD LEV. XVII. 3. 4.

Homo quilibet de domo Iſraël, ſi occiderit bovem aut ovem ſive capram, in caſtris vel extra caſtra; & non obtulerit ad oſtium tabernaculi oblationem Domino, ſanguinis reus erit.] Vt apud Hebraeos ſic & apud profanos quaecumque animalia mactabantur, ex iis aut ſanguis diis libandus erat, aut alia quaevis portio. Antiquitus enim tum ſacrificia verae epulae erant; tum & viciſſim convivia ferme uti ſacrificia peragebantur: eaque duo magis vocabulis, quam re diſtinguebantur.

Hinc

Hinc ἱερεύω est animal non tantum ad sacrificia, sed & ad epulum caedere; & ἱερεῖον non tantum est victima, sed & quod animal ad instruendum convivium mactabatur. Jupiter apud Hom. XXIV. 69. sacrificium quod ejus arae admovebatur, δαῖτα appellat:

Οὐ γάρ μοί ποτε βωμὸς ἐδεύετο δαιτὸς ἐίσης.
Non unquam aequa meis aberant convivia ab aris.

Ab ea est caussa ut sacrificales convivalesque ritus, etiam posterioribus ipsis temporibus, plerique propemodum iidem perennarint.

AD LEV. XVIII. 21.

De semine tuo non dabis ut consecretur idolo Moloch.] Assentior viris doctissimis, quibus *Molochi* (i. e. *regis*) nomine non alius intellectus fuisse videatur, quam sol: qui propterea *Beelsamin* sive *Rex caeli* dicebatur; sicuti luna *regina caeli*. Inter Juliani παραβάτου orationes quarta illa est, quae inscribitur εἰς τὸν βασιλέα ἥλιον. Ad haec de deo synonymo *Mithra Menotyranno* (quasi *mensium regem* dixeris) multa est in inscriptionibus & anagliptis temporum Caesareorum mentio. Exstat Neapoli apud Joan. Carafam Nojae ducem (eruditione & antiquitatis studio ac nummorum & marmorum penore clarissimum) ingens atque inaestimabile Mithrae anaglyptum.

AD LEV. XIX. 8.

Quia Sanctum Domini polluit.] Nihil quidem in Scripturis crebrius quam vox *Sanctum* neutraliter usurpata: quod a profanis abest. Nisi quod imitatum hanc *Sancti* appellationem aevo Constantiniano Lampridium reperio: qui Simulacrum Matris Deum *Sanctum* ὑδετέρως appellavit in vita Heliogabali cap. 7. *Ablatumque Sanctum in penetrale dei sui transtulit.* In editis est *Sanctum nomen* aut *numen*; sed in optimis scriptis SANCTVM sine alio additamento, eaque est verissima lectio.

AD LEV. XIX. 20.

Homo si dormierit cum muliere . . . ancilla . . . vapulabunt ambo.] Hoc ultimum in Hebraeo est בִּקֹּרֶת תִּהְיֶה, *bikkoreth tihjeh*, *flagellatio erit*. Aben Ezra ad hunc locum notat, flagellandos intelligi *loro bovino*, quod voce *Buker* significatur, cum sit a בָּקָר *bakar*, *bos*. Septuaginta tamen verterunt, Ἐπισκοπὴ ἔσται αὐτοῖς, *visitatio erit eis*. Quid ita? Fortassis quia pro בִּקֹּרֶת *bikkoreth* videntur legisse פְּקֻדָּה *pekudda*, *visitatio*: nec mirum sit, quia litterarum lineamenta partim eadem utrobique sunt, partim simillima. Verum quidquid hujus sit, certe ἐπισκοπὴ (quae vox rarius remunerationem, saepius autem animadversionem notat) recte de ejusmodi punitione, cujusmodi est flagellatio, capitur: quae apud Clementem Alex. Paedag. I. 9. gravis poena est. Ἐπισκοπὴ, inquit, ἐστὶν ἐπίτασις σφοδρά, *Visitatio est vehemens redargutio*. Etiam in deteriorem partem Hesychius interpretatur in suo lexico in hunc modum: Ἐπισκοπὴ· ἐκδίκησις. *Vindictam* ait eo verbo notari, non clementiam nec salutem. Nec aliter in Scripturis: ubi saepiuscule in luctuosam, quam in laetam partem accipitur. Affertur

fertur & ex Euripide ſatis antiquo ſcriptore illud Iphig. in Taur. vet. 1414. Ἴλιόν τ' ἐπισκοπεῖ, *Iliumque viſitat* h. e. *ulciſcitur*.

AD LEV. XX. 10.

Si moechatus quis fuerit cum uxore alterius . . . morte moriatur & moechus & adultera.] Adulteros Moſaica lege lapidatos fuiſſe, praeter hunc locum ex hiſtoria adulterae in Evangelio Joh. VIII. (3) conſtat. Ex hoc vero Levitici loco haec eadem poena ad gentiles manavit. Eodem enim ſupplicio dignus viſus eſt Hectori apud Homerum Paris, qui Helenam Menelai uxorem rapuiſſet, Il. III.

Λάινον ἕσσο χιτῶνα κακῶν ἕνεκ' ὅσσα ἔοργας.
Induere, ut meritus, ſaxorum perfide amictu.

AD LEV. XX. 18.

Cum muliere in fluxu menſtruo.] In LXX eſt μετὰ γυναικὸς ἀποκαθημένης. Polluci quidem III. 122. ἀποκαθήμενος *Deſes* eſt, ac merum ignaviae nomen: at Heſychio, qui paſſim lexicon ſuum ex Scripturis ſacris LXX viralibus locupletavit, Ἀποκαθημένη eſt αἱμορροοῦσα: optime ſane atque ex mente Seniorum.

AD LEV. XXI. 9.

Et violaverit nomen patris ſui, flammis exuretur.] Hebraice eſt παρεθετικῶς (*patrem ſuum illa profanat*) vel ut ſit ellipſis particulae cauſalis, *Quia patrem profanat*. Sic etiam infra XI. 21. (*num.* 60.) eodem loquendi genere. Et Jo. IX. 21. ubi vide notata.

AD LEV. XXI. 17. 18. & ſeq.

Loquere ad Aaron: Homo de ſemine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo ſuo (ver. 18.) *Nec accedet ad miniſterium ejus: ſi caecus fuerit, ſi claudus, ſi parvo vel grandi vel torto naſo.*] Ac ſic uſque ad ver. 23. Verſus primus apud Cyprianum ep. 64. & ep. 72. ita legitur: *Homo in quo fuerit macula & vitium, non accedet offerre dona Deo*. Cum Cypriano & alii conſentiunt: quorum interpretationes propius ad LXX ſemper accedunt. Ac duo ſunt in Latina vetere ſingularia: prius quod qui *panes* in Hebraeo vocantur, eos Cyprianus cum veteribus Latinis, *Dona* ex Graeco Seniorum verterit: alterum eſt de *macula*: quae vox univerſa corporis vitia, quae mox enumerantur, complectitur. Idque generale nomen in Hebraeo eſt מוּם *mum*, & in linguis ex Hebraeo derivatis *Muma*, aut non longe aliter. Ea vox ab LXX ſervatur integra (Μῶμος ſcil. unde ἄμωμος eſt Graecis *immaculatus*) ſuntque haec duo late patentia in hoc textu vocabula.

Qui habuerit maculam, non offeret panes Deo ſuo, Nec accedet ad miniſterium ejus &c.] Apud Hebraeos, ſicuti victimae ita & ſacerdotes *maculae* omnis expertes eſſe debebant. Vox מוּם *mum*, *macula* (de qua jam ante dictum) quodlibet corporis

(3) Cave ſuſpiceris, hiſtoriam adulterae ex aliena manu in Joannis Evangelium irrepſiſſe. Cauſam ſinceritatis ejus partis Evangelii Joannis tuetur egregie Millius in Prolegom. num. 251. & 892. Quibus adde quae Kuſterus in Mil. Notis ad finem cap. VII. Joannis ex Boivinio adnotata reliquit.

poris vitium notat; unde Graecis est μῶμος, & inde ἄμωμος · quod vocabulum ad corpus refert Hesiodus:

- - - Φυὴν τ' ἐρατὴ καὶ εἶδος ἄμωμος.

Apud Athenienses antequam sacerdotes eligerentur, per δοκιμασίαν in eos inquirebatur, utrum ἀφελεῖς & ὁλόκληροι (haec vocabula in tali re usitata ac sollemnia) h. e. corpore integri essent. Auctor Etymologici: Ἀφελὴς ὁ ὑγιὴς τὸ σῶμα καὶ ὁλόκληρος · οὕτω παρ' Ἀθηναίοις καὶ οἱ βασιλεῖς καὶ οἱ ἱερεῖς ἐδοκιμάζοντο Ἀθήνηθεν, εἰ ἀφελεῖς καὶ ὁλόκληροι. Eamdem vocis ἀφελὴς notionem tradit Hesychius: Ἀφελὴς · ἀσινὴς, καθαρὸς, ὁλόκληρος, ὁ μήτε πλεονάζων, μήτε δέων τι τῶν σώματος. Recte καθαρὸς Hesychius addidit, quia quae maculosa, eadem impura, ut in sacerdotibus sic & in victimis (nam & θύματα ἀφελῆ esse debebant, teste Polluce lib. 1. segm. 29.) & ex Aeschine in Timarchum constat corporis καθαρότητα in sacerdotibus requisitam: ὁ αὐτὸς οὗτος ἀνὴρ ἱεροσύνην μὲν ἀθεὸς θεῶν κληρώσεται, ἃς οὐκ ἂν ἐκ τῶν νόμων καθαρὸς τὸ σῶμα: *Nullius deorum sacerdos is sorte legitor, ut qui praescriptam a legibus corporis puritatem non obtinet.*

AD LEV. XXIII. 10.

Cum ingressi fueritis terram . . . & messueritis segetem, feretis manipulos spicarum, primitias messis vestrae ad sacerdotem.] Describuntur hîc quam copiosissime ritus festi primitiarum: cum quibus junge, si libet, & quae plurima de eodem festo Josephus affert in III. Antiq. cap. 10. Notandus in Josepho praecipue ritus torrendi spicas primitivas illas: qui ritus ad Romanos ab Oriente traductus fuit. Festus in FORNACALIA sic ait: *Fornacalia feriae institutae sunt farris torrendi gratia, quod ad fornacem, quae in pistrinis erat, sacrificium fieri solebat.* Ovidius in II. Fast. *Facta dea est Fornax: laeti fornace coloni*

Orant, ut fruges temperet illa suas.
Curio legitimis nunc Fornacalia verbis
Maximus indicit, nec stata sacra facit.

AD LEV. XXIII. 11.

Altero die Sabbati.] Hebr. *postridie Sabbati.* שבת *sabbat*, quod *quietem* significat, interdum est ἴδιον ὄνομα diei septimae, veluti κατ' ἐξοχήν. Et interdum quodlibet aliud festum, cui adjuncta cessatio, שבת *sabbat* vocatur, ut hîc, & infra ver. 15. & alibi. Eadem metonymia apud Graecos in usu fuit, apud quos festum quodcumque, cui erat cessatio adjuncta, ἐκεχειρία appellabatur. Polybius ἐκεχειρίαν τῶν Ὀλυμπίων Olympiorum festum appellavit. Hinc ἐκεχειρίαν ἐπαγγέλλειν est festum indicere. Strabo lib. VIII. οἵτοι δὲ (Macistii) καὶ τὴν ἐκεχειρίαν ἐπήγγελλον, ἣν καλοῦσι Σάμια. *Hi ferias indicebant, quas Samia appellant.* Pausanias: τὴν ἐκεχειρίαν τὴν ἐπ' Ολυμπίοις ἐπαγγέλλουσιν οἱ Ἠλεῖοι. Pollux IV. 12. inter praeconis officia τὸ ἐκεχειρίαν ἐπαγγέλλειν refert: quod potest & ad belli inducias (quas persaepe vox ἐκεχειρία (4) significat) & ad festi cessationem referri.

(3) Ad Ex. XX. 10. *pugnae pactitiam* ἐκεχειρίαν (ut antiqui vocabant) copiose illustravi, & quidem ita ut prope dubitarem, utrum ἐκεχειρία etiam de Judaico Sabbati otio, ceterarumque gentium festiva cessatione usurparetur. Quamquam Josepho loco

referri. Certe, ſi Judaeis credimus, adpetente veſpere ſabbati ter buccina inſonabat, ſive ter ἐκεχυρίᾳ ἐπηγγέλλετο. Primo ſtatim ſigno urbana, altero agri opera ceſſabant, tertio lucernae accendebantur.

AD LEV. XXIII. 17.

Panes primitiarum duos.] Apud Graecos Θαλύσια (1) celebrabantur grati animi ergo poſt meſſem. Et inde Θαλύσιος ἄρτος nomen accepit, qui erat panis ex novo tritico primum confectus, quem Athenaeus III. 30. etiam Θάργηλον dictum teſtatur.

AD LEV. XXIII. 34.

A quinto decimo die menſis hujus ſeptimi erunt feriae tabernaculorum ſeptem diebus Domino.] At apud Graecos, praecipue Spartanos, a XIII. die menſis Carnei (qui ferme Auguſto noſtro, ut Hebraeorum ſeptimus Septembri, reſpondet) Carneorum feſtum celebrabatur per dies novem, per quos ſub umbraculis ſeu tabernaculis degebant, & vivendi morem ac diſciplinam caſtrenſem imitabantur. Vide de eo feſto prae ceteris Athenaeum IV. 9. Cumque *Carneorum* iſtorum (a quibus & menſi Carneo nomen quaeſitum) etymon a vetoribus Grammaticis varie tradatur (id quod in iis, quae ab Oriente manarunt, uſuveniſſe comperio) non abſurde quis a קרן *keren*, *cornu*, ab antennarum ſcilicet cornibus, quibus umbracula fulcirentur, per me licet, deduxerit. Notus Virgilii verſus,

Cornua velatarum obvertimus antennarum.

Nam antennarum cornua non tantum ad vela explicanda (uti Servius notat) valebant, ſed & par quoque munus in re tabernacularia exercebant.

AD LEV. XXIII. 36.

Dies quoque octavus erit celeberrimus atque ſanctiſſimus . . . . eſt enim coetus atque collectae.] Sic Hieronymus τὸ *batſereth* hîc interpretatur, quod Aquilae σύλλογος vertitur, ſicuti etiam Σύλλογος dicitur in pervetuſta inſcriptione Berenicenſi apud Scip. Maffeium in *Galliae antiquitatibus ſelectis* epiſt. 1. pag. 5. cujus tale eſt initium: ΕΤΟΥΣ ΝΕ ΦΑΩΦ ΚΕ ΕΠΙ ΣΥΛΛΟΓΟΥ ΤΗΣ ΣΚΗΝΟΠΗΓΙΑΣ &c. Vide eumdem Maffeium pag. 41. & ſeq. ubi eo anno, quo poſita inſcriptio, συλλόγου i. e. *collectae* diem in Phaophi menſis XXV. incidiſſe, recte adnotat.

AD LEV. XXIV. 10. 11.

Ver. 10. . . . *Filius mulieris Iſraëlitidis, quem pepererat de viro Aegyptio inter filios Iſraël, jurgatus eſt in caſtris cum viro Iſraëlita* (ver. 11.) *Cumque blaſphemaſſet Nomen, & maledixiſſet ei, adductus eſt ad Moyſen.*] Non deſunt, qui expreſſum hîc nomen τετραγράμματον a ſcriptore divino fuiſſe putent, illud vero a poſteris reverentiae cauſa praeteritum. Certe tamen & LXX. & pleraeque

uno contentus ab ulteriore inquiſitione abſtimui. Neque enim tunc loca hîc congeſta ſuccurrebant. Ergo & quae ibi (ad Ex. XX. 10.) allata, & quae hîc copioſius addita ſatis eſſe poterunt ad ἐκεχυρίαν illuſtrandam.

(1) Θαλύσια dicebantur primitiae frugum, quae poſt fruges collectas diis offerebantur, in primis Cereri, unde & *Cerealia* etiam vocata, & συγκομιστήρια a frugibus jam comportatis. Homerus Il. IX. 530. ὅτε θαλύσια γουνῷ ἀλωῆς Οἰνεὺς μὲν ἔδων, *primitias non ſacrificavit*) aut ſic redde Homeri verſiculum:

Quod minime ſibi ſacra thalyſia feceris Oeneus.

raeque verſiones eâdem reticentiâ hîc utuntur: & S. Jacobus II. 7. id imitatur, βλασφημῶσι, inquiens, τὸ καλὸν ὄνομα: ut omnino oporteat, illud religioſe ἀποσιωπήσεως ſtudium, ſi non ipſius Moſis, fuiſſe certe antiquiſſimum. Et quidem (ut ea omittam, quae viri eruditi adnotarunt) tanta erga nomen illud τετραγράμματον religione ferebantur, ut שם *ſcem* i. e. *Nomen* pro יהוה dicerent, itaut pro קול יהוה *kol jahvoh* Gen. III. 8. קול השם *kol haſchem*, *vox Nominis* dicerent, ut eſt apud Aben Ezra. Item apud Thalmudicos *timor Nominis* pro *timor Jahvoh* reperitur. Sed me pudet e Judaeis haurire, qui longe antiquiora Chriſtianorum veterum teſtimonia reperiam, qui pari erga Jeſu Chriſti nomen reverentia tenebantur, ut ſatis haberent *Nomen* ἁπλῶς dicere, ubi vellent Jeſum Chriſtum nominare. Ac primum Act. V. 41. ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος (ut ſine addito reperitur in pluribus celeberrimis Mss. apud Millium) idem ac *pro nomine Jeſu* valet. S. Ignatius M. epiſt. ad Philadelph. εἰς τὸ συγχαρῆναι αὐτοῖς ἐπὶ τῷ αὐτὸ γνωμένοις, καὶ δοξάσαι τὸ ΟΝΟΜΑ. Vetus innominatus auctor apud Euſebium in Hiſt. Eccl. 16. εἰδέ γε τις αὐτῶν κρατηθεὶς ὑπὲρ τοῦ Ὀνόματος ἀνεσταυρώθη. *Nec vero ullus eorum pro Nomine prehenſus, in crucem eſt actus.* Item apud eumdem Euſeb. eod. lib. cap. 18. Apollonius de Alexandro Montaniſta ait: Κέκριται ὑπὸ Αἰμιλίου Φροντίνου ἀνθυπάτου ἐν Ἐφέσῳ, οὐ διὰ τὸ Ὄνομα, ἀλλὰ δι' ἃς ἐτόλμησε λῃστείας. *Judicatus eſt Epheſi ab Aemilio Frontino Aſiae procos. non propter* (Domini) *nomen, ſed propter perpetrata a ſe latrocinia.*

Tertulliano idem loquendi genus familiare fuit; cui *confiteri* aut *negare Nomen* tantumdem eſt, quod Dominum confiteri aut negare. Apologetici capite altero: *Neque enim ideo non putaretis requirenda quaeſtionibus ſcelera, quia certi eſſetis admitti ea ex Nominis confeſſione . . . . quo perverſius cum praeſumatis de ſceleribus noſtris ex Nominis confeſſione, cogitis tormentis de confeſſione decedere, ut negantes Nomen, pariter utique negemus & ſcelera, de quibus ex confeſſione Nominis praeſumpſeratis.* Idem de corona cap. 1. *Nomini negotium fecerit.* Et Scorp. cap. X. *Quid itaque ceſſas, audaciſſime haeretice, totum ordinem Chriſtianae concuſſionis in ſuperna tranſferre, & in primis ipſum Nominis odium illic collocare, ubi ad Patris dexteram praeſidet Chriſtus?* Eod. cap. *Porro & odium Nominis hic erit, & perſecutio hic erumpit.* Poſt pauca: *Perſecutionis & diſcordiae publicae in Nomen.* Alibi *Nominis cauſa* eodem ſignificatu dixit, quemadmodum & S. Cyprianus epiſt. 52. ad Antonianum: *Etſi occiſus propter Nomen poſtmodum fueris, extra Eccleſiam conſtitutus . . . . coronari in morte non poterit.* Infra S. Martyr in eamdem ſententiam: *Apoſtatae vero . . . . nec, ſi occiſi pro Nomine foris fuerint, admitti . . . . poſſunt ad Eccleſiae pacem.* Idem epiſt. 54. ad Cornelium: *In confeſſione Nominis ſanguinem ſuum fundere.* Idem de laude martyrii: *Per hoc & teſtimonium Nomini redditur, & majeſtas Nominis redampliatur.* Pontius in vita ejusdem Cypriani cap. XI. *In confeſſione Nominis conſtituta.* Idem Pontius cap. XIV. perſecutionem vocavit *Nominis infeſtationem*, dum de judice ait: *Infeſtationem Nominis anhelante.* Prudentius in paſſione Romani M. ver. 133.

Si confitendi Nominis teſtem probum
Signent inuſta ferri & ignis vulnera.

His & ſimilibus locis *Nomen* haud aliud eſt, quam illud eximium Jeſu Chriſti, quod appellat Apoſtolus *Nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Quo factum ut Chriſtiani veteres Judaeorum circa nomen τετραγράμματον religionem imitati, paria

paria in Servatore facerent, quippe quem *Nomen* in eum, quem dixi, modum ἑλληπτικῶς nuncupabant.

Ab eadem nominis Jesu reverentia & illud fluxit, ut magus ille, qui Act. XIII. 6. Βαριησοῦς appellatur, is in versione Syriaca בר־שומא *Barschuma* h. e. *filius nominis* dictus reperiatur (1). Nimirum enim cum vulgus Syro-Christianorum *Nomen* pro *Jesu* diceret, id etiam in ὁμωνύμῳ magο valuit: idque in eo multo adeo magis, ne in hoc mago sacrosancta Jesu ἐπικλησις profanaretur.

Ad ultimum etiam gentiles (imitatione forsitan nostrae religionis) ubi de diis suis agitur, vocem hanc ONOMA h. e. *Nomen* pro deo illo, quo de agitur, accipiebant. In Ephesino marmore, quod legitur in Appendice praefationis ad Gudianam inscriptionum collectionem num. XXXIII. sic inter cetera ex marmore legitur ver. 13. Προσῆκον δὲ εἶναι ἡγεμένος ὁ δῆμος Ἐφεσίων ὅλον τὸν μῆνα τὸν ἐπάνομον ΟΝΟΜΑΤΟΣ (Mensem hîc intelligit *NOMINI*, h. e. *Dianae*, de qua agitur, *cognominem*; quia Ἀρτεμίσιος i. e. *Dianius* ab Ephesiis is mensis transnominatus fuerat, ut eadem inscriptio eloquitur: cujus cetera tantum huc pertinentia adscribo) εἶναι ἱερὸν καὶ ἀνακεῖσθαι τῇ θεῷ, ἐδοκίμασεν διὰ τῆσδε τῆς ψηφίσματος . . . Ea sic junctim sonant: *Populus Ephesiorum ratus decere, solidum mensem* (Artemisium) *NOMINI* (i. e. Deae a qua mensi nomen inditum) *cognominem, sacrum esse deaeque dicatum, hac decreto sanxit* . . . . Ex quibus intelligis, reverentiae diis debitae partem fuisse ab usurpando eorum proprio nomine abstinere, ac loco proprii vocabuli, vocem Ὄνομα (h. e. *Nomen*) usurpare, quasi diaboli nostra imitantis instinctu.

AD LEV. XXV. 10.

Sanctificabisque annum quinquagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terrae tuae.] Apud plures respublicas teste Macrobio I. in somn. Scip. 6. annus quinquagesimus justam remissionem dabat. Ibi cum de annorum hebdomadibus ageret, ait: *Nonnullarum rerumpublicarum is mos est, ut post sextam* (septimanam) *ad militiam nemo cogatur. In pluribus datur remissio justa post septimam.* Videtur Hebraeorum Jubilaeum respicere: nam *remissio justa* non tantum militiae vacationem, de qua dixerat Macrobius, involvit, sed plenariam remissionem, qualem ab Hebraeis usurpatam, fortasse & aliae nationes in suos mores admiserunt.

AD LEV. XXVI. 1.

Non facietis vobis idolum & sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, ut adoretis eum.] Ad hunc *insignem lapidem* praeter dicta ab interpretibus faciunt maxime, quae Potterus affert II. Archaeol. 2. ante medium. Ibi plura de vetere more colendorum lapidum informium, plerumque nigrorum, columnarum, cipporum, βαιτυλίων &c.

(1) Neque enim viris doctis assentior, qui *filium nominis* interpretantur: *percelebrem*: nec Fr. Junio, qui in notis ad versionem Tremell. rem aliorsum trahit: nec iis demum qui *Barschuma* filium *inflationis* (ob praestantiam artis scilicet) aut *filium ulcerum*, quibus mederetur, vertere maluerunt, cum tamen in Magi nomine littera ש punctum gerat in dextro cornu.

AD LEV. XXVI. 30.

Excelſa veſtra.] Nunc primum excelſorum fit mentio, de quibus tum alibi, tum potiſſimum in libris Regum multus eſt ſermo. Superſtitionem ſacrificandi in excelſis a Chananaeis potiſſimum hauſerunt Iſraëlitae. Non Chananaeorum autem ſolum ea peculiaris fuit, ſed totius Orientis; praecipue Perſarum, quippe qui templorum parietibus deos ſuos non coërcerent, quod iis omnia deberent eſſe patentia, eorumque templum non niſi mundum univerſum eſſe dicerent. Herodotus lib. 1. Οἱ δὲ νομίζουσι Διὶ μὲν ἐπὶ τὰ ὑψηλότατα τῶν ὀρέων ἀναβαίνοντες, θυσίην ἔρδειν, τὸν κύκλον πάντα τὸν οὐρανὸν Δία καλέοντες. Apud Xenophontem lib. 8. *Paediae* Cyrus ἔθυε Διί τε πατρῴῳ καὶ ἡλίῳ καὶ τοῖς ἄλλοις Θεοῖς, ἐπὶ τῶν ἄκρων, ὡς Πέρσαι θύουσιν. Strabo lib. XV. de Perſis: Θύουσι δὲ ἐν ὑψηλῷ τόπῳ, τὸν οὐρανὸν ἡγούμενοι Δία. Vide ejus ſacrificii pyraeq. deſcriptionem apud Appianum in Mithridaticis pag. 215. quae ſacra Mithridates Jovi στρατίῳ in excelſo monte fecit, οἷόν τι (ait Appianus) καὶ οἱ Παραπαμισάδαι ἐπὶ τοῖς Περσῶν Βασιλεῦσι γένος θυσίας.

SPI-

SPICILEGIVM AD NVMERORVM LIBRVM.

AD NVM. IV. 37.

HIC eſt numerus populi Caath.] Hujus & ceterorum Pentateuchi librorum tituli non Moſem nec Hebraeos (qui ab Hebraica prima voce libros Moſis inſcribunt) ſed Helleniſtas auctores habent, quibus placuit ΑΡΙΘΜΟΙ, *Numeri* hîc nomen praeſcribere, quia id in principio agitur, unde & in totum librum nomen manavit. Vide dicta ad *Geneſis* initium.

Hic eſt numerus populi Caath, qui intrant tabernaculum foederis.] In Heb. *Hic eſt numerus cognationum Caath, quicumque tranſit* (העבר *haober*, *tranſiens*) *in tabernaculo teſtimonii*. Sed *tranſire* Hebraica dialecto idem quod *miniſtrare*, ut notavi ad Evangelia & ad Judith in etymo *Abrae*.

AD NVM. V. 2.

Pollutiſque eſt ſuper mortuo. Etiam apud Graecos funebria polluebant. Et ſunt exempla hujus moris non pauca ab aliis collecta. Scio Plutarchum in Numa tamquam rem ſingularem referre, quod ex Numae inſtituto funebria non polluerent. Quo fit ut in hiſtoria Rom. rariora ſint exempla pollutionis hujus (nec enim prorſus deſunt) at uſitatiſſima ſunt in Graecorum & barbarorum inſtitutis. Ex quo ſatis liquet, apud Graecos ceteraſque nationes ex ea contagione contrahi pollutionem.

AD NVM. V. 17.

Aſſumetque aquam ſanctam in vaſe fictili &c.] Iis quae de aqua zelotypiae ab eruditis viris dicta fuere, addi poteſt narratio de aqua probationis Brachmanum Zantalia, quam affert Porphyrius fragmento de Styge. Ad haec de aqua Palicorum in Sicilia videſis Ariſtot. de mirabilibus, Stephanum in Παλίκη, Diodor. Sicul. lib. XI. Quorum loca affert hîc Grotius integra. Videndus praeterea longus Macrobii locus in V. Sat. 19. a Grotio praetermiſſus: qui & alia non nulla praeteriit, quae hîc praeſtat attingere.

Ac primum ab impuratis criminibus celebris fuit purgandi ratio per candens ferrum, *μύδρον* Sophocli dictum: apud quem Antigone 270. iſta leguntur.

Ἡμεῖς δ' ἕτοιμοι καὶ μύδρους αἴρειν χεροῖν,
Καὶ πῦρ διέρπειν, καὶ θεοὺς ὁρκωμοτεῖν,
Τὸ μήτε δρᾶσαι, μήτε τῷ συνειδέναι
Τὸ πρᾶγμα βουλεύσαντι, μήτ' εἰργασμένῳ.
Parati tramus chalybis ad tactum ignei,
Prunaſque obambulare; jurati deos,
Nos nec patraſſe, nec nos ſcire quempiam

Ho-

Horumce fudſorem opificemve criminum.

Utramque tam ferri candentis, quam prunarum probationem a ſeptemtrionalibus populis antiquitus uſurpatam fuiſſe, argumento eſt, quod poſt eorum diffuſa ſequiore aevo per Europam examina, mos is altas ubique radices egit; de qua conſuetudine adi juris peritorum commentarios.

Poſtremo apud Achillem Tatium lib. 8. *amorum Clitoph. & Leucip.* mulier a crimine impudicitiae ut purget ſeſe, tabella (in qua jusjurandum deſcribitur) e collo ſuſpenſa in aquam crurum tenus deſcendit: impune, ſi innocens: ſin rea; aquis ſubito turgentibus obruitur, ne perjurii crimen palam a ſole conſpiciatur.

AD NVM. VI. 5.

Novacula non tranſibit per caput ejus (Nazaraei; nam his praeſcribuntur leges) *uſque ad completum diem, quo Domino conſecratur. Sanctus erit, creſcente caeſarie capitis ejus.*] Conſuetudo Deo cuipiam alendae comae hinc ſumpta haud paucas gentes pervaſit. Aegyptii ex antiquiſſimis temporibus id obſervarunt, tradente Diodoro Siculo lib. 1. apud quem Oſiris comam diis voviſſe dicitur. Arrianus in Indicis tradit Indos κόμᾶν τῷ Θεῷ, *deo nutrire caeſariem* a Baccho edoctos fuiſſe. Homeri locus Il. ψ. 140. & ſequentibus imprimis illuſtris eſt; ubi Achilles comam quam Sperchio fluvio alebat, poſtquam reditûs in patriam ſpem ſibi ademptam ſenſit, detonſam Patroclo defuncto dicavit. Et quidem diis fluvialibus plerumque caeſaries nutriebatur, notante Euſtathio ad indicatum Iliadis locum. Sed & Apollini vulgo dicari ſolebat, teſte Plutarcho in Theſeo, qui heros ſecundum Graecanicam conſuetudinem Delphos ad capillorum primitias ei deo dedicandas profectus ibid. narratur: is autem πλόκαμος θρεπτήριος, eodem auctore, dicebatur. Poſtremo juvenis Bacchus apud Eurip. in Bacchis Pentheo caeſariei tonſuram comminanti, eum impie facturum reſpondit, quippe, uti dicitur v. 494.

Ἱερὸς ὁ πλόκαμος, τῷ θεῷ δ' αὐτὸν τρέφω.

Sacer eſt capillus: numini illum nutrio.

AD NVM. IX. 10. 11.

Ver. 10. *Homo qui fuerit immundus ſuper anima, ſive in via procul . . . faciat Phaſe Domino* (Ver. 11.) *in menſe ſecundo, quartadecima die menſis ad veſperam.*] Agitur hîc de Paſchate ſecundo. Immundi aut peregre profecti cur non primo quoque tempore, ſed ἰσαρίθμῳ (*ejuſdem numeri*) die proximi menſis Paſcha celebrare jubentur? Ajo, permagni interfuiſſe ad accepti beneficii memoriam excolendam ut ad veſperam XIV. potiſſimum Lunae id fieret, ſive primi menſis, ſi nihil impedimento eſſet, ſive proxime inſequentis, quia in ea Lunae phaſi liberati ex Aegypto fuerant.

Ac mihi perſuadeo, tale aliquid apud Ethnicos fuiſſe obſervatum, ut ſiqua forte celebritas in certum aliquem unius menſis diem incurrens, eopte legitimo die peragi nequiviſſet, in diem ἰσάριθμον menſis alterius rejiceretur. De quinquennalibus decennalibuſque principum Romanorum plana res eſt: nam (ut pluribus allatis exemplis demonſtrat Pagius in *Diſſert. hypatica* par. 2. cap. 2. per totum quartum canonem) ea feſta ita die natali imperii celebranda erant, ut ſi eo die

celebrari

celebrati nequiviſſent, in alium ἰσάριθμον diem differrentur, ex. gr. ſi XV. Kal. Majas edi decennalia nequiviſſent, XV. Kal. menſis alterius celebrabantur.

Haud abſimile hoc eſt, quod ex quo Octavianus cum Antonio & Lepido triumviratum iniit V. Kal. Decembres, ac deinde idem Auguſtus V. Kal. Septembris aram Victoriae dedicavit; is dies V. Kal. tanto in honore eſt habitus, ut non alio die (cujuſcumque tamen menſis) deinceps imperatores aliquem Caeſarem in imperii conſortium adſciſcerent, aut tale aliud facerent, uti demonſtrat idem Pagius eâdem differt. par. 1. cap. 3. num. 7. & ſeq.

Praeter vero exempla allata a Pagio, adde haec quae ſequuntur. Sic enim cum viceſimus Diocletiani annus inierit die 17. menſis Septembris anni aerae Chriſtianae 303. ex Chronico Alexandrino; tamen vicennalia celebrata fuerunt Antiochiae die 17. Novembris ejuſdem anni, teſte Euſebio lib. de martyrib. Palaeſt. c. 2. Nec quidquam cauſae fuit, cur Valeſius (in laudatum Euſebii locum) aut Alexandrinum chronicon aut Euſebii locum mendi ſuſpectum haberet; cum non raro natalis imperii in proximi cujuſque menſis ἰσάριθμον diem differri ſoleret.

AD NVM. X. 2.

Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus convocare poſſis multitudinem, quando movenda ſunt caſtra.] Tubam inter Tyrrhenorum inventa vulgo omnes referunt. Auctor Livius aliique qua Graeci, qua Latini ſcriptores. Prae ceteris illuſtris eſt locus Sophoclis Ajace flagellif. verſ. 19. ubi Minervae claritudo vocis comparatur Tyrrhenicae tubae, quippe clariſſimi ſoni, ut ibi adnotat Scholiaſtes.

Χαλκος-όμυ κώδωνος ὡς Τυρσηνικῆς.
Aheneae ceu vox tubae Tyrrhenicae.

Verum ex hoc Numerorum loco ſatis conſtat tubae inventum Hebraeis acceptum referri oportere, a quibus Lydi, ab his vero Tyrrheni (ut alia pleraque in Tyrrhenicis a me notata) acceperint. Graeci certe heroicis temporibus tuba carebant; nec eorum quiſquam apud Homerum eo inſtrumento utens reperitur: ſed concha claſſicum perſonabatur; ut apud Theocritum in Διοσκούρους 75. ac Lycophronem v. 249. In quem quidem obſcuriſſimi poëtae locum etſi Scholiaſtes auctorem ſuum inſcitiae arguat eo nomine, quod concharum uſum induxerit, jam tubis inventis, quarum Homerus mentionem fecerit: potior eſt tamen Euſtathii ad Il. Ξ. animadverſio obſervantis Homerum ex tubis (quippe jam ſuo tempore uſurpatis) comparationes interdum inſtituiſſe, (veluti Il. Σ. 219.

Ὡς δ' ὅτε ἀριζήλη φωνη, ὅτε τ' ἴαχε σάλπιγξ . . . .
Ὡς τοτ' ἀριζήλη Φωνὴ γένετ' Αἰακίδαο.
Ceu tuba clariſonam vocem ciet aere canoro,
Sic tunc clariſono Aeacides procul increpat ore.)

numquam tamen, cum heroum antiquiorum pugnas deſcribit, tubae uſum induxiſſe; quippe heroibus illis longe recentioris.

AD NVM. X. 8. 9.

Ver. 8. *Filii Aaron ſacerdotes clangent tubis: eritque hoc legitimum ſempiternum in generationibus veſtris.* Ver. 9. *Si exieritis ad bellum... clangetis ululantibus tubis, & erit recordatio veſtri coram Domino Deo veſtro, ut eruamini de manibus inimicorum veſtrorum.*] Hinc, & ex expugnatione urbis Jerichuntinae ſacerdotibus clangentibus (Joſ. VI. 4. & ſeq.) poteſt, niſi fallor, intelligi, tubarum ſive buccinarum

rum clangorem, ſacerdotum miniſterio editum, habuiſſe quamdam *virtutem*, ut loqui mos eſt, ſacramentalem ad hoſtium expugnationem.

AD NVM. XI. 5.

Recordamur piſcium, quos comedebamus in Aegypto gratis.] *Gratis* inquiunt, quia piſcatio jure gentium omnibus permiſſa. Ex eo vilitas piſcium naſcebatur & ex vilitate factum, ut piſces in commune omnium inopum opſonium cederent. unde ὄψον & ὀψάριον apud antiquos idem valebat κατ' ἐξοχὴν quod piſcis; ſicut & דג *tſedah* Hebraeis tum piſcationem tum & opſonium ſignificabat. De quo vide dicta ad Matth. IV. 2. Ac porro non hinc tantum, ſed & ex 2. Eſdr. XIII. 16. & Tob. VI. 6. & ex aliis locis conſtat apud antiquos Hebraeos piſces plurimo in uſu fuiſſe. At heroibus apud Homerum nunquam piſces appoſitos, obſervavit Plato; etſi ad Helleſpontum, (ἰχθυόεντα *piſcoſum* ab eorum copia appellatum) caſtra haberent. Sic enim in III. de rep. Ἐπὶ στρατίας ἐν ταῖς τῶν ἡρώων ἑστιάσεσιν, ὅτε ἰχθύσιν αὐτοὺς ἑστιᾷ (καὶ ταῦτα ἐπὶ θαλάττῃ ἐν Ελλησπόντῳ ὄντας) ὅτε ἑφθοῖς κρέασιν, ἀλλὰ μόνον ὀπτοῖς. Eadem tradit Athenaeus lib. I. c. 8. qui tamen lib. IV. c. 14. ex Meleagro Gadarenſi ejus rei inſulſam hanc rationem affert, idcirco Homerum heroas ſuos piſcibus abſtinuiſſe, quod ipſe Syrus eſſet: nam Syros non uſos piſcibus & ibid. Athenaeus refert & lib. VIII. c. 8. Inepta ratio: nec enim Homerus Syrus; & utrum Syri piſcibus abſtinuerint, eſt quod dubitem, cum & Sidon inde nomen inveniſſe dicatur, & Tyrii 2. Eſdr. XIII. 16. ex piſcium mercatura victitarint. Hos autem potiſſimum libuit nominare, quia Atergatis illa (a qua piſcium abſtinentiam manaſſe idem Athenaeus refert lib. VIII. c. 8.) omnino videtur Aſtarte Sidoniorum dea, etiam Caſaubono judice in animadverſionibus. Verum his praetermiſſis, idem Athenaeus lib. I. c. 10. tantum abeſſe oſtendit, ut heroes piſcibus ſeſe abſtinuerint, ut Homero ipſo teſte piſcium eſum ipſe confirmet. Καὶ ἰχθύσι δὲ Ὅμηρος ποιῶ χρωμένους τοὺς τότε καὶ ὄρνισι· κατὰ γῶν τὴν Θρηκίαν οἱ Ὀδυσσέως ἑταῖροι θηρεύουσιν (Odyſſ. M. 330.

Ἰχθῦς ὄρνιθάς τε, φίλας θ' ὅτι χεῖρας ἵκοιτο
Γναμπτοῖς ἀγκίστροισιν.
Venabantur aves piſcesq. & quidquid in hamos
Incideret curvos.)

εἰκάζει δὲ καὶ τοὺς ὑπὸ Σκύλλης ἁρπαζομένους Ὀδυσσέως ἑταίρους ἰχθύσι προμήκεσι ῥάβδῳ ἁλισκομένοις καὶ θύραζε ῥιπτομένοις. Tum & Oſtreorum uſum ex eodem Homero probat. Fruſtra ergo Plutarchus in ſympoſiacis priſcos mortalium non niſi extrema fame coactos ad piſcandum ſe contuliſſe cenſet; a piſcibus vero idcirco priſcos abſtinuiſſe, quod ad gulae voluptatem pertinerent. Equidem cenſeo adeo primos mortalium non abſtinuiſſe piſcibus, ut is cibus vulgaris maxime fuerit: unde factum, ut ὄψον (i. e. *opſonium*) Graecis piſcem ſignificet, ὀψάριον piſciculum, εὔοψος θάλασσα piſcoſum mare: adeo piſcium vulgaris uſus, ut hi *opſonii* nomen vulgo geſſerint. Hîc quoque non temere eſt, quod a Moſe *gratis* comediſſe piſces dicuntur: adeo vulgares fuere.

Ibidem: *In mentem nobis veniunt . . . porrique & caepe & allia.*] Neſtori Pyliorum regi Hecamede ante alia caepe appoſuit Il. XI. 629. quod pulchre poëta vocat, Κρόμυον πότῳ ὄψον, *Invitans ad pocula caepe.*

Quid

Quid ergo mirum ſi Iſraëlitas caeparum cupido inceſſerit? nempe exſpectantes, ut ab his

Ingens accedat ſtomacho fultura ruenti.

AD NVM. XI. 19. 20.

Verſ. 19. *Non uno die, nec duobus vel quinque, aut decem, nec viginti quidem,* Ver. 30. *Sed uſque ad menſem dierum.*] Iſtud *Menſis dierum* uſurpatur etiam Gen. XXIX. 14. ubi Laban habitaſſe cum Jacobo dicitur חדש ימים *chodeſch janim* h. e. *menſe dierum*. Apparet vero hinc, apud Hebraeos non modo ſeptimanam, ſed & menſem non tantum ex diebus, ſed etiam ex aliis temporum ſpatiis conflari conſueviſſe. Ut ecce apud Hebraeos *hebdomadae* non tantum dierum ſed & annorum (ut in celebri Danielis vaticinio) ſupputabantur. Nec ſecus hîc *menſis dierum* dicitur, ut a menſe annorum (qui fortaſſis interdum in uſu fuit) diſtingueretur. Etiam 2. Sam. XIV. 28. *Annus dierum* uſurpatur.

AD NVM. XI. 20.

Donec exeat per nares veſtras & vertatur in nauſeam.] Quod uſu ſolet evenire iis, qui plenis buccis ſeſe cibis ingurgitant, nimirum ut manſi pars per narium foramen erumpat. Sed tamen alio nos ducit quod ſequitur: *Et vertatur in nauſeam*. Id enim expreſſum eſt ex LXX. interpretantibus, καὶ ἔσται ὑμῖν εἰς χολέραν. Atque id morbi genus eſt, quod Graece χολέρα dicitur (de quo vide Celſum, Aeginetam, Alex. Trallianum, alios) at non inſcite Latine *nauſeam* appellaveris. Ac videtur eadem vis fuiſſe vocabuli צרא *tſara* quod in Hebraeo hîc reſpondet; nam & Symmachus εἰς ἀπεψίαν in ſua verſione poſuit, cauſam pro effectu videlicet, quia Aegineta & Aëtius χολέραν evenire ajunt διὰ τὴν προσεχῆ τῶν σιτίων ἀπεψίαν. Quae cum ita ſint; etiam id quod praeceſſit (*donec exeat per nares veſtras*) ad vomitum eſt referendum, quo ciente cibus non per os tantum ſed etiam per nares rejicitur. Nec alia quaerenda eſt plaga, de qua infra v. 33. quam ipſiſſima χολέρα, quam paſſionem acutiſſimi morbi genus eſſe & θανάσιμον medici docent. Juſtiſſimum ſane fuit, ut qui conqueſti eſſent καθ' ὑπερβολὴν ſic (*Nauſeat anima noſtra ſuper cibo iſto leviſſimo*) in veram mortalemque nauſeam incurrerent, ex nimio cibi uſu, quem perdite concupierant.

AD NVM. XI. 31.

Ventus autem egrediens a Domino, arreptans trans mare coturnices detulit & demiſit in caſtra . . .] Poterat hoc narrari ſimpliciter, ventum repente violentiſſimum trans mare ſuſcitatum cauſam fuiſſe incurſionis quantae maximae coturnicum. At Moſes praeparaturus lectorem ad rei maximae narrationem, Dei in vento ſuſcitando mentionem, in rebus aliis ſupervacuam, hîc ad magnificandum neceſſariam duxit. *Ventus*, inquit, *egrediens a Domino*; ſicuti & tonitrua (de quo dixi toties alibi) *Vox Dei* in ſacris libris vocantur, & maxima quaeque non cauſis fecundis, ſed aperte Deo in Scripturis tribuuntur. Ergo neceſſe arbitratus eſt Scriptor Divinus, ob tot innumeras populi murmurationes, benefacta omnia in partem deteriorem interpretantis, diſerte ita praefari, quaſi Divinam punitionem, non quaſi benefactum in coturnicum hiſtoria narraturus. At vel illa *ſepulcrorum concupiſcentiae* (mox v. 34.) nomenclatio ſatis indicat, quanti ſteterit Iſraëlitis expleſſe coturnicibus ventres. Atque hîc mirifica ſane eſt ſeniorum translatio, qui non prodigioſa Coturnicum examina praedicant, ſed miſſam ὀρτυγομήτραν (*Ortygometram*) a mari in Iſraëlitas narrant. Verum eſt dictu difficile quid ſenes *Ortygo-*

metram intelle xerint. Nam ſiquid ὀρτυγομήτρα ab ὄρτυγι diſſidet, non alio quam corporis mole diſſidet, quia turturi ex Athenaeo aequalis ortygometra fuit, at coturnix haud paullo minor. Hinc Heſychio *Ortygometra* definitur, Ὄρτυξ ὑπερμεγέθης, *praemagna coturnix*. Verum de his praeſtat Bochartum adire, cujus diligentiae vel minimum adjicere, experientiâ reperi difficillimum.

Ver. 32. *Et ſiccaverunt eas per gyrum caſtrorum*.] Haud aliter ac nunc in Europa piſces ante ſaliti, poſtea vento exſiccantur. De avibus exemplum hoc ab illa uſque antiquitate Moſaica petitum ſuppetit: quod non eſt ad imitandum difficile.

AD NVM. XI. 33.

Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat hujuſcemodi cibus: & ecce furor Domini concitatus in populum percuſſit eum plaga magna nimis.] Jam ſupra ad v. 20. notavi nihil probabilius dici poſſe, quam, qui falſam nauſeam cauſati erant, eos vera nauſeâ (χολεριῶντας) correptos ob ea ipſa quae concupierant, occubuiſſe. Mire vulgo caecutiunt, qui aliam praeter choleram hîc plagam θηλατον quaerunt. Quod autem praecedit: *Adhuc carnes erant in dentibus eorum, &c.* non id ſibi vult, quod Calmetus aliique putarunt, guſtato vix cibo, fuiſſe punitos. Satis hoc ex v. 19. & 20. hujus capitis refellitur, quibus docetur per ſolidum ſaltem menſem eos coturnicibus uſos fuiſſe. Refellitur & ex eo quod ſequitur טֶרֶם יִכָּרֵת *terem iccareth*, quod ſcitiſſime Noſter vertit *Nec defecerat hujuſcemodi cibus*. verbo tenus LXX. πρὶν ἢ ἐκλείπειν. Vult ergo Moſes: Dum adhuc ſe coturnicibus ingurgitarent, nec dum illae poſt menſtruum jam ejus cibi uſum conſumptae eſſent; percuſſi a Deo ſunt ea, quam dixi, plaga. Nec ſane, niſi προσοχὴς ἀπειρία, ut ad v. 20. notavi, χολέραν gignit. Nec porro neceſſe eſt miraculum hîc agnoſcere. Haud raro Scriptura uni Deo tribuit, quae nos ſuapte ſponte h. e. ex cauſis naturalibus oriri credimus. Ceterum ſatis aperte Deus ſupra v. 20. naturalem eum morbum fuiſſe ſignificavit, cum ait καὶ ἔσται ὑμῖν εἰς χολέραν, h. e. χολέραν vobis pariet. Theodoretus producta Symmachi verſione εἰς ἀπειρίαν, ſic locum ponit: ἡ γὰρ ἀδηφαγία τὴν νόσον ἐπήγαγε, καὶ πολλοῖς τὸν θάνατον ἡ θηλατος πληγή. Id in eo credo, τερατῶδες fuit, quod nemo fortaſſe ex noxiis ab eo morbo immunis fuerit, tum vero nemo ex eo morbo, quo affecti, forſitan convaluerit.

AD NVM. XII. 1.

Propter uxorem ejus Aethiopiſſam.] Heb. כּוּשִׁית *chuſcith*. Chuſcitidem regionem (quae pars Madianitidis eſt) Graeci interpretes *Aethiopiam* appellarunt, nec inſcite, cum duae apud veteres Aethiopiae fuerint, quas rubri maris ſinus dirimebat. At Judaei Helleniſtae, falſi Aethiopiae notioris nomine (Africanae ſcil.) Sepphorae natale ſolum in Libya poſuerunt. E quorum numero Ezechiel tragoedus (qui ſuppar aetati Seniorum putatur) in Ἐξαγωγῇ Sepphoram in hunc modum loquentem facit:

Λιβύη μὲν ἡ γῆ πᾶσα κλήζεται, ξένε.
Οἰκοῦσι δ' αυτὴν φῦλα παντοίων γενῶν,
Αἰθίοπες ἄνδρες μέλανες.
Libya quidem iſte totus, hoſpes, dicitur

Tractus:

Tractus : ſed omnigenae ibi gentes incolunt,
Nigro colore Aethiopes.

Ergo Sepphoram ex Aethiopia nigra h. e. Libyca ortam cum multitudine credidit.

AD NVM. XIV. 33.

Filii veſtri erunt vagi in deſerto annis quadraginta.] Scite admodum Hebraicum רעים *roim* (quod proprie *paſtores* ſignificat, apud LXX. νεμόμενοι i. e. *paſcentes aut pabulantes*) Noſter interpretatur *vagi*, nempe more paſtorum palantes. Nec dubito quin ex erratica paſtorum vita factum ſit ut ea conſuetudo apud Hebraeos fuerit, ut quos ſignificare *vagos* vellent, eos *paſtores* dicerent. Aegyptii non aliter loquebantur, apud quos *reges paſtores*, qui in regum Aegyptiorum dynaſtiis ſunt maxime celebres, nihil aliud, (niſi fallor) fuerunt, quam *reges vagi*, qui nuſquam regiam certam haberent, ſed palantes ſub conopeis degerent.

AD NVM. XVI. 19.

Et apparuit cunctis gloria Domini.] H. e. veritatis ſignum ſenſibile, quo Deus Aaroni arrogare ſe ſacerdotium, non vero Core, Dathan, Abiron, ceteriſque defectoribus, ſignificaret: id quod accidit, miſſo divinitus igne in turibulum Aaronicum, extinctis interim turibulis multitudinis rebellantis. Haud raro in Scripturis per *Gloriam Dei* confeſſio veritatis notatur. Sic illud *Da gloriam Deo* in juridicis interrogationibus eſt adhortatio ad confitendum verum.

AD NVM. XVIII. 12.

Omnem medullam olei, & vini ac frumenti, quidquid offerunt primitiarum Domino, tibi dedi.] Aaronem hîc & in ſequentibus alloquitur. Hebraea ad verbum ſic habent: *Omnem adipem* (חלב *hheleb*) *olei, & omnem adipem muſti, & frumenti, primitiva eorum, quae dabunt Domino, tibi dedi.* Quod Adipem olei, vini &c. vocarat, id deinde per appoſitionem *Reſcbit initium* ſive *primitiva* appellat; ut non ſit mirandum, τοὺς LXX. Hebraicum חלב *hheleb* ἀπαρχὴν i. e. *primitias* vertiſſe. Cur autem primitias olei vinique *adipem* vocat? An quod primitiae ex eo quod eſt pinguiſſimum in oleo i. e. ex eo quod primum ſponte ſua ſine ulla expreſſione fluebat (hodie *oleum virginem* appellant) offerebantur? Idem de vino dici poteſt. Triticum autem quod ſponte ſua ex folliculo excluſum decidebat, id maturius ac perfectius cenſebatur. Par ergo fuit, ut primitiae darentur ex eo quod omnium primum colligebatur, (quo ſpectat appoſitio illa ראשיתם *Reſchitham*, *primitiva eorum*) idem vero & ſelectiſſimum erat.

AD NVM. XIX. 2.

Praecipe filiis Iſraël, ut adducant ad te vaccam rufam.] In inſcriptione Romana apud Grut. LXI. 3. color idem in vaccino genere quaeritur, ſicuti Moſes hîc requiſivit, nim. *vaccam rufam*. ET . VT . PRAETOR . . . LITATVRVM . SE . SCIAT . . . VOLCANALIBVS . X. KAL. SEPT. OMNIBVS . ANNIS . VITVLO . ROBIO (1) . ET . VERRE h. e. *vitulo rufo & verre.*

(1) Voſſius in Etym. in *Ruber* ex hac inſcriptione affert VITVLO ROBEO, non *robio.*

Vaccam (pergit hîc Moſes) *rufam, aetatis integrae, in qua nulla ſit macula, nec portaverit jugum.*] H. e. vaccam *indomitam*, qualem & Diomedes Palladi vovit Il. K. 292.

Σοὶ δ' αὖ ἐγὼ ῥέξω βοῦν ἦνιν, εὐρυμέτωπον,
ΑΔΜΗ'ΤΗΝ, ἣν οὔπω ὑπὸ ζυγὸν ἤγαγεν ἀνήρ.
Τήν τοι ἐγὼ ῥέξω, χρυσὸν κέρασιν περιχεύας.
Anniculam tibi Diva bovem, capita alta gerentem,
Mactabo, INDOMITAM, nemo quam ſub juga duxit.
Hac tibi ego faciam, non parſo cornibus auro.

Sic etiam Neſtor iiſdem verſibus repetitis Od. Γ. 382. Cur indomitam? utrum diis averſantibus victimam, quae aliquando humanis uſibus inſerviiſſet? an quod bovi jam aratori parcendum duceretur? id quod de Athenienſibus tradit Aelianus V. var. hiſt. XIV. deque Phrygibus idem in XII. de Animal. 14. Vide & Varronem in II. de R. R. & Plinium qui VIII. 45. de quodam ob crimen iſtud ab Romanis exſilii poena multato narrat. Aratus aetati aeneae id vitio vertit, quod

- - - πρῶτοι δὲ βοῶν ἐπάσαντ' ἀροτήρων.
Aenea prima bove eſt aetas depaſta jugali.

Ad quem locum Theon Scholiaſtes tradit, Ulyſſis ſocios idcirco perditos, quod boves aratores mactaſſent (ἐπεὶ οἱ ἀροτῆρες βοὲς τῇ ὁρᾷ ἡμᾶς τὸν ἥλιον αἴτιοί εἰσι, τροφῆς πορίστικοὶ ὄντες: (verba pulcherrima) id adeo ad Troica uſque tempora nefas habitum idem narrat, ac principio ab Athenienſibus, mox a ceteris Graecorum pravo id exemplo fuiſſe tentatum.

AD NVM. XIX. 11.

Qui tetigerit cadaver hominis, & propter hoc ſeptem diebus fuerit immundus &c.] Etiam apud Romanos mortibus funeſtabantur familiae. Et apud Graecos multa talia. Cum Delus inſula Apollini conſecrata fuiſſet; nefas erat quemquam in ea ſepeliri, aut omnino mori, ſicuti nec naſci; nam aeque funeribus & puerperiis ſancta polluebantur: Itaque morituri aut pariturae in vicinam inſulam Rheniam traducebantur, teſte Strabone lib. X.

AD NVM. XIX. 17.

Et mittent aquas vivas ſuper eos in vas.] *Aquae vivae* dicebantur non aliae quam fontium fluminumque. Etiam ethnici in luſtrationibus ſuis non aquam quamlibet, ſed de fontibus fluminibuſque hauſtam (quae ſunt aquae vivae) uſurpabant. Vide Virg. II. Aen. 719. IV. 635. VI. 635.

AD NVM. XIX. 18.

In quibuſcumque homo mundus tinxerit byſſopum, aſperget ex eo omne tentorium.] *Tingere*, & quae verba tam in Hebraeo quam in LXX. verbo *Tingo* reſpondent, non illinere, ſed mergere ſignificant. Pro hyſſopo gentiles lauri ramum prae ceteris uſurpabant, teſte Plinio XV. 30. quo ſacerdotes in templum introeuntes luſtrabant. In nummis & lauri ramuſculus ſupra menſam cum vaſis pontificalibus, & alibi aliud aſpergilli genus comparet. Graeci quidquid id fuit, quo aſpergebant, θάλλον ferme nuncupabant: Θάλλου tamen nomine lauri ramulus plerumque intelligebatur,

robio. Verum Grutero potius credendum, qui ex Jac. Mazochio (qui Romae exſcribendis marmoribus aetatem ſuam contrivit) affert VITVLO ROBIO voc. tertia. Id marmor aliquanto Nerone, cujus meminit, poſterius eſt.

ligebatur, utpote prae aliis uſitatus. Sozomenus VI. 6. de Valentiniano Julianum in templum ſequente: *Cumque templi limen tranſgreſſurus eſſet*, θάλλως τινὰς διαβρόχως κατέχων ὁ ἱερεὺς νόμῳ Ελληνικῷ περιέρραινε τοὺς εἰσιόντας. Theocritus.

Θάλλῳ ἐπιρραίνειν ἐτημένον ἄβλαβες ὕδωρ . . . .

Ceterum aquas iſtas luſtrationis, quae hîc deſcribuntur, reſpexit Porphyrius in περὶ ἀποχῆς 12. ubi ait Judaeos participes effectos καθαρωτέρων τῶν πρὸς ἁγνίαν ὑδάτων.

AD NVM. XX. 17.

Sed gradiemur via publica.] In Heb. דרך המלך נלך *derech hammelech nelech*, *Via regis incedemus*: quod ſeniores verterunt ὁδῷ βασιλικῇ, tam hîc quam cap. ſeq. v. 21. quippe ſenioribus probe innoteſcebat, aevo ſuo hoc eſt ſub Ptolemaeis vias publicas ὁδὸς βασιλικὰς fuiſſe appellatas. Euclides geometra interrogatus a Ptolemaeo Lagi, numqua brevior faciliorque via ad geometriae cognitionem eſſet, reſpondit, μὴ εἶναι βασιλικὴν ἄτραπον πρὸς γεωμετρίαν. *Viam regiam ad geometriam patere nullam.* Hieronymus hîc maluit *publicam* Latine dicere. Ulpianus l. 2. D. nequis in loc. vel itin. publ. *Publicas vias dicimus, quas Graeci* βασιλικὰς, *noſtri praetorias, alii conſulares vias appellant:* aut militares ut omnes ſciunt. At idem Hier. infra cap. XXI. 22. retinuit *regiae viae* vocabulum.

AD NVM. XXII. 6.

Veni igitur & maledic populo huic, quia fortior me eſt; ſiquo modo poſſim percutere & ejicere eum de terra mea: novi enim, quod benedictus ſit, cui benedixeris, & maledictus, in quem maledicta congeſſeris.] Perſuaſum olim gentibus ab antiquo fuit, imprecationes ſive bonas, ſive malas, in utramque partem valere plurimum. Hinc & pretio conducebantur qui hoſtem diris devoverent, ut hîc vides. Ad haec, etiam in populo Dei, Joſuae imprecationes in eum, quicumque Jericuntem reſtituiſſet Joſ. VI. 26. memorantur: quae poſtea in Hiele impletae dicuntur in III. Reg. XVI. 34. At nullae antiquiores dirae quam illae Noachi in Chanaanem nepotem. Etiam Patriarcha Jacobus Simeoni & Levi imprecatus Gen. IX. legitur. Mitto poſteriores hiſtorias populi Dei. At apud gentiles nihil uſitatius. Praeter Balaamum hunc ex hiſtoria ſacra notum, gentilium *Thyeſteas preces* quis ignorat, ac tot alia a profanis exempla celebrata? Tamen inter ſexcenta imprecandi artem profitentium exempla memorabilem in omne ſecuturum aevum ſe praebuit Theano illa, Menonis filia, Athenienſis e pago Agraulenſi, quam Plutarchus in Alcibiade narrat, juſſam Diris devovere Alcibiadem, reſpondiſſe, ſe εὐχῶν ἢ καταρῶν ἱέρειαν γεγονέναι, *Votorum, non dirarum ſe antiſtitam profiteri.* Ac manſit deinde apud Chaldaeos & Orientis populos, uti compeſcerent hoſtes carminibus, maxime ne fines tranſirent. Fecit hoc ipſe etiam M. Antoninus ad Marcomannorum ἔφοδον prohibendam. Auctor Spartianus Heliogabalo: *Dictum eſt, a quibuſdam per Chaldaeos & magos Antoninum Marcum id egiſſe, ut Marcomanni Populo Rom. devoti ſemper eſſent, atque amici, idque factis carminibus & conſecratione* (*conſecrationem* intelligit Salmaſius τετελεσμένας ſtatuas, aut certe aliud taliſmanorum genus) *cum quaereret* (Heliogabalus) *quae illa eſſent aut ubi eſſent, ſuppreſſum*

preſſum eſt. Conſtabat enim illum (Heliogabalum) *ob hoc conſecrationem quaerere, ut eam diſſiparet, ſpe belli concitandi.* Ex quo vides fuiſſe etiam artem diſſipandarum aut recantandarum exſecrationum. Tale quippiam & Aurelianus adverſus eoſdem Marcomannos poſtea fecit, ut in ejus vita Vopiſcus cap. 18. *Ut in certis locis ſacrificia fierent, quae Barbari tranſire non poſſent. Facta denique ſunt ea, quae praecepta fuerant in diverſo caeremoniarum genere: atque ita Barbari reſtiterunt.*

AD NVM. XXII. 20.

Venit ergo Deus ad Balaam nocte & ait ei: Si vocare te venerunt homines iſti, ſurge & vade cum eis: ita dumtaxat ut quod tibi praecepero faciaſ.] Hiſtoria Balaamica (quae hoc & duobus ſequentibus cap. abſolvitur) tota difficultatibus ſcatet. Ut ecce hîc in primis nodus latet ſuus. Hîc enim permittit Balaamo Deus, ut hominibus iſtis adjungat ſe comitem. At cur mox ſtatim v. 22. propter prophetae profectionem dicitur *Iratus Deus*? Cur & ea quae deinde narrantur, facta? Plura antiqui novique interpretes ad hunc locum afferunt, quibus immorari nolo. Hoc tantum ajo, Deum auctorem Balaamo fuiſſe, uti cum hominibus illis vaderet, ſed ita, modo illud ſervaret: *Ut*, inquit, *quod tibi praecepero, faciaſ.* Atqui illud perutile in omnes partes fuit, ut ex Prophetae miſſu Deo ſubnaſceretur Angeli mittendi occaſio. Quaenam occaſio? nempe uti *Dignus vindice nodus* (quos Horatius in Arte memorat) Caeleſtis alicujus adventu ſolveretur. Sane vero tum haec initia, tum & quae poſtea ſequuntur, ex Moſaicae narrationis, ſimulque temporum illorum ſimplicitate miram ſibi fidem conciliant.

AD NVM. XXIII. 7.

Aſſumptaque parabola ſua, dixit: De Aram adduxit me Balac rex Moabitarum &c.] Hoc & ſeq. cap. ſaepe iſtud *Aſſumpta parabola*, maxime in ſententiarum principiis occurrit. Nec ſecus in libris Scripturae poëticis, ut in Jobo, Proverbiis, alibi. Ac mihi dubium non eſt משל, *maſhal* (parabola) poëticae compoſitionis, maxime ſpiritu divino expreſſae, fuiſſe vocabulum: cujusmodi eſt in Pſalmis illud *Aperiam in parabolis os meum*. Et *aſſumere parabolam* (quod Hebraei dicunt, נשא משל *naſa maſhal*) eſt ſpiritu exſtimulante ſententias fundere. Et quidem vox *maſhal* valebat maxime in genere ſententioſo. Balaamum hunc ſpiritu ſuperiore actum, protuliſſe ſuas benedictiones, *aut maledicta*, vel ex eo intelligitur, quod ad maledicendum Iſraëlitis miſſus, iis benedicebat; nec enim niſi quo numen urgeret, conari poterat. Atque habes hoc toto capite, ac maxime in eo quod ſequitur, pulcherrima carminum (h. e. vaticiniorum poëticâ venâ fuſorum) ſpecimina: ex quibus in vetere Hebraica poëſi agi poëtam potius quam agere perſpicis; & hunc in primis prophetam (qui ad maledicendum veniſſet) quotics id moliretur, toties ad benedicendum oeſtro divino abreptum. Sed & illud praeterea (quod in Pſalmis, in Proverbiis, ceteriſque poëticis Scripturae Sanctae libris perpetuum eſt) in hoc & capite ſeq. ſancte obſervatur, ut oracula omnia poëtico ſtylo ceteriſque poëticis rationibus Hebraici ſermonis procedant. Una ex his poëticis obſervationibus illa eſt, ut (quia per diſticha hymni veterum Hebraeorum decurrunt) in unoquoque diſticho eadem ſententia binis verſibus inculcetur, plerumque idem vi majore exprimentibus, alias ſenſis alternantibus in contrarium; veluti ubi praemia piis, ibi ſtatim ſupplicia ex legibus oſtentantur.

Verum

Verum fruſtra haec ſummis digitis tractare ſatago, quae juveni mihi diuturnae ac laborioſae exercitationis materia fuere: atque utinam fructuoſae. Nec enim mihi illi farragini nunc formam qualemcumque tribuere per ſenectam perque nervos defectos licet.

AD NVM. XXIV. 21.

Si poſueris in petra nidum tuum.] H. e. quamvis ſupra inacceſſas rupes tanquam in locis munitiſſimis urbes tibi, veluti nidos, aedificaveris. Alluſum notant viri docti ad *Cin* Cinaeorum patrem: quod dempta media littera nidum ſignificat. Sed abſque hac alluſione, pulcherrima eſt translatio, nam urbes in excelſo poſitae nidos avium procul aſpicientibus referunt. Sic Horatius Acherontiam monti impoſitam cum nido comparavit III. 4.

Quicunque celſae nidum Acherontiae,
Saltuſque Bantinos, & arvum
Pingue tenent humilis Ferenti.

Hinc intelligimus Cinaeos montanis pleroſque locis inſedisſe, & quidem in Arabia Petrea. Similis translatio Hab. II. 9. *Ut ſit in excelſo nidus ejus.* Et Abd. XI. 4. *ſi inter ſidera poſueris nidum tuum.* Pulcre etiam Gen. VI. 14. Arcae manſiunculae Hebraice קנים *Kinnim* h. e. *nidi* appellantur. Nec illud diſſimile, quod Martialis loculamenta quibus merces in tabernis digeruntur, nidos vocavit. *De prime dabit alterove nido.* Eccleſiaſtici XXXVI. extremo capite planus comparatur ἀνθρώπῳ μὴ ἔχοντι νοσσίαν, καὶ καταλύοντι ἐν ἡμέρᾳ ὀψίᾳ. *ei qui non habet nidum & deflectens, ubicunque obſcuraverit*, ut Noſter interpretatur.

AD NVM. XXIV. 23. 24.

Ver. 23. *Heu quis victurus eſt, quando iſta faciet Deus?* Ver. 24. *Venient in trieribus de Italia, ſuperabunt Aſſyrios, vaſtabuntque Hebraeos, & ad extremum etiam ipſi peribunt.*] In hoc toto vaticinio ſuperiora omnia ab initio ſunt ſatis obſcura: ſed bono lectorum finis hic cantici, quem adſcripſi mire perſpicuus eſt; ex quo oſtenditur, hoc carmen de Meſſia magna ex parte fuſum. Quod *Carmen* vocare libuit, tum quia vera poëſis eſt, ac tota verſibus illius aevi concepta, qualem in Moſaicis, Davidicis, ac Salomonicis canticis obſervamus; tum etiam quia vaticinatio eſt de Meſſia ſatis obſcura: niſi quod hi duo, quos adſcripſi initio, verſiculi, ſatis perſpicue de Meſſia loquuntur, ac veluti face praelata toti cantico poſſunt lumen affundere.

Jam vero quinam iſti ſint כתים *Cettim*, de quibus hîc Propheta loquitur, copioſe demonſtravi in Sylvis Phalegicis, quas Spicilegio in Geneſim ſubjeci, nempe in Auctario de *Cettim* Italicis a pag. 253. ad 257. Piget ea hîc recoquere. Verum ſumma ſaltem rerum capita paucis refricabo. Duplex veteris orbis regio de vetuſtiſſimo *Cettim* incolatu contendit, quarum una eſt Myſia circa Caicum, quae aliter Teuthrania dicta, altera eſt vetus Latium. Vtraque regio nomina plura locorum habet invicem conſentientia, ex quibus *Cetteos* ſive ex Myſia in Latium, ſive contra hinc in Myſiam ſe transfudiſſe oſtendi poſſit: & quidem ſedem primitivam fuiſſe Myſiam, unde poſtea in Italiam ſeſe diffuderint, ac non niſi ante Moſaica tempora vetuſtiſſimam hanc migrationem contigiſſe ibid. demonſtratum fuit. Cum vero *Latium*, pro termino vetuſtiſſimae Citteorum

teorum migrationis aſſigno, cave hoc de Latio Romano intelligas, verum *Italiam* primitivam illam, quam & *Latium* priſco aevo appellabant. Ad ſummam Cherſoneſum illam intelligo, quae hinc Sinu Lametico (*Golfo di S. Eufemia*) illinc Scylletico (*Golfo di Squillace*) continebatur. Haec prima ſedes Cetteorum ex Myſia ſeu Teuthrania profectorum fuit. Atque iidem poſtea eo uſque perrepta-runt, ut *Italiae* nomen, principio in ultimo terrae angulo concluſum, longe lateque propagarent, *ſuperarent Aſſyrios*, *vaſtarent Hebraeos*, *& ad extremum etiam ipſi perirent* : quod ultimum per incurſiones barbarorum (qui nomen Romanum deleverunt) accidit. Haec, uti dixi, fuſe ad Geneſim loco cit. explanavi, imo eorum pleraque jam antea in comm. ad Heracleae Tab. enarraveram.

AD NVM. XXXIII. 1.

Hae ſunt manſiones filiorum Iſraël.] Non inuſitatum hoc apud antiquos, ut viam, quam quis tenuerit, per manſiones deſcriptam poſteris traderent; rati permagno id poſteris adjumento fore. Pauſanias Phocicis cap. 31. Φρύγες δὲ καὶ τὴν ὁδὸν ἔτι ἀποφαίνουσι, δι' ἧς τὴν στρατείαν ἦγαγε τὰ ἐπίτομα ἐκλεγόμενος τῆς χάρας· τέτμηται δὲ διὰ τῶν μονῶν ἡ ὁδός. *Monſtrant etiamnum Phryges, quo itinere exercitum duxerit* (Memnon Aethiopum rex, qui copias auxiliares Troianis tulit) *dum locorum compendia conſectaretur. Interſecta vero eſt per manſiones via.* Venerat autem ex Aethiopia Homero teſte Memnon h. e. ex *Cus* atque ex his ipſis locis, qua Iſraëlitae palantes diſcurrerunt; *Cus* autem cum inaudita Graecis eſſet, prono errore in Suſa tranſmutarunt. Hinc enim, opinor, fluxit illa Pauſaniae Phocicis cap. 31. (ſive auctorum a quibus hauſit Pauſanias) hallucinatio reprehendentis Homerum quod ex Aethiopia arceſſiverit Memnonem, qui revera ex Suſis Perſicis venerit. Ἀφίκετο μέντοι ἐς Ἴλιον οὐκ ἀπ' Αἰθιοπίας, ἀλλ' ἐκ Σουσῶν τῶν Περσικῶν. Incredibile non immerito aevo Pauſaniae videbatur potuiſſe Memnonem tanta emetiri terrarum ſpatia, ut ex interiore Aethiopia, quae Aegypto ad meridiem objacet, veniret in Phrygiam; nempe quod ignorarent illam alteram Aethiopiam ab Homero memoratam, quam Arabes ſcenitae tenebant, quae & *Cus* dicebatur; quam illi in *Suſa* verterunt.

Sed redeo ad manſiones: quas Graeci frequentius σταθμὺς, quam μονὰς appellant. Laudatur ab Athenaeo lib. X. c. 12. Βαίτων ὁ Ἀλεξάνδρου βηματίστης ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Σταθμοὶ τῆς Ἀλεξάνδρου πορείας, h. e. *Baeton Alexandri metator itinerum in opere quod inſcribitur, Manſiones expeditionum Alexandri*. Baetoni ibidem adiungitur Amyntas ἐν τοῖς Σταθμοῖς: ad haec alibi idem Amyntas ἐν σταθμοῖς Περσικοῖς: alibi rurſus Amyntas ἐν τῷ πρώτῳ τῶν τῆς Ἀσίας σταθμῶν. Meminit ſaepe σταθμῶν Herodotus, quos modo cum καταλύσεσι, modo cum καταγωγαῖς (ſynonymis ferme vocabulis) jungit. Euſtathius σταθμὺς eſſe dicit τὰς ὡρισμένας . . ἐνδίους ἀναπαύλας, easque alio nomine ἀλλαγὰς appellari. Latinis quoque itinera manſionibus diſtinguuntur; quae definiuntur plurimum vicenis millibus paſſuum: itaque in Antonini itineribus ſaepe, ubi non occurrunt civitates, manſionum notantur nomina. Sunt & apud Plinium manſiones Camelorum, quae aquationibus diſtinguebantur: quippe in aridis locis putei ex intervallo erant, ad quos cameli aquabantur.

AD

AD NVM. XXXV. 11.

Decernite quae urbes esse debeant in praesidia fugitivorum, qui nolentes sanguinem fuderint.] De urbibus refugii pro homicidio involuntario rursus agitur Deut. XIX. Jam tum ab heroicis temporibus solum vertisse homicidas, multis ex Homero exemplis doceri potest: ut Il. XV. 335.

. . . . . ἀυτὰρ ἔναιεν (Medon scil.)
Ἐν Φυλάκῃ γαίης ἀπὸ πατρίδος, ἄνδρα κατακτάς.
. . . . . *habitabat at advena longe.*
A patria Phylacen, occiso fratre novercae.

Ibidem 432. de Lycophrone

. . . . . ὅς ῥα παρ' αὐτῷ
Ναῖ', ἐπεὶ ἄνδρα κατέκτα . . . . . .
Quem Ajax suscepit apud se — Occiso fugientem homine.

Vide & Il. Ω. 480. & seq. quae quidem poena a primo homicida Caino manavit ad posteros. Ac praecipue id obtinebat in caedibus involuntariis, uti prodidit Scholiastes Homeri ad Il. XV. Ἔθος ἦν παρὰ τοῖς παλαιοῖς τὸν ἀκούσιον φόνον ἐργαζόμενον Φεύγειν ἐκ τῆς πατρίδος. Vt ecce Xuthi filius Achaeus apud Strabonem lib. VIII. pag. 383. φόνον ἀκούσιον πράξας h. e. *homicidio per imprudentiam admisso, in Laconicam perfugit*; fecitque ut qui illic habitabant, Achaei dicerentur. Item Pausanias Eliacis prioribus narrat, Aetolum regem ἐκ Πελοποννήσου φυγεῖν, ὅτι αὐτὸν οἱ Ἄπιδος παῖδες ἐφ' αἵματι ἀκουσίῳ δίκῃ εἷλον. Et paucis interjectis exemplum par affert, Oxylo opus fuisse tradens, φυγάδι ἐξ Αἰτωλίας εἶναι. διοκείοντα γάρ φασιν αὐτὸν ἁμαρτεῖν, καὶ ἐξεργάσασθαι φόνον ἀκούσιον. Claudius Saturninus jurisconsultus tit. de poenis: *Apud Graecos exsilio voluntario fortuiti casus luebantur, ut apud praecipuum poëtarum scriptum est Iliad. Ψ.* ubi Patroclus Amphidamantis filium νήπιος ὐκ ἐθέλων i. e. imprudens ac nolens in ludo talorum occidit, unde exsulare apud Achillem coactus: quod ipsemet Achilli narrat Il. Ψ. 85.

Εὖτέ με τυτθὸν ἐόντα Μενοίτιος ἐξ Ὀπόεντος
Ἤγαγεν ὑμέτερονδ' ἀνδροκτασίης ὑπὸ λυγρῆς,
Ἤματι τῷ ὅτε παῖδα κατέκτανον Ἀμφιδάμαντος
Νήπιος ὐκ ἐθέλων, ἀμφ' ἀστραγάλοισι χολωθείς.
Quando me puerum pater abstulit almâ ab Opunte.
In vestros nece pollutum, generose, penates;
Tempore quo proles a me occidit Amphidamantis,
Inscius ut nolensque citas exarseram in iras.

In legibus Atticis crebra est exsulii mentio ἀκουσίου φόνου gratia; ut lex illa ex Demosthenis Aristocratea & ex aliis nota: Τὸν ἁλόντα ἐπ' ἀκουσίῳ φόνῳ, ἐν ἐνιαυτῷ ἀπελθεῖν . . καὶ φεύγειν εἰς ἂν αἰδέσηταί τινα τῶν ἐν γένει τῷ πεπονθότος· ἥκειν δὲ καὶ θύσαι καὶ καθαρθῆναι. *Qui alium casu fortuito necassit, solum vertito in annum, donec aliquem ex occisi cognatis placarit: nec nisi peractis sacris lustrationibusque revertitor.* In eadem Demosthenis oratione lex altera sic orditur: ἐάν τις ἑκὼν ἀκουσίῳ φόνῳ πεφευγὼς & cetera in eamdem fere sententiam.

Qui nam autem ἀκούσιος Φόνος tam in Mosaicis quam in legibus Atticis sit interpretandus parum reperio. Nec enim mihi fit verisimile eum tantum intelligi ἀκούσιον, qui ab invito est perpetratus: sed & illum praeterea, qui non ex condicto factus est: id quod in legibus Athenienſium ἐκ προνοίας dicitur, ut apud Ly-

 siam

ſiam *pro Callia*: ἀν μέν τις ἀνδρὸς σῶμα τρώσῃ ἐκ προνοίας . . . αὐτὸν μὲν φεύγειν... τὰ δὲ χρήματα αὐτῆ δημεύεσθαι. *Siquis alterum deſtinato conſilio vulnerarit, exſul eſto, ejuſque bona publicantor*. Ergo ὁ ἐκ προνοίας φόνος τῷ ἀκουσίῳ ſic opponitur, ut quaecunque caedes ex ſubita rixa caſuve alio inopinato acciderint, τῆ ἀκουσίᾳ ambitu contineantur. Ceteroqui enim ea ſpecies facti, cum quis feram occiſurus, imprudens hominem interemit, & id genus alia, nec exſulio digna erat, nec tam crebra, ut huic ſpeciei apud Hebraeos de ſex perfugii civitatibus providendum fuerit. Et alioqui certum eſt ignorantiae peccata in Scripturis dici, quaecunque non ex deliberato conſilio proficiſcuntur, ſed parum attendenti ira, metus, aut repens caſus extorſerit. Quod in legibus Atticis ἐκ προνοίας, id Ex. בערמה *beormah* h. e. *aſtute* eleganter dicitur; quarum caedium auctores ab ipſo etiam Altari Domini ad necem rapiendos lex jubet.

SPI-

Digitized by Google

SPICILEGIVM
OBSERVATIONVM LITTERALIVM
IN DEVTERONOMIVM

AD DEVT. IV. 27.

ET remanebitis pauci in nationibus &c.] Bene interpres *paucos* reddidit, quod Hebraice eleganter eſt מתי מספר *methe miſpar*, *homines numeri* i. e. numerabiles. Nulla ad hoc declarandum enarratio aptior, quam illud Horatii, *Populus numerabilis utpote parvus*.

AD DEVT. VI. 5.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.] Lucae X. 27. Vulgatus interpres pro *fortitudine* poſuit *viribus*. Haec eadem tria conjunguntur a Plauto Capt. actu 2. ſc. 3. verſ. 27. *Id petam, id perſequarque corde & animo atque viribus.*

AD DEVT. X. 14.

En Domini Dei tui caelum eſt, & caelum caeli &c.] Ad Gen. I. 1. & aliis in locis ibi notatis dixi, voce שמים *ſciamaim* Arabico ſignificatu *ſublimitatem* notari: unde שמי השמים *sheme-haſshamaim*, *caelum caeli* (quod hîc primum, ſed & non raro alibi reperitur) erit tantumdem quod *ſublimitas caeli*, itaut priore loco appellative, poſteriore proprie accipiatur.

AD DEVT. XIV. 16.

Herodium ac cygnum &c.] Ἐρῳδιὸν eſſe ardeam pro certo affirmat Salmaſius ad Solinum. At Grotius ad Aratea pag. 8. Ciceronem & Avienum *fulicam* interpretari notat. Vt vero hîc *herodius* & *Cygnus* junguntur, ſic junguntur etiam in veteris auctoris opuſculo *de ſympathia & antipathia* (quod Fabricius to. 4. Bibl. Graecae inſeruit pag. 297.) ubi auctor opuſculi *Herodium* & *Cygnum* aegrotantes illum canere, hunc ranis veſci narrat.

AD DEVT. XVII. 18.

Deſcribat ſibi Deuteronomium legis hujus.] Heb. משנה תורה *miſchneh thorah*, *Repetitionem legis*. Sic etiam Joſ. VIII. 32. legitur: *Joſua ſcripſit ſuper lapides Deuteronomium legis Moyſi*. Nec alibi in Vulgata haec vox reperitur. Porro Δευτερονόμιον iſtud Philo libro *Qui heres rer. divinar.* Ἐπινομίδα appellavit a Platonica *Epinomide* id ſcilicet mutuatus nomen. Quam libri inſcriptionem Philippo Opun-

tio debemus Platonis auditori, qui Platonis de legibus opus in libros duodecim tribuit, ac tertium decimum ἐπινομίδα, inſcriptum, quaſi *legum additamentum* adjunxiſſe ſuperioribus duodecim a Laërtio & Suida traditur.

AD DEVT. XIX. 14.

Non aſſumes & transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores in poſſeſſione tua.] Ne transferri poſſent, praegrandes lapides, & pluſquam molares in eum uſum primitus adhibebantur. Homerus Il. Φ. 403. de Minerva in Martem irruente.

Η δ' ἀναχασσαμένη, λίθον εἵλετο χειρὶ παχείῃ
Κείμενον ἐν πεδίῳ, μέλανα τρηχύντε μέγαντε,
Τὸν ῥ' ἄνδρες πρότεροι θέσαν ἔμμεναι ὅρον ἀρούρης.
Τῷ βάλε θοῦρον Ἄρηα κατ' αὐχένα, λῦσε δὲ γυῖα.
Abſtitit illa, ſimul vulſum dextraque molarem
Nigrum aſprum ingentem (campo qui forte jacebat,
Limes agro, ut poſitus litem diſpeſceret arvis)
Vi jaculans, Marti cervicem & genua reſolvit.

Imitatur id Virgilius, apud quem XII. Aen. 896. Turnus arrepto terminali ſaxo, grandiore illo quidem quam ut a duodenis viris bajularetur, hoſtem adoritur.

AD DEVT. XX. 6.

Quis eſt homo, qui plantavit vineam, & necdum fecit eam eſſe communem, de qua veſci omnibus liceat; vadat &c.] Pro *fecit eam eſſe communem* Heb. eſt חִלְּלוֹ *chillelo* i. e. *profanavit eam*. Sic etiam Jer. XXXI. 5. in eodem negotio Hebraice eſt idem *profanandi* verbum, pro quo Hieronymus *vindemiare* ibi poſuit.

Atqui Latinum *profanandi* verbum origine ſua erat *conſecrare*. Varro in V. de L. L. *Vt cum profanum dicitur, id eſt proinde, ut ſit FANI FACTVM*. Ibidem ante pauca dixerat. Hinc *Profanum* eſt, quod ANTE FANVM, ideſt CONJVNCTVM FANO: hinc *profanatum*, quod in ſacrario *polluctum*. Adde Feſtum in *Potitium*. *Hercules . . . cum decimum bovum . . . profanaſſet*. Ergo *profanare* eſt *fano addicere* rei totius partem aliquam eximiam, puta primitias aut decimas. Id vero ubi factum (h. e. ubi jam ante primitiae aut decimae ſepoſitae fuerant) tunc quia cetera in uſus humanos converti licebat; hinc *profanare* ex conſequenti ſumitur, cum aliquid κοινῶται, *commune fit*, ſive in humanos uſus transfertur. Non aliter in arboribus res ſe habebat. Tribus annis veſci ex fructibus non licebat. Quarto demum anno ſanctificabantur (ex Lev. XIX. 24.) i. e. fundus profanabatur, idque tum ſenſu proprio, quia primitiae Deo offerebantur, tum translato, quia poſt oblatas primitias, fructus ceteri (quia *polluti & profanati*, ut antiqui loquebantur) cedebant in humanos uſus.

AD DEVT. XXIII. 1.

Non intrabit Eunuchus, attritis vel amputatis teſticulis, & abſciſſo veretro, in Eccleſiam Domini.] Ergo Moſaicis temporibus jam paſſim apud vicinas nationes evi-

evirabantur mares. Itaque si ex praestantiorum chronologorum calculo Semiramis Mose longe posterior fuit, ut quae circa initi ab Heli summi sacerdotii tempora regnum susceperit: falsum est, hanc reginam omnium primam testes maribus detraxisse, quod prodidit Amm. Marcellinus XIV. 6. *Detestetur memoriam Semiramidis reginae illius veteris, quae teneros mares castravit omnium prima, velut vim injectans naturae, eamdemque ab instituto cursu retorquens, quae inter ipsa oriundi crepundia per primigenios seminis fontes, tacita quodammodo lege, vias propagandae posteritatis invenit.* Claudianus in Eutropium ambigit utrum Semiramidis an Persarum hoc inventum fuerit.

Seu prima Semiramis astu
Assyriis mentita virum, ne vocis acutae
Mollities, levesque genae se prodere possent,
Hos sibi conjunxit similes: seu Persica fervo
Luxuries vetuit nasci lanuginis umbram.

Verum cum Diodorus Siculus & ex Trogo Justinus, vestitu Semiramidem sexum mentitam tantum dixerint: restat, ut vel Persarum hoc fuerit excogitatum, quod Petronius aliique tradunt, vel Medorum, ut auctor Clearchus Aristotelis discipulus apud Athenaeum lib. 12. Κλέαρχος δέ ὁ Σολεὺς ἐν τετάρτῳ τῶν βίων προοιμιάζεται περὶ τῆς Μήδων τρυφῆς, καὶ ὅτι διὰ ταύτης πολλὰς εὐνουχίσαιεν τῶν περιχτιόνων. *Clearchus autem Solensis in quarto de moribus gentium, de Medorum luxu praefatus, hinc esse ait quod multos vicinorum evirarent.* Diu hoc Graecis ignotum fuit: unde, Herodoto auctore, Periander Corinthius Principum Corcyrensium liberos per ignominiam castraturus, Sardes ad Alyattem Lydorum regem eos mittere necesse habuit, quod ars illa in Graecia ignoraretur. Lydi autem luxu celeberrimi, etiam feminas primi castrare coeperunt, teste Athenaeo ibidem. Vide Valesium & Lindebr. ad laudatum Ammiani locum.

AD DEVT. XXIII. 18.

Non offeres mercedem prostibuli.] Quam late patuerit ista apud gentes superstitio, jam alii ante nos adnotarunt. Non erit tamen alienum Strabonis locum afferre maxime huc facientem, ex lib. VI. pag. 272. ubi celebre illud in Sicilia Veneris templum Erycinum ait fuisse, ἱεροδούλων γυναικῶν πλῆρες τὸ παλαιόν· ἃς ἀνέθεσαν κατ' εὐχὴν οἱ τε ἐκ τῆς Σικελίας καὶ ἔξωθεν πολλοί· νυνὶ δὲ . . . τῶν ἱερῶν σωμάτων ἐκλέλοιπε τὸ πλῆθος: *feminis quidem ἱεροδούλοις olim refertum, quas tum Siculi tum exterorum alii multi ex voto dedicabant: nunc tamen . . . minus jam frequens sacrorum corporum multitudo ibi cernitur.* Quid sint ἱερόδουλοι γυναῖκες, ipse statim scriptor est interpretatus, cum ἱερὰ σώματα appellavit. Atque istas ἱεροδούλους Veneri consecrabant, ut quem quaestum corpore fecissent, is totus Veneri sacer esset. Cujusmodi & in Cappadocia fuisse apud Comanenses, & Corinthi quamplurimas, & alibi alias, idem Geographus prodidit. Id vero in Palaestina quoque factitatum, docet Michaeas I. 7.

AD DEVT. XXIV. 1.

Scribet libellum repudii & dabit in manu illius & dimittet eam de domo sua.] H. e. *ita demum dimittet eam*: vel *in dimittenda dabit libellum*. Non enim ad dimissionem, (quae non praecipiebatur, sed tantum tolerabatur) sed ad libellum vis

vis legis ferebatur. At Hebraeis, quibus oratio eſt πολυσύνδετος, copulativum ו pro gerundio haud raro uſurpatur: ושלחה *veſcillechah* pro בשלחה *beſciallechah*, *in ea dimittenda*. Id Phariſaei non animadvertentes mandata ſibi repudia ſomniarunt Matth. XIX. 7. vide ibi dicta.

AD DEVT. XXV. 4.

Non ligabis os bovis terentis in area fruges ſuas.] Bobus & mulis Heroicis temporibus utebantur ad triturandas fruges. Hom. Il. XX.

Ὡς ὅτε τις ζεύξῃ βόας ἄρσενας εὐρυμετώπους
Τριβέμεναι κρι λευκὸν ἐϋτροχάλῳ ἐν ἀλωῇ.
Cum latifrontes ſiquis junxiſſe juvencos
Geſtiat, attritu excutiens alba hordea glumis.

Cetcrum quod os triturantis bovis φιμὸν Legislator vetat, ei praecepto ſubeſt ἀναίτιον illa, quam Paulus luculenter exponit. Ex hoc ipſo autem quod vetatur id Iſraëlitis, factitaſſe iſtud circumſitas nationes, licet ſuſpicari. Certe Aelianus lib. XIV. Var. hiſt. antiquos conſueviſſe narrat bovino ſtercore bobus ora jungere, nequid ex frugibus delibarent.

AD DEVT. XXV. 9.

Sic fiet homini qui non aedificavit domum fratris ſui.] Nota Hebraeorum phraſis *aedificare domum* pro eo quod eſt liberis operam dare. At tamen Thraces ii, quorum meminit Strabo lib. VII. pag. 296. ex coelibatu κτίσται ſunt appellati. Hujus quidem appellationis cauſam ignorare ſe Caſaubonus ad Strabonem fatetur. At videntur mihi ſane εἰρωνικῶς ita dicti. Nam Κτίσται, dicebantur urbium conditores: verum hi quod domos minime aedificarent, h. e. nulla iis cura de liberis, κατ' ἀντίφρασιν *conditorum* nomen invenerunt. At Homerus Il. B. 701. Amphiarai domum quippe demortui jam, ἡμιτελῆ *ſemiperfectam* appellavit, ſeu, ut ibidem Strabo interpretatur διότι χήρος: *quia Proteſilao extincto viduata remanſerat*. Verſus ſic habent:

Τῷ δὲ καὶ ἀμφιδρυφὴς ἄλοχος Φυλάκη ἐλέλειπτο,
Καὶ δόμος ἡμιτελής.
Huic uxor laniata genas Phylace orba remanſit,
Hoc eſt dimidiata domus.

Quaſi non niſi amborum par conjugum perfecta domus cenſenda ſit. Ea ſi vera interpretatio eſt; ſuſpicari licet, Hebraeis *aedificare domum* non hoc eſſe κατ' ἀκρίβειαν quod liberos ſuſcipere, ſed quod *uxorem ducere*, ex quo conſequens eſt liberis operam dare: eaque ratio huic aliiſque locis apprime convenit. Hodie dum nubendo maritus, *aperire domum* vulgo dicitur, etiam liberis non ſuſceptis.

AD DEVT. XXVII. 18.

Maledictus qui errare facit caecum in itinere.] Non monſtrans ei iter. Hinc lex Attica fuit ὑποφαίνειν ὁδὸν πλανωμένοις. Quod Cic. vertit: *Erranti viam monſtranto.*

AD

AD DEVT. XXVIII. 23.

Sic caelum, quod ſupra te eſt, aeneum.] Palaeſtinis ἐν ὑποπέτρῳ & ſiticuloſa regione degentibus nihil erat ſiccitate magis pertimeſcendum. Illuſtrior fiet haec locutio inſcriptione Romana apud Grut. *D. M. S. Vergilius Martanus colonus AGRI CAELI AENEI Annulenae Certae colonae AGRI SS.* i. e. ſupraſcripti. Vocabatur hic ager *Caelum aeneum*, quod raros in eum imbres deſcendere vulgus proverbio conquerebatur.

AD DEVT. XXVIII. 37.

In proverbium ac fabulam.] Cum Heb. לשנינה *lishninah* (quod *dicterium* ſonat) recte & eleganter Interpres *Fabulam* hîc uſurpavit. Ovidius 2. Triſtium: *ſtrinxerit ut nomen fabula nulla tuum.* III. Amor. 1. *Fabula, nec ſentis, tota jactaris in urbe.* Apuleius apologia: *Mulier ſancte pudica . . . ſine culpa, ſine fabula.*

AD DEVT. XXVIII. 59.

Plagas magnas & perſeverantes, infirmitates peſſimas & perpetuas.] Hebraice pro *perſeverantes* & pro *perpetuas* eſt נאמנות *neemanoth*, i. e. *fideles*, ſive potius *veras*. Idipſum valet ἀληθινὰς Graecis, ut notavi ad Evangelia. Eo etiam ſpectat νάρδος πιστικὴ Marc. XIV. 3. & Jo. XII. 3. Cui Evangelii loco conſentiunt qui hîc poſuerunt νόσους πονηρὰς καὶ πιστάς. Pro πιστὰς & pro Heb. *neemanoth* uſurpare vulgus Italorum ſolet *Veraci*, ac μεταφερικῶς ubi aliquid ab eodem vulgo appellatur *ſementivum*, h. e. *di ſemenza*.

AD DEVT. XXIX. 29.

Abſcondita, Domino Deo noſtro: quae manifeſta ſunt, nobis & filiis noſtris.] Mire variant interpretes in tradendo hujus loci ſenſu: Munſterus ex Aben Ezra & alii interpretantur, occulta Deo puuienda relinqui, manifeſta vero crimina judicum vindictae patere. Non male. Nam ſimile prorſus eſt hoc Demoſthenis περὶ παραπρεσβείας. Πῶς οὖν οὐκ ἄτοπον . . εἰ . . . ὃν ἐκείνοις (θεοῖς) εὔχεσθε ἐξώλη ποιεῖν αὐτὸν καὶ γένος καὶ οἰκίαν, τοῦτον ἀφίετε αὐτοί; μηδαμῶς· ὃς γὰρ ὑμᾶς λάθῃ, τοῦτον ἀφίετε τοῖς θεοῖς κολάζειν· ὃν δ' αὐτοὶ λάβητε, μηκέτ' ἐκείνοις περὶ τούτου προστάττετε. Ergo poſt τὰ Abſcondita diſtinguendum, ut intelligatur *Remittuntur*.

AD DEVT. XXXII. 1.

Audite caeli quae loquor, audiat terra verba oris mei.] Frequens hoc canticorum Hebraicorum exordium, a quo & non pauci incipiunt pſalmi. Atque hoc eodem initio apud gentiles ordiebantur carmina fecialia: quae apud Livium I. 32. ſimili utebantur exordio: *Audi Jupiter, audite fines . . .* h. e. Terra. Tum illud quoque ibidem: *Audi Jupiter, & tu Juno, Quirine, diique omnes caeleſtes, voſque terreſtres, voſque inferni audite . . . .* Cui ſuccedit ſimile aliud cap. 33. *Audi Jupiter & tu Juno, Quirine, diique omnes caeleſtes, voſque terreſtres, voſque inferni audite. Ego vos teſtor . . .*

Quod ad *caelorum* vocabulum numero plurium attinet; nemo quidem dubitat, quin ideo Noſter interpres ſic uſurparit, ut Helleniſticum οὐρανὸς exprimeret: etſi Caeſar libris de analogia apud Gellium XIX. 8. negaverat *caelum* multitudinis numero

mero appellari. Neque id tamen exemplo caruit: nam & a neutro *caelum* pluralivum neutrius generis in animo habuit Cicero ubi dixit lib. . . ep. 26. *Te putabat quaesiturum, unum caelum esset an innumerabilia:* & masculinum *caelos* frequentius aliquanto videas usurpatum, ut apud Lucr. II. 1095. *Quin pariter caelos omnes convertere*. Et apud Varronem l. 4. L. L. pag. 5. *Caeli dicuntur loca supera, & ea deorum*. Servius etiam ad Aen. 1. 331. ex Ciceronis Hortensio citat: *Epicurei plures volunt esse caelos*. Id autem venit ab inusitato *caelus*, quod & apud Ennium legebatur *Caelusque profundus*, & in inscriptione apud Gruterum IV. 12. CAELVS . AETERNVS.

AD DEVT. XXXII. 14.

Cum medulla tritici.] Sicuti *sanguis uvae* mox dicitur, sic pari translatione *medulla tritici*. Quisquis auctor interpretationis hujus loci fuit, fortassis prae oculis habuit illud Homericum Od. XX. 108.

Ἄλφιτα τύχησαι καὶ ἀλείατα, μύελον ἀνδρῶν.

Nam ex Hebraeo verti poterat *Cum adipe renum tritici*, quomodo & LXX. μετὰ στέατος νεφρῶν πυροῦ.

AD DEVT. XXXII. 32.

De vinea Sodomorum vinea eorum &c.] Hebraice est: *de vite Sodomae vitis eorum*: & cohaeret quod sequitur: *Uva eorum uva fellis*. De fructibus Sodomiticis, in speciem probis sed sub extima cute non aliud quam cinerem aut suliginem favillaceam condentibus, exstant loca Josephi, Taciti, Solini; necnon & cap. X. 7. quemadmodum is locus e Graeco vertitur a Grotio. Adde Tertullianum seu quisquis auctor carminis de Sodoma.

Semiperempta etiam siqua illic jugera laetas
Autusani conantur opes, facile optima sese
Promittunt oculis, pira, persica, & omnia mala,
Donec carpuntur: nam protinus indice tactum
Solvitur in cinerem, fit vana favillaque, pomum.

Nunc quidem nihil tale in ea regione deprehenditur. Sed sciendum est mutari sensim agrorum ingenia, ut & aëris, & aquarum. Simile quiddam deprehendi in tritici, quod in uliginosis locis provenit, quibusdam granis, quae extrinsecus proba, mox ut fricata pollice fuerint, faetidam suliginem sub extremo cutis ambitu conditam exserunt. Ea grana nostrates rustici *bufones* appellant.

AD DEVT. XXXIII. 24.

Et tingat in oleo pedem suum.] Hoc ideo dicit, quia apud Hebraeos olivae non secus ac uvae pedibus proculcabantur prius, quam trapeto tererentur. Hoc jam supra observatum alibi, ac praeterea testis Michaeas VI. 11. *Tu calcabis olivam & non ungeris oleo; & mustum, & non bibes vinum.*

SPI-

SPICILEGIVM
IN JOSVE LIBRVM

AD JOS. I. 4.

VSQVE ad Mare Magnum.] Sic pluries infra *Maris Magni* appellatio recurrit, veluti XV. 4. 47. & XXVII. 4. & Ezech. XLVII. 19. 20. XLVIII. 8. & alibi. Quo etiam uſi Latini. Livius Andronicus apud Feſtum in OCREM: *Celſoſque ocris, arvaque patria* (Scaliger in Conject. *petrita*) *& Mare Magnum*. Apud eumdem Feſtum in TONSAM Ennius: *Alius in Mari vult Magno tenere tonſam*. Ac ſicuti Hebraei *Mare magnum διακριτικῶς* dicebant, ut a lacubus, (a Mare Tiberiadis, a Mare Mortuo &c.) diſtinguerent; ſic & Latini, ut qui paludes Hatrianas adſueſſent *ſeptem maria* dicere, deinde Mediterraneum diſcriminis cauſa *Mare magnum* appellabant. Hanc diſcriminandi maria rationem Latini a Tuſcis didicerunt, hi vero ab Oriente attulerunt, unde profecti initio fuerant. Vide dicta in Diſſert. de Etruſcorum origine.

AD JOS. I. 13.

Moyſes famulus Domini.] Saepiſſime hoc libro titulus hic Moſi, ſed poſt ejus mortem tributus recurrit: qui etiam Joſuae ſed item poſt mortem obitam partus videtur; quia non niſi Jud. II. 8. ſcribitur, *Mortuus eſt autem Joſue filius Nun, FAMVLVS DEI*: Vides quam raro occurrat hic tantus honoris titulus. Apud Hom. Il. Z. 67. & alibi ſaepiſſime bellatores, θεράποντες Ἄρηος appellantur.

Ὦ φίλοι Ἥρωες, Δαναοὶ, θεράποντες Ἄρηος.
O famuli Martis, Danai, o heroës amici.

AD JOS. III. 17.

Et Sacerdotes qui portabant arcam Foederis Domini, ſtabant ſuper ſiccam humum in medio Jordanis accincti.] Pro *accincti* Heb. eſt הכן *hachen, ſic*, quod Seniores hîc praeterierunt, rati opinor eſſe in Divino ſcriptore expletivam particulam, ſimilem illi ἕτως quod legitur Joh. IV. 6. ἐκαθίζετο ἕτως ἐπὶ τῇ πηγῇ, *ſedebat ſic ſupra fontem:* ubi ſimiliter τὸ ἕτως Syrus interpres neglexit. Niſi ſi utrobique particula eſt μιμητικὴ geſtûs corporis; nam & Itali dicimus, *ſtava in piedi così &c.* vide dicta ad Joh. IV. 6. ad illud *ſedebat* &c. *Sic*.

AD JOS. IV. 3.

Et praecipe eis, ut tollant de medio Jordanis alveo, ubi ſteterunt pedes ſacerdotum, duodecim duriſſimos lapides, quos ponetis in loco caſtrorum, ubi fixeritis hac nocte tentoria.] Quod Noſter *duriſſimos*, Seniores autem ἑτοίμους tranſtulerunt, id Heb. eſt הכין *hachin*. Cujus vocis varias afferunt interpretationes. Mihi dubium non eſt, quin *hachin* idem hîc ſignificet quod *hechin* ſeq. verſiculo. *Hachin* heic igitur interpretari licet *praeparando*, h. e. eos in τήλης formam aptando, vel ſaltem *eligendo*, ut non quoſvis

obvios lapides tollendos intelligat, ſed ſelectiſſimum quemque ſive mole ſive figura ſive natura ac duritie: quod videtur hîc ſecutus vulgatus interpres. Ceteroqui caementarii lapides deligebant, ut in Pſalmo *Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus eſt in caput anguli.*

AD JOS. IV. 10.

Feſtinavitque populus & tranſiit.] Infirmitatem fidei in Hebraeis hîc deprehendunt, verentibus ſibi ſcilicet a pendulis aquae montibus, eoque trajectum maturantibus. Atqui vereor potius, ne ſi per otium ac velut animi gratia medio alveo ſpatiati eſſent, id eo loco habendum fuiſſet, quaſi divinis prodigiis abuterentur, eiſdemque illuderent. Equidem laudo potius quam vitupero feſtinationem, modo trepidatio mentis abfuerit.

AD JOS. V. 8. 9.

Ver. 8. *Poſtquam autem omnes circumciſi ſunt, manſerunt in eodem caſtrorum loco donec ſanarentur.* Ver. 9. *Dixitque Dominus ad Joſue: Hodie abſtuli opprobrium Aegypti a vobis: vocatumque eſt nomen loci illius Galgala uſque in praeſentem diem.*] In hunc Joſuae locum denſam olim adnotationum farraginem huc comportaram, quam nunc praeterire paucis exceptis ſatius (1) duxi.

Incipio a noni commatis verbis illis: *Hodie abſtuli opprobrium Aegypti a vobis.* In Hebraeo pro *Abſtuli* (quod ex LXX virali verbo ἀφειλον hîc uſurpavit Hieronymus) eſt גלותי *gallothi* i. e. *devolvi* ſive potius devolvendo removi, aut cum LXX. *abſtuli*. Hoc verbum haud raro cum reduplicatione & quidem energia majore uſurpatur, uti mox, ubi de *Galgala*. Atque ab hoc verbo גלל *galal* inven.re nomen *Galli* ſacerdotes, quibus virilitas amputabatur; nec enim tantum in exſectione praeputii, verum etiam in caſtratione locus huic verbo fuit, ut ex *Gallis* iſtis intelligitur, quibus *devolvebantur* teſticuli, h. e. devolvendo exſcindebantur, Hebraica proprietate. De hac *Gallorum* originatione veriſſima egi nuper in Etymologici Voſſiani auctariis in GALLI: ubi & illud Catulli de Aty adſcripſi, *Devolvit* (Hebraico idiotiſmo a גלל *galal*, quod eſt uti dixi, *devolvere* pro *exſecare*) *acuto ſibi . . pondera ſilice*. Cultellus iſte ſiliceus Judaeis etiam in *devolvendo* praeputio, (ut ſint omnia paria) uſui fuiſſe dicitur. Jam vero in eo quod in Latino eſt *Opprobrium Aegypti*, id in Hebraeo eſt (חרפת) *Herpat mitſraiim*. Atque iſtud חרפה *hherpa* (aſpiratione forti tranſeunte in digamma) apud Latinos in *Verpa* tranſiit, quod eſt veretri vocabulum, ſicuti & *Verpus* apud Martialem commune evaſit Judaeis nomen. Ex quibus vocabulis licet obiter intelligere, quantus ſemper Judaeis uſus antiquitus cum Latinis fuerit.

Vocatumque eſt nomen loci illius Galgala uſque in praeſentem diem.] Verba duplicantia ſecundam radicis non raro duplicant ſimul & primam, ita ut a *Galal* oriatur גלגל *Gilgal* aut *Galgal*. Verbum ſi verbo reddas, τὸ *Galgal* (quod recte hîc

(1) Hoc eo moneo, quia in auctariis Etymologici Voſſiani in fine vocis GALLI ſic reperitur: *Multo plura reperies in digreſſione quam ſcripſi ad Joſ. V.* 9. At quia hoc Spicilegium poſt Voſſianum auctarium exit, plura licuit de Spicilegio recidere, quae olim fuerant.

hîc LXX. & Hieronymus per ἀφαιρέω reddiderunt) eſt, uti dixi, tam in circumcidendo, quam in caſtrando, eſt inquam, *devolvendo* removere de loco ſuo: quod Latini uno verbo *exſcindere*, *exſecare* aut *circumcidere* dicunt.

AD JOS. V. 14. 15.

Qui reſpondit, Nequaquam, ſed ſum princeps exercitus Domini.] S. Juſtinus & Euſebius eumdem hunc qui hîc loquitur, faciunt cum eo qui Moſi in rubo apparuit, & filium Dei eſſe volunt: contradicentibus tamen aliis, quibus favet vetus ac praeclarum in hanc rem Scholion MS. quod Graece exſtat apud H. Valeſium in Adnotatis ad Hiſt. Euſebii lib. 1. c. 2. Multum ſane Valeſio debemus, quod Scholion iſtud, qua parte potuit, adſervarit. Eſt enim ſatis antiquum ſanique judicii. Itaque merito Theodoretus, & alii Patres hunc ſecuti, non Dei Filium, ſed Michaëlem Archangelum hunc fuiſſe volunt. Illud initio Scholii hujuſce praeclarum, quod ſententiam, quam ipſe propugnat, pro Eccleſiae univerſalis judicio proponit, ſic incipiens, ἀλλ' ἡ Ἐκκλησία, & quae ibid. apud Valeſium ſequuntur. Ergo qui hîc ita in hoc Joſuae libro loquitur, ut ſe *Principem exercitus Domini* profiteatur, non alius a Michaële Archangelo habendus eſt.

AD JOS. VI. 4.

Et ſacerdotes clangent buccinis.] Confer dicta ad Num. X. 9. ubi in hoc ululantium tubarum clangore juſſu Dei inſtituto poſſe virtutem quamdam veluti ſacramentalem agnoſci, dictum fuit. Scio ſacramenta veteris Legis ab aliis Theologis plura, ab aliis pauciora recenſeri: utrum clangorem iſtum in cenſum retulerint, piget ex eorum lectione cognoſcere.

AD JOS. VI. 5.

Cumque inſonuerit vox tubae longior atque conciſior . . . conclamabit omnis populus . . . & muri funditus corruent.] Clangoris tubae in obſidione meminit & Homerus Il. Σ. v. 219.

Ὡς δ' ὅτ' ἀριζήλη φωνὴ ὅτε τ' ἴαχε σάλπιγξ,
Ἄστυ περιπλομένων δηίων ὑπὸ θυμοραιστέων,
Ὡς τότε &c.
Vt clangente tuba, exoritur ſtrepituſque fragorque,
Hoſtibus infenſis cingentibus undique muros;
Haud ſecus . . .

Ad quem locum adnotat ille ſatis antiquus Homeri Scholiaſtes, hoc κατὰ πρόληψιν ab Homero dictum, quod heroicis temporibus conchâ marinâ uterentur, tubae nondum inventae loco. Verum hunc grammaticum ſplendide falli puto; quia non tantum ſaeculis plurimis Jerichuntina obſidio Trojanae anteceſſerat, ſed & miraculi ſingularitas (nim. tubae ſternentis funditus moenia) non videtur ullâ unquam potuiſſe temporum oblivione deleri, ut Trojanos *tubae* inventum latuerit.

AD JOS. VI. 26.

Maledictus vir coram Domino qui ſuſcitaverit, & aedificaverit civitatem Jericho.] Hoc profani ad Ilium ſive Trojam tranſtulere, quam excitare nunquam licuit, etſi plures ab antiquo id aggreſſi fuiſſent, ex eo ſcilicet quod anathemati civitatem illam Agamemnon devoviſſet, teſte Euſtathio ad Il. Δ. Ac fuit quidem aliquando poſtea *Ilium*, ſed XXX. ſtadiis a veteri ſede reductum ad mare verſus: nam in

eo loco ubi vetus Ilium fuerat, ibi Strabo lib. XIII. τῶν Ιλιέων κώμην (*Ilienſium pagum*; ſic enim vocabatur) fuiſſe obſervavit.

AD JOS. VII. 20.

Et ſic & ſic feci.] וכזאת וכזאת *vechazoth vechazoth*, ſignificat *ſic & ſic*: verbis aut geſtu deſignante interim circumſtantias omnes. Ac propemodum tantundem Hebraeis valet adverbialiter, quod Graecis pronomen ὁ δεῖνα, Hebraeis vero illud אלמני *almoni* aut פלני *peloni*.

AD JOS. VII. 25.

Vbi dixit Joſue: Quia turbaſti nos, exturbet te Dominus in die hac.] Pro *Vbi* in Heb. eſt מה *meh* quod proprie eſt *Quid* (ſicuti & LXX. heic τί poſuerunt) tamen varie reddunt, *o quantum, ebeu quibus modis* &c. Sed danda eſt opera ut hîc rectiſſima Vulgata interpretatio intelligatur. Hebraicum מי *mi*, *quis*, cum ſit ſua natura interrogativum, tamen ſaepenumero relativum eſt, ut Aggaei II. 4. *Quis* (מי) *in vobis eſt derelictus, qui vidit domum iſtam*: h. e. ſi quis in vobis eſt derelictus &c. Et quia in eo Aggaei loco (ut & aliis ſimilibus plurimis) Graeci interpretes interrogativo τίς uſi ſunt; ex eo fluxit ut & Helleniſtica dialecto τίς idem interdum ſit, quod relativum pronomen ὅς; *Qui*: unde illud Lucae XI. 5. τίς ἐξ ὑμῶν ἕξει φίλον &c. *Quis ex vobis*, repoſuit interpres, ſed ſententia requirit *Qui* aut *ſiquis*. Aliis exemplis (quae a me alibi adnotata, quorum plurima ſunt in utroque Foedere) ſuperſedeo. Idem judicium eſto de מה *meh* quod hîc Graeci more ſuo τί verterunt. Sed tamen tam Helleniſticum τί, quam Hebraicum מה *meh* non valet hîc tantundem, quod interrogativum *quid* ſive *quare*, ſed relativum *quod* h. e. *Quia*, ſicuti hîc Noſter ſcitiſſime poſuit. Verum de his videor pluries alibi locutus, maxime in N. T.

AD JOS. VIII. 18. 19.

Ver. 18. *Leva clypeum qui in manu tua eſt, contra urbem Hai, quoniam tibi tradam eam.* Ver. 19. *Cumque elevaſſet clypeum ex adverſo civitatis, inſidiae, quae latebant, ſurrexerunt confeſtim.*] כידון *cidon* quid ſit, lis eſt non parva. Sed tamen optime LXX. Joſephus, aliique ἀσπίδα verterunt, quos & recentiorum eruditiſſimus quiſque ſequitur. Sed proderit animadvertere, ut ſunt multa Veteri Inſtrumento cum Homero communia, ſic hujus rei geminum planeque germanum exemplum me deprehendiſſe Il. XV. 318. ſimul enim ac Phoebus ex adverſo Graecorum clypeum intendit, ſtatim Trojani ſuperiores evaſerunt.

Ὅφρα μὲν αἰγίδα χερσὶν ἔχ' ἀτρέμα Φοῖβος Ἀπόλλων,
Τόφρα μάλ' ἀμφοτέρων βέλε' ἤπτετο, πίπτε δὲ λαός·
Αὐτὰρ ἐπεὶ κατενῶπα ἰδὼν Δαναῶν ταχυπώλων
Σεῖσ', ἐπὶ δ' αὐτὸς ἄυσε μάλα μέγα, τοῖσι δὲ θυμὸν

Ὡς ἐφόβηθεν Ἀχαιοὶ ἀναλκιδες, ἐν γὰρ Ἀπόλλων
Ἦκε Φόβον, Τρωσὶν δὲ καὶ Ἕκτορι κῦδος ὄπαζεν.
Quamque diu immotam manibus tenet aegida Phoebus,
Tandiu utrinque cadunt, telis ferientibus aequâ

Sorte.

Sorte. Sed in Danaos horrendum ubi vociferatus
Concuſſit clypeum; mora nulla his mollit acrem
Spiritum, & injecit violenti oblivia Martis.
Ac veluti . . . . . .
Sic Danai imbelles fugiunt, quos ipſe fugabat
Phoebus, Trojugenis atque Hectori gratificatus.

Leva clypeum &c. *eumque elevaſſet clypeum . . . . . inſidiae quae latebant ſurrexeruni confeſtim.*] Alii non clypeum ſed haſtam intelligunt. An elevatio ſive clypei ſive haſtae, ſignum erat, in quod cum inſidiantibus convenerat? Livius tale quid affert X. 41. de L. Papinio Curſore: *Ipſe Trebonio Caedicioque praedixerat, ut ubi ſe cuſpidem erectam quatientem vidiſſent, quanta maxima vi poſſent, concitarent equites in hoſtem. Ad nutum omnia, ut ex ante praeparato, fiunt.* Eoque maxime egregia illo die eſt parta victoria. Nec aliter quam ex compacto proceſſiſſe inſidias, nemo ignorat.

AD JOS. IX. 4.

Vires vinarios ſciſſos.] In utre caprino mos fuit Graecis adſervare vinum, ἀσκῷ ἐν αἰγείῳ. Hom. Il. III. Od. VI. & IX.

AD JOS. IX. 11.

Dixeruntque nobis ſeniores . . . tollite in manibus cibaria ob longiſſimam viam, & occurrite eis & dicite: Servi veſtri ſumus, foedus inite nobiſcum.] Illud *longiſſimam* de ſuo admenſus eſt Interpres, perſpicuitatis gratia: ceterum abeſt ab Hebreo Graecoque exemplaribus: ac merito. Neque enim ſi legati alloquentes Iſraëlitas multa de itineris longitudine ſunt conqueſti, continuo eorumdem ſeniores eadem popularibus ſuis iiſdemque legatis inculcaturi erant, quibus viarum ſpatia nihilo minus quam optimatibus, eſſent compertiſſima. Imo & mandata quae mox legatis dantur, ea nullam de viae longitudine mentionem injiciunt. *Dicite*, inquiunt, *ſervi veſtri ſumus, foedus inite nobiſcum.* Conſulto in hiſce mandatis omiſſa eſt itinerum mentio, quippe quae optimatibus ſuos populares alloquentibus ſupervacanea videbatur; adjicienda mox ab ipſis legatis, ubi primum in Iſraëlitas incurrerent, quos utique de tot emenſis ſpatiis docere debebant. Vides ut ſcriptor Divinus τὸ πρέπον optime ſervarit. Solent quidem in ſacris ſcripturis (ut & apud Homerum) legati totidem verbis eloqui mandata. Sed nihil impedit, quominus iiſdem legati circumſtantias nonnullas (uti ſupra v. 6. de emenſis itineribus) de ſuo addant, de quibus putidum fuiſſet a ſuis civibus admoneri; praeſertim nequa fraus ſuboleret, aut compoſita ad fidem faciendam oratio, ſiqua in mandatis mentio hujuſmodi injecta eſſet.

AD JOS. IX. 21. 23. & 27.

Verſ. 21. *Sed ſic vivant ut in uſus univerſae multitudinis ligna caedant, aquaſque comportent.*] Calones nim. lixaſque Iſraëlitici exercitûs eos eſſe juſſerunt. Similia plane exempla profana omnis hiſtoria ſuppeditat. Vt quod Brutios in poenam ſuae ad Annibalem defectionis nunquam milites ſcriberent, ſed apparitores facerent, teſtibus Feſto, itemque Gellio X. 2. Idem cum Picentinis etiam & Lucanis factum Strabo extremo lib. V. narrat. Alia quoque plura exempla docebit Lipſius Electorum cap. 22. Sed infra tamen v. 23. non in univerſi coetus, ſed

ſed in Templi uſum hujuſmodi miniſterium injungitur; ſic enim ibi Joſua. *Non deficiet de ſtirpe veſtra ligna caedens aquaſque comportans in domum Dei mei*. Fatendum tamen eſt de utroque miniſterio ita cenſuiſſe optimates, ſicut & utrumque Gabaonitis imperatorem injunxiſſe, uti conſtat ex ultimo verſu hujus capitis.

Ver. 27. *Decrevitque in illo die, eos eſſe in MINISTERIO CVNCTI POPVLI, & Altaris Domini, caedentes ligna, & aquas comportantes uſque in praeſens tempus &c.* Hinc ſcripſit Ambroſius in III. Offic. cap. X. extremo: *Multavit tamen* (Jeſus Nave) *eos vilioris obſequio miniſterii. Clementior ſententia, ſed diuturnior. Manet enim officiis poena veteris aſtutiae, hereditario IN HVNC DIEM miniſterio deputata*. Quibus verbis τὸ IN HVNC DIEM non Ambroſii tempora reſpicit, ſed ſcriptoris libri Joſue, qui non paulo poſterior ipſo Joſua fuiſſe ex his verbis arguitur.

Porro & apud profanos dendrophororum duplex miniſterium fuit; civile unum, ut in uſum exercitus ligna vectarent, unde cum centonariis in vetuſtis inſcriptionibus jungi ſolent: alterum religioſum, ut in uſus templorum ligna conveherent: quod ex Cod. Theod. Salmaſius ad hiſt. Auguſtam planum fecit, quem vide, unaque Cangium in *Dendrophori*.

AD JOS. X. 12. 13.

Ver. 12. *Sol contra Gabaon ne movearis, & luna contra vallem Ajalon.*] Verſiculos hos eſſe, nemo dubitabit, qui ſtylum poëſeos Hebraicae novit. Ex libro juſtorum mox laudato afferuntur.

Ver. 13. *Steteruntque Sol & Luna, donec ulciſceretur ſe gens de inimicis ſuis.*] Qui miraculi vim elevant, ii ſimilem Joſuae precationem hanc facient alteri illi Agamemnonis apud Hom. Il. B. 412.

Ζεῦ κύδιστε, μέγιστε, κελαινεφὲς, αἰθέρι ναίων,
Μὴ πρὶν ἐπ' ἠέλιον δῦναι, καὶ ἐπὶ κνέφας ἐλθεῖν,
Πρίν με κατὰ πρηνὲς βαλέειν Πριάμοιο μέλαθρον
Αἰθαλόεν, πρῆσαι δὲ πυρὸς δηΐοιο θύρετρα.
Jupiter omnipotens ſummique habitator Olympi,
Ne patere ante citos Solem lavere aequore currus,
Quam Priami domus alta cadat portaſque revellam.

Ver. 12. 13. *Sol contra Gabaon ne movearis . . . . ſteteruntque Sol & Luna &c.*] Homerus Od. XXIII. 241. noctem a Minerva protractam in Vlyſſis & Penelopes gratiam comminiſcitur.

Καὶ νύ κ' ὀδυρομένοισι φάνη ῥοδοδάκτυλος ἠὼς,
Εἰ μὴ ἄρ' ἄλλ' ἐνόησε θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη.
Νύκτα μὲν ἐν πείρατι δολιχῇ σχέτεν, ἠῶ δ' αὖτε
Ῥύσατ' ἐπ' Ὠκεάνῳ χρυσόθρονον, οὐδ' ἔα ἵππους
Ζεύγνυσθ' ὠκύποδας, φάος ἀνθρώποισι φέροντας,
Λάμπον καὶ Φαέθοντ', οἵτ' ἠῶ πῶλοι ἄγουσι.
Et ſane lamentantibus apparuiſſet roſea digitis Aurora,
Niſi alia cogitaſſet dea caeſia Minerva.
Noctem quidem in termino longam tenebat, Auroram autem rurſus
Servabat in oceano aurea ſede conſpicuam, neque ſinebat equos

Jungi

Jungi veloces pedibus, lumen hominibus afferentes,
Lampum & Phaethonta, qui Auroram pulli agunt.

Ad Ver. 13. 14. *Steteruntque Sol & Luna . . . Non fuit antea nec poſtea tam longa dies.*] Hinc ficta & fabuloſa illa nox, ſive potius continens trinoctium, de quo Soſia apud Plautum Amphit. I. 1. 116. ait.

Credo ego hac nocte Nocturnum obdormiviſſe ebrium.
Nam neque ſe Septentriones quoquam in caelo commovent,
Neque ſe Luna quoquam mutat atque uti exorta eſt ſemel.
Nec Jugulae, neque Veſperugo, neque Vergiliae occidunt.
Ita ſtatim ſtant ſigna: neque nox quoquam concedit die.
. . . . . .
Neque hac nocte longiorem me vidiſſe cenſeo:
Niſi item unam, verberatus quam pependi perpetem.
Eam quoque edepol etiam multo haec vicit longitudine.

Ver. 14. *Non fuit antea nec poſtea tam longa dies, obediente Domino voci hominis.*] Hinc vides naturalem diei ſignificationem eſſe ſolam ſideris ſupra horizontem moram, integram vero ejuſdem circumactionem eſſe non diem, ſed ἡμερονύκτιον (Hebraeis *diem ac noctem*) ut ad Gen. I. 5. & VII. 4. notavimus, contra quam nunc hujus temporis coſmographi vulgo faciunt.

Obediente Domino voci hominis.] In Hebraeo eſt tantum audiendi verbum, *audiente Domino vocem hominis*, ſicut & LXX. ὥστε ἐπακοῦσαι Θεὸν ἀνθρώπου: Chaldaeus ſic reddi poteſt: *Ut ſuſciperetur ante Dominum precatio hominis.* Quid ergo ſecutus eſt Noſter, ut verbo ſubjectionem (*obediente Domino*) notante uteretur? Nihil hîc ſane latet myſterii: nec appoſite puto, Divini Verbi praecones hanc Dei obedientiam multis interdum exaggerant, non ſolum contra textum Hebraicum, ſed & contra Latini Interpretis mentem, qui *obediendi* verbum propria *exaudiendi* notione eleganter uſurpavit, non ſecus ac Cornelius Nepos. *Quibus rex maxime obediat, eos habet inimiciſſimos.* Nec inſolens id porro fuit Noſtro interpreti; nam I. Sam. XV. 24. ſic poſuit, & *obediens* (Saul) *voci eorum*; ubi Hebraice Graeceque eſt, tantum *audiendi* verbum, quod & orationis συνεχείαν poſtulat. Ante Hieronymum alicubi legebatur hic locus, *Ut obediret Deus homini*, quia in Nobilio ita hic locus exſtat. In Philoxeni Gloſſis verbo Ἐπαχθῶ (quo hîc LXX. utuntur) reſpondet Latinum *Obaudio* (etſi mendoſe *Abaudio* ibi legitur); *Obaudio* autem Feſto, Appulcio, Tertulliano pro *Obedio* uſurpatur. Quid plura? *Obediente* non aliud quam *Exaudiente*, Gr. ἐπακούοντος, ut in LXX. legitur.

AD JOS. XVI. 1.

Cecidit quoque ſors filiorum Joſeph.] Hebraice hîc & in ſequentibus *exire ſors* dicitur, & eſt *Exire* de ſortibus ſollemne verbum, quod Homerus ἐκ δὲ κλῆρος θόρε dicere amat Il. XXIII. At *cadendi* verbum Latinis aeque ac Hebraeis uſitatum, ut Virg. Georg. IV. 164.

Sunt quibus ad portus cecidit cuſtodia ſorti.

de quo vide ad act. I. 26. Porro quae in libro hoc de ſortitione Chanaanitidis dicuntur, eadem uſurpata leges in omni vetere hiſtoria, quotieſcunque τῆς δορυκτήτου (*agri bello adquiſiti*) diviſio facienda erat. Strabo lib. VIII. pag. 366.

Καὶ

Καὶ ὑποβὰς, (Euripides) τὸν πάλαι φησὶν, ὃν Ηρακλεῖδαι περὶ τῆς χώρας ἐποιήσαντο· τὸν μὲν πρότερον γενέσθαι

Γαίης Λακαίνης κύριον, φαύλου χθονός.

τὸν δὲ δεύτερον Μεσσήνης,

Ἀρετὴν ἐχούσης μείζον', ἢ λόγῳ φράσαι.

Ac paullo inferius de ſorte loquens qua uſi ſunt Heraclidae in regione dividunda, priorem ait exiiſſe

Terrae Lacaenae dominum, non boni ſoli,

poſteriori vero Meſſenam ſorte obtigiſſe,

Aequare verbis cujus bonitatem haud queas.

AD JOS. XIX. 1.

Et egreſſa eſt ſors ſecunda filiorum Simeon.] Dixi ſupra XVI. 1. *Exeundi* verbum Hebraice in his locutionibus ſemper uſurpari: at hîc & ſupra XVIII. 11. & infra hoc cap. 17. 24. 32. 40. & XXI. 4. etiam Graeci interpretes ἐξῆλθεν habent. Latinis autem *Exeo* in diviſione agraria, quae ſortito fit, ſollemne fuit. Hygenus de limitibus agrorum: *Qui primi exierint, primam ſortem centuriarum tollere debebunt.* Et infra: *Ex his unum ſorti nomen inſcribemus, & quoto loco exierit, notabimus.* Vopiſcus Probo: *Omnis exercitus equum illum Probo duci dicavit, ipſis etiam militibus, quorum nomina exierant, id volentibus.* Lampridius Heliogabalo cap. 22. *Sortes ſane convivales . . . habuit tales, ut alius exiret Decem camelos, alius Decem muſcas &c.* Sic habet Palatini ſcriptura, quam tuetur Salmaſius. *Alius exiret* pro *alii exiret* ſors, cui inſcribebatur DECEM CAMELOS &c. Poſtremo & verbum *emergo* eadem notione uſurpavit Vopiſcus Probo: *Sed & iterum Probi nomen emerſit.* Id Homero eſt ἐξέθορε Il. XXIII. uti diximus ſupra ad XVI. 1.

AD JOS. XX. 2.

Quae hic πόλεις Φυγαδευτηρίων, *Vrbes fugitivorum*, in Graeca translatione appellantur, Gentilibus πόλεις ἱεραὶ καὶ ἄσυλοι (quarum non paucae in nummis ſic inſcriptae reperiuntur) nuncupabantur. Sed harum urbium ἀσυλία in quo ſita fuerint, haud facile dixerim. Polybius (apud Spanhemium pag. 783. initio) videtur interpretari ἀπορθήτους, ut omnis belli incommodi expertes eſſent. Videatur Spanhem. Editionis ult. ubi de urbibus ἀσύλοις.

AD JOS. XXII. 8.

Revertimini ad ſedes veſtras.] Heb. אָהֳלֵיכֶם *oholechem*, *ad tentoria veſtra*, ſive *ad praetenturas veſtras*, ſive caſtra. Sed Hieronymus videtur ſuo ſaeculo obſecutus, quo *ſedes*, ſive *ſedeta* dicebantur loca, quibus milites citra expeditionum neceſſitatem commorabantur; uti legitur Inſtit. Juſt. lib. 2. de milit. teſt. *Citra expeditionum neceſſitatem, in aliis locis, vel ſuis ſedibus degunt.* Antea *aedibus* legebatur, ſed Theophilus vertit ἐν τοῖς λεγομένοις ἑαυτοῖς σεδέτοις. Quae vox legitur l. 18. C. de Epiſc. aud. *In ſuis SEDETIS ſive ſtationibus.* In gloſſario nomico *ſedeta* ſunt προσέδραι. In aliis gloſſis: σεδέτοις, καθέδραις, προαστίοις. *Sedes* autem

pro

Digitized by Google

pro ſtativis ſaepe apud Vegetium, Ammianum, ejuſdemque aetatis ſcriptores occurrunt. Ammianus lib. 20. *Rediſe nunc ad ſedes*. Quae ſunt hîc ipſiſſima Hieronymianae verſionis verba. Idem Ammianus lib. XIV. 2. *Omne juventutis robur relictum in ſedibus acciverunt*. Ad quem locum vide Lindenbrogium. Vegetius II. 5. *Quae omnia in ſedibus, in itineribus, in omni exercitatione caſtrenſi univerſi milites & ſequi & intelligere conſueſcant*. Item III. 4. eos praecipue milites movere tumultum dicit, *qui in ſedibus otioſe delicateque vixerunt*. Et eodem lib. cap. ult. itemque l. ult. C. de teſt. mil. & l. ult. C. quibus non obſt. longi temp. praeſcr. Eâdem fortaſſe notione *ſedes* in vulgato interprete occurrit Jud. IX. 55. & XX. 33. quibus locis hebraice eſt מקום *makom*, *locus*.

AD JOS. XXII. 24.

Et non ea magis cogitatione atque tractatu (h. e. conſilio) *ut diceremus, cras dicent filii veſtri filiis noſtris: Quid vobis & Domino Deo Iſrael?*] In Gloſſario Nomico Τρακτάτος redditur Σκοπός. S. Cyprianus epiſtola LI. *Diu multumque tractatu* (i. e. conſilio) *inter nos habito*. Epiſt. 52. *Quamquam nobis ... placeat, quod & tu ipſe tractaſti*: h. e. cenſuiſti. Lucianus epiſt. ad Celerinum (ea eſt inter Cyprianicas 21.) *ſecundum praeceptum Pauli & noſtrum tractatum* h. e. conſilium. Clerus Romanus epiſt. 31. inter Cyprianicas; *Quamquam nobis in tam ingenti negotio placeat, quod & tu ipſe TRACTASTI* &c. h. e. conſilium iniiſti. Cangius nihil affert quod huc plane congruat.

AD JOS. XXIV. 2.

Trans fluvium habitaverunt patres veſtri ab initio: Thare pater Abraham, & (*pater* ut in Heb.) *Nachor: ſervieruntque diis alienis*.] Vulgo omnes interpretes, quos quidem ego norim, ex hoc loco Tharam & Nachorem in ſua patria idololatras fuiſſe concludunt. Quin & ipſum Abraham idololatricis cultibus implicitum aliquando fuiſſe narrant. Sed de Abraha erit infra peculiaris dicendi locus. Nunc ne Tharam quidem ac Nachorem fuiſſe aliquando idololatras ex hoc loco ſtatui poſſe ajo. Non enim illud *ſervieruntque diis alienis* referendum eſſe ad proxime praecedentes Tharam Abraham & Nachor puto (quorum nomina hîc παρένθετα eſſe contendo) ſed univerſe ad transfluviales; quorum ambitu poteſt quidem Thare comprehendi, ſed eatenus tantum ut fuerit transfluvialis, non vero ut etiam ſervierit diis alienis, quod *transfluvialibus* convenit, exceptis tamen excipiendis, puta Thare cum duobus filiis, quos parentheſis videtur opera dedita intercipere. Ergo Hebraica ſic αὐτολεξεί ſonant: *Trans fluvium habitaverunt patres veſtri a ſaeculo* (*Thare pater Abrahae, & idem pater* (2) *Nachoris*) *ſervieruntque diis alienis*. Vides plurativo numero verba *habitaverunt* & *ſervierunt* uſurpari, cum tamen unus Thare in recto nominetur, nam ceteri duo filii in obliquo ponuntur: quos idcirco parentheſi compeſcui, nequid cum diis alienis commune habeant. Atque eſt manifeſtum τὸ *Thare pater Abr.* &c. parentheſi eſſe includendum, tanquam extra ora-

(2) תרח אבי אברהם ואבי נחור *Thare pater Abraham & (ſupple ex Hebr. Abraham, idemque pater Nachor*. Vulgatus: *pater) Nachor*.

tionis feriem. Atqui ſi ita res ſe habet, inquies; quo iſthaec importuna de Thare mentio infercitur? Ajo, eſſe opportuniſſimam parentheſim eamque eſſe αἰτιολογικήν. Nam poterat quis excipere paternum quidem Hebraeorum genus fuiſſe tranſamnicum, maternum non item. Quibus Joſua occurrit, docens a Thare non tantum paternam ſtirpem per Abrahamum Iſaacum & Jacobum deſcendere, ſed & maternam per Nachorem. Nam a Nachore tum Rebecca ejus ex Bathuele neptis, tum Rachel & Lia ejuſdem ex Labano proneptes prodierunt. Ergo, ſi me audis, ſic poteſt hic locus παραφράζεσθαι. *Trans fluvium habitaverunt majores veſtri (nam unus idemque tranſamnicus Thare pater tum Abrahami fuit ex quo veſtrum paternum genus arceſſitur, tum & Nachoris, ex quo maternum) ſervieruntque illi majores veſtri diis alienis*. Nihil hîc de Tharae idololatria diſerte traditur; poteſtque crimen iſtud ad Abrahae majores alios ita rejici, ut Thare culpa vacaverit. Saltem ex hoc loco id non eruitur.

Imo ex Judith. V. 7. contrarium evincitur: *Hic* (Populus, i. e. Thare cum ſua familia) *primum in Meſopotamia habitavit, quoniam noluerunt ſequi deos patrum ſuorum, qui erant in terra Chaldaeorum*. Quod ſequitur autem ancipitem habet interpretationem; nam ubi *exceſſiſſe* dicuntur *de via parentum ſuorum* (καὶ ἐξέβησαν ἐξ ὁδῦ τῶν γονέων αὐτῶν) poteſt vel ſic intelligi, ut qui antea fuiſſent idololatrae, poſtea reſipuerint; vel ut nunquam ſe ſiverint contaminari. Ceteroqui ex facto Rachelis patris ſui, Theraphim furripientis, prona eſt ſuſpicio Nachoris ſaltem domum non immunem fuiſſe ab aliqua extranei cultus labecula.

De Abrahamo quod attinet: nullus eſt ſcripturae locus, qui hunc ſuperſtitionis manifeſtum efficiat. Nam quod Iſ. XLIII. 27. legitur *Pater tuus primus peccavit*; nec id certum eſt de Abrahamo intelligi; & ut id largiar, poteſt ad alia, quaevis Abrahae incogitantiae peccata referri; ſive ubi Saram uxorem ſuam eſſe negans, ejuſdem pudicitiam in diſcrimen adduxit; ſive (ſecundum Hieronymum & alios) ubi pollicenti Deo Chanaanitidis poſſeſſionem non ſatis credere viſus, ait Gen. XV. 8. *Domine Deus, unde ſcire poſſim, quod poſſeſſurus ſim eam?* Omnino ſiqua olim in Abrahamo labes idololatriae initio fuiſſet, id non omiſſum a Divinis eſſet ſcriptoribus, quippe quod Divina in eum beneficia illuſtriora redderet.

DIS-

DISSERTATIO

AD JOS. XIII. 9. 16. 25.

De multiplici AROER : ſive de glabretis, *quatenus hoc eſt Geographiae vocabulum, pro variis linguis diverſe redditum. Deque* Golgotha *ſeu* Calvaria. (*)

§. I.

De Aroër Biblico.

TEr in hoc capite AROER nominatur v. 9. 16. 25. & ita ut videatur duplex AROER conſtitui debere: una illa eſt de qua v. 9. & 16. quae *ſita* dicitur *in ripa torrentis Arnon*, altera (de qua v. 25.) quae vocatur *Aroër quae eſt contra Rabba*. Atque ego nolo hîc recoquere quae Relandus in ſua Paleſtina de his obſervavit pag. 582. 583. qui & tertiam Aroër agnoſcit in tribu Juda poſitam, de qua 1. Sam. XXX. 28. Nec equidem dubito, quin & alia loca fuerint ejuſdem nominis : veluti cum Iſ. XVII. 2. dicuntur *derelictae civitates Aroër*, nullam ex antedictis urbibus ibi decet intelligi, ſed regionem, quae plures civitates complectatur. Itaque ibi Grotius illum Syriae tractum interpretatur, qui Ptolomeo Αὐρὶτις appellatur, uti nunc apud geographum legitur : quae vox ab *Aroër* detorta videri poſſit. Alii Syriam aut Syriae partem eo loco intelligunt, maxime *Damaſcenam*. Atqui cum tam multa loca ſint eodem donata nomine, ſubit ſuſpicari, *Aroër* proprie ac primario aliquid ſignificare, quod quia pluribus locis conveniret, pluribus iiſdem locis nomen indiderit. Res ita ſe habet. Ab ערה *arah* quod eſt *nudare* reduplicatis litteris fit ערער *arar* aut cum ſtatu denſiore *hharbhar* quod Pſ. CII. 18. *nudatiſſimus* reddi ſolet. Alii *myricam* interpretantur, quod hîc locum non habet. Ab eo fit, univerſe loca arboribus nudata *Arar* aut *Aroër* Hebraeis fuiſſe dicta. Itaque Jer. XVII. 6. illud ſicut *Arar deſerti* haud ſignificat *myricam ſoliendinis* (quod aliqui volunt) ſed celebrem in ſolitudine locum ſtirpibus deſtitutum. Sic etiam Jer. LXVIII. 6. illud, *ſicut Aroër in deſerto*, non aliud quam dixi eſt, nim. deſerti *glabretum* : nam loca virgultis nuda Latini *glabreta*, Graeci φαλάκρας i. e. *calvitia* nuncupabant, de quo infra dicemus. Atque haec primaria Hebraicae vocis hujus ſignificatio fuit; unde intelligas, quemadmodum Graecis φαλάκρα & Latinis *glabreta* voces τοπικαὶ in geographia erant ad ea loca notanda, quae glabritatem praeſeferrent ; ſic etiam apud Hebraeos ſe rem habuiſſe. Quod cum dico non eo inficias, τὸ *Aroër* plurium civitatum aut locorum nomen proprium exſtitiſſe ; verum id contendo, civitatibus illis ex eo id nomen fuiſſe quaeſitum, quod in glabreto aliquo primitus conſtructae fuiſſent.

§. II.

De Aroër extra Paleſtinam diverſe pro linguarum diverſitate vocato.

Et hactenus de AROER Biblico. Nunc id danda eſt opera, num alibi extra Paleſtinam & extra Divinos libros id nominis reperiatur. Equidem non dubitabam, quin plurale GARGARA aut ſingulare *Gargaron* (quippe utroque modo ſcriptum ab antiquis legitur) quod eſt cacumen Idae montis in Myſia, huc maxime pertineret, eſt enim ipſiſſimum ערער *arar*, i. e. *glabretum*, quod ſupra poſuimus : niſi quod *Ain* in G tranſiit, id quod in *Gaza*, in *Gomorrha* & in ſexcentis aliis accidit. Ergo cum Myſiae loca pleraque orientales etymologias praeferant, de

(*) Hebraice Greceque ignari abſtineant ab hac Diſſertatione cenſeo : quod eo praedicitur, ne poſtea querelam obſcuritatis immerenti deferant.

qnibus in DODANIM diximus, GARGARA eſt ipſiſſimum Heb. *arar* ſive *gargar*, quod *nudatum* ſive *glabrum* notat, ob eam cauſam, quod is vertex cum ex vivo ſaxo conſiſteret, arboribus denudaretur. De Gargarenis ſaxis mentio eſt apud Aratum in Macrob. V. Sat. 20. ubi de Diotimo poëta ait, ὃς τὸ πέτρινον κάλυνε Γαργαρίων, *Qui rupibus haeret Gargaridûm*. Nam ſi urbs Gargarenorum quae ad radices montis poſita erat, in ſaxo ſtabat, quanto magis vertex, cui proprie *Gargarorum* nomen fuit? Nec mihi objicias illud Maronis 1. Geor. 103. *Et ipſa ſuas mirantur Gargara meſſes*, & illud pariter Senecae Phoeniſſis A&. IV. 608. *Hinc grata Cereri Gargara & dives ſolum*: ex quibus intelligitur, adeo non glabrum fuiſſe Gargarum, ut etiam a fecunditate celebraretur. Nam hi poëtae de agro Gargareno, qui urbi cognomini attribuebatur, non de ſpecula ipſa loquuntur; qua in ſpecula fruſtra eſt, ut quis frumenta ſata ſuſpiceatur. At Gargaro cacumini cognomine oppidum ſubjacebat, teſte Heſychio, Plinio V. 30. & copioſe Macrobio V. 20. quod oppidum agrum in planitie fertiliſſimum habebat: cum contra montem Homerus Il. Θ. 47. μυτίῃ ἐυρῇ Γάργαρα appellarit, tantum abeſt ut frugum ubertate ſe commendaret.

Et ita quidem olim conjectabam Gargarorum verticem a glabritie nomen ſibi quaeſiviſſe ac biblicae *Aroër* (*Ain* ut G pronuntiato) fuiſſe cognominem. At deinde in ea me opinione confirmavit Stephanus in Φαλάκρα, ubi duo docet, & glabros omnes montes fuiſſe Φαλάκρας dictos, & Idae montis vertieem ob eamdem cauſam appellatum fuiſſe φαλάκραν quod plantis careret. Ethnicographi locum inferne (1) ſubjeci. Ex quo fit manifeſtum, cum unus idemque vertex & *Gargaron* & φαλάκρα diceretur, tantumdem fuiſſe ſermone Phlegico גרע ſive *Gargarum*, quod Graecis φαλάκρα & Latinis *Glabretum* vocatur. De *glabretis* eſt apud Columellam II. 9. mentio. *Ea*, inquit, *glabreta ſignis adhibitis notari ſenvemus*.

Verum hactenus dictis intercedit Tzetzae auctoritas: qui ad illud Lycophronis φαλακρᾶς κόρυς, *Gargarum* a *Phalacra* diverſum facit. Huic difficultati ut apte reſpondeam neceſſe habeo Lycophronis prius, deinde & Scholiaſtae verba hîc apponere. Poëtae illi σκαπτοπάγες Paridis naves (quae in Ida fabricatae dicuntur) vocantur ver. 24. Πελαργοχρῶτες αἱ φαλακραῖαι κόραι. h. e. *Ciconipelles*, *Phalacraeae puellae*, ſive ut Scaliger ἐμπέπλους reddidit,

Ciconiveſtes pupulae Phalacriae.

Quo loco vates naves illas ſic *puellas* vocavit, ut Horatius *Sylvae filia nobilis*; & Coelius Firmianus Symphoſius in aenigmate de navi, *Frondoſae filia ſylvae*. Cur vero πελαργοχρῶτας dixerit, explicavit Euſtathius ad II. B. 144 nim. quia ciconias referrent, cum nigricantes ipſae, vela candida haberent. Poſtremo quod *Phalacraeas* nuncupaverit, hoc Tzetzes interpres tantumdem eſſe putat quod *Idaeas*, quod nim. in Ida exſtructae fuiſſent, cujus Idae vertex unus Phalacra vocetur. Deinde addit. Τέσσαρα γὰρ ἀκρωτήρια Ἴδης, Φαλάκρα, Λεκτὸν, Γάργαρον καὶ Πέργαμον. *Quatuor enim Idae montis juga fuere*, *Phalacra*, *Lectum*, *Gargaron*, & *Pergamon*. Vides ut Phalacram a Gargaro diverſam faciat. Poſtremo ait non opus eſſe *Phalacraeas* interpretari γυμνὰς *Idaeas*, ut ante fecerat; quia ex quorumdam opinione in *Phalacrae* ipſo cacumine re vera claſſis illa fabricata fuit; eumque ob immenſam inde caeſam materiam is vertex glaber evaſiſſet, ab illo tempore φαλάκραν appellatum. En ejus verba. Τοῖς δὲ ἐκεῖθεν (ἤγουν ἐκ τῆς φαλάκρας) λέγουσι τμηθῆναι τὰ ξύλα τὰ εἰς τὴν ναυπηγίαν τῶν Ἀλεξάνδρου πλοίων, ἐκ τούτου δὲ τοῦτο τὸ ὄρος ψιλωθὲν φαλάκραν κληθῆναι. *At quidam volunt, ex eo quod e Phalacra ſuccisa materia fuerit ad fabricandam Alexandri* (Helenam petituri) *claſſem*, & *quod ob id vertex ille deglabratus fuiſſet*, *hinc poſtea Phalacram fuiſſe appellatum*. Equidem neceſſe habui hanc totam Tzetzae narrationem hîc apponere, ut ſimul & grammatici ἀνωμαλία detegatur, & ut φαλάκραν a Gargaro diverſam non fuiſſe intelligatur.

(1) Stephanus dicto loco. ΦΑΛΑΚΡΑΙ ἄκρα τῆς Ἴδης, ἥτις οὐκ ἔχει ξύφυτον, διὰ τὸν χιόνα καὶ τὸν πρύτανιν, ἀλλ' ἐψίλωται. Καὶ πάντα δὲ τὰ ἐψιλωμένα ὄρη ἐλέγετο φαλάκραι. *Phalacrae eſt vertex Idae, qui nullas habet plantas propter nivem & glaciem*. (non ea eſt vera cauſa, ſed quod ex ſolido nudoque ſaxo conſtaret). *Quin & montes univerſi glabri dicebantur Phalacrae*. Ex ultimis Stephani verbis conjiceve licet, & φάλακρον Corcyrae ἀκρωτήριον, & φαλάκρας Libyae vicum (de utroque ibidem Stephanus agit) non aliam ob cauſam, quam glabritatis, id nomen ſibi peperiſſe. Adde & φαλάκρας Euboeae promontorium apud Heſychium: & quod Strabo lib. VII. φάλακρον Epiri promontorium agnoviſſe videtur. Haec loca omnia Latine *glabreta* interpretari poſſis; ut ſermone primitivo poſt Noachidarum διασπορὰν, fortaſſis ea omnia *Gargara* dicebantur, cujus nominis nunc tantum Graeca interpretatio ſuperfuit.

gatur. Etenim cum Scholiastes iste in Phalacra caesas arbores dicat; contra Ovidius in Gargaro succisas tradat, quis non τοπικὸν loco-rum animadvertat? Ergo apud Ovidium in epistola ad Helenam Paris sic loquitur *Ardua procerit spoliantur Gargara sylvis*: *Innumeraque mihi longa dat Ida trabes.* Uti hic credemus? Lycophroni ne qui naves illas Phalacraeas fecit, an Ovidio, qui Gargarenas? Utrique sane. Nam inter Lycophronem & Ovidium belle convenit: quos inter Graecus Scholiastes pugnam commisit, dum suo morosa diligentia *Gargaron* a *Phalacro* (nominum tantum diversitate, non certa auctoritate permotus) distinxit. Ergo sive in Phalacra sive Gargaro materiam excisam dicam, tantumdem erit; quia *Gargaron* & *Phalacra* unius ejusdemque cacuminis duo erant synonyma, non significatione, sed linguae dialecto tantum diversa; quia quod Hebraice *Gargara*, hoc ipsum φαλάκρα Graece significat, ut alterum alterius (quod saepe in nostris his curis animadvertimus) merum interpretamentum fuerit. Habes jam de *Gargaro* & φαλάκρᾳ Mysiae: quod *Gargarum* meo judicio ὁμώνυμον est Biblico *Aroër*; nisi quod in posteriore *Ain* neglectum fuit, quum in priore in G de more transisset; quorum utrumque exempla plane ψαμμοκόνια habet in iis nominibus Biblicis, in quibus Hebraico elemento *Ain* apud LXX. modo nihil, modo *Gamma* respondet. Vtrum vero & GARGANVS Apuliae mons eodem pertineat, plane praestare non audeo; quamquam elementum N, quod loco τῦ R in *Gargano* deprehenditur, non tanti est, ut non eâdem ὁμωνυμίᾳ frui possit; &, in quo caput est, Ptolomaeus Apuliae montem Γάργανον ὄρος cum R nuncupavit, fort. quia utroque modo antiquitus scribebatur. Nec nemora, quae in Gargano Horatius agnoscit, quidquam incommodi afferunt: nam circa glabrum verticem querceta inferne diffundi potuerunt, sive casu aliquo glabritas in δασύτητα postmodum transiit.

Atque haec de *Gargaris* deque Biblico *Aroër*, quatenus in vetere geographia loci glabritatem notabant. Vtrum vero e contrario montes SEIR propter δασύτητα sic fuerint appellati, quod ὑπερυχοὶ h. e. *pilosi* essent ac densis arboribus virentes (שעיר *seir* enim *pilosum* notat) praesertim cum alicubi apud Josuam monti glabro opponi videantur, aut saltem cum eo jungantur; praestare non aulim. Nam ex Gen. XXXVI. 20. montana *Seir* de nomine *Seir* Choritae cujusdam dicta videntur.

§. III.

De Golgothae & κρανίου & Calvariae *vera nominis interpretatione. Ad Matt.* XXVII. 33.

Et hactenus ostensum fuit τῷ *Aroër* sive *Gargaro* Graece φαλάκρᾳ respondisse, utrique vero Latine *Glabretum*. Nunc alia porro ejusdem significantiae nomina Divinis Evangelistis debeo, apud quos & Syrum Golgotha, & Hellenisticum κρανίου, & *Calvariae* Latinum eamdem, nisi vehementer fallor, notionem imbibunt, quam Heb. *Aroër* & *Gargaron* & φαλάκρᾳ & *glabretum*. A Golgotha incipio: & *venerunt* (ait Matthaeus) *in locum qui dicitur Golgotha, quod est Calvariae locus*. Male quidam hoc nomen ita interpretantur, quasi in Golgotha & *loci* & *calvariae* insit significatio. Nam Marci XV. 22. dicitur: *Et perducunt illum in Golgotha locum, quod est interpretatum Calvariae locus*: itaut *Golgothae Calvaria* respondeat: vox vero *Locus* tum Syriaco tum Latino vocabulo extrinsecus accedat. Quod & ex Joanne XIX. 17. est manifestius: *Exivit in eum, qui dicitur CALVARIAE locus, Hebraice autem GOLGOTA*. In hoc autem Chaldaico nomine scribendo hîc alterum L deperiit. Nam Chaldaice erat גלגולתא *Gulgoleth*, aut in forma emphatica, גלגלתא *Gulgaltha* i. e. *Calvaria*. At Syri L unum eliserunt, quibus ea vox גגלתא *Gogultho*, aut penult. correpta גגלתא *Goglotha* scriberetur. (2) Hoc posterius deinde ita Judaei Hellenistae sunt imitati, ut etiam luxatis litteris Γολγοθᾶ scriberent.

Et *Golgotha* quidem *calvariam* significat. Nunc illud quaero, cur collis ille *Calvariae* nomen adeptus fuerit. Ab Adami ibi sepulti calvaria ita fuisse appellatum, in Ambrosio & Hieronymo scriptum reperitur. Alii a cacuminis illius rotunditate ita ut cranium referret: quod & in Ferrarii Lexico Syriaco & in Relandi Palestina, ubi de Jerusalem in fine, reperio. Alii postremo ab hominum ibi extremo supplicio affectorum calvariis.

Equi-

(2) Buxtorfius in Lexico Chald. in rad. גלל in hoc vocabulo ait, Syrum גגלתא *Gogultho* significare *Calvariae locum*. Male: nam eo nomine tantum *Calvaria* sive *cranium* venit, aut vero etiam (si Ferrario id dare volumus) *locus rotundus*, ad calvariae instar scilicet: at compositum esse nomen ex loco & calvaria, nemo id ei accredet.

Equidem longe aliter sentio. Suspicor enim, id nomen ei huesisse loco, quod nudatus arboribus, calvariae speciem praeseferret. Et hunc quidem montem ex saxo constitisse, vel sepulcrum, in quo CHRISTVS jacuit, in rupe excisum, docebit. Quod autem id sepulcrum in horto fuisse scribitur, noli de horto consito cogitare: nam *hortus* erat ex eo genere, quo monumentum ambiebatur. Vide mihi dicta ad Evangelia *De Cenotaphio CHRISTI DOMINI*.

At vero loca ab arboribus aut a satis nuda, *Glabreta*, ut ante dictum, Latini vocabant: quo & Plinii & Catonis *calvata vinea* pertinet. Id vero nominis maxime in montium cacuminibus usurpabatur, quae ubi stirpibus denudata essent, φαλάκρωμα i. e. *calvitia* vocabantur. Id quod Stephanus aperte docet in loco jam supra adscripto.

At inquiet aliquis, *Golgothae* & κρανίῳ & *Calvariae* nomine non *glabritatem* (quod cutis vitium est) notari, sed os *cranii* notissimum, quo cerebrum continetur.

Hanc difficultatem ubi diluerimus, tum vero manifestum erit, a loci glabritate hunc montem invenisse nomen, perinde ut *Aroër* & *Gargara* & φαλάκρωμα, & *glabreta*. Jam primum omnium, quod ad Syriacum & Chald. *Golgotha* pertinet, origo saltem nominis illius *glabritatem* notat; nam venit ab גלל *galal*, quod saepe non tam est *volvere* seu κυλίειν quam ἀπαιρεῖν h. e. *auferre*, ut illud Josuae *Hodie abstuli opprobrium Aegypti*: ad quem locum plura diximus, quae huc conferre possis, ut & dicta de *Gallorum* sacerdotum etymologia in nostro Vossiani Etymologici Auctario. Ergo verbum istud de qualibet mutilatione usurpatur, ac sicuti de exsecto praeputio, deque virilitate amputata, sic etiam de capite abraso, ac denudato ἀναλογικῶς usurpari potuit.

Verum non id agimus, ut eam notionem τῷ *Golgotha* inesse potuisse ostendamus, sed reipsa fuisse subjectam. Id vero patet ex Hellenistica interpretatione τὸ κρανίου. Nam quid sit proprie Κρανίον, ostendit ejus Latina interpretatio, *calvaria* hujus loci. Nec enim proprie ac primario *calvaria* interiora ossis illius *calvariae* notant, quae sinu suo cerebrum continent; sed ipsam *calvitiem*. In Cyrilli Glossis φαλάκρα exponitur CALVARIA & in aliis veteribus Glossis CALVARIVM: ex quo intelligitur primario *calvarium* tantumdem fuisse, quod *calvitium*. Deinde si in usum vocis ΚΡΑΝΙΟΝ intuemur, ea vox in Geographicis non aliud notasse videtur, quam loci asperitatem ac sterilitatem; sic & Corinthi gymnasium ΚΡΑΝΕΙΟΝ & in Cephallenia oppidum ΚΡΑΝΙΟΝ ob eam causam nomen adepta videntur: & κραναὸς ubi de tellure usurpatur, locum *asperum* & *sterilem* notat.

Postremo vel si demus, in hoc Evangelii loco τὸ *Golgotha*, & Gr. Κρανίον, & Latinum *Calvariae* vocabulum non aliud significasse, quam os illud in capite quod *Cranium* appellamus: vel sic tamen φαλάκρα & *glabritas* loci significabitur. Nam ideirco vertex ille *Cranium* dicebatur, quia nudatus stirpibus, speciem humani cranii praeseferebat, a quo non tantum comae sed & cutis detracta esset. Ita vertex ille & sua rotunditate & colore (quippe e vivo saxo consistens) & glabritate procul contemplantibus humanum cranium detracto corio referebat. Ita quae loca olim *Aroër*, *Gargara*, φαλάκρωμα, *glabreta* dicebantur, alibi eadem & *Golgotha*, & Κρανία, & *calvariae*, pari significationis potestate appellabantur.

SPI-

SPICILEGIVM BIBLICVM IN JVDICVM LIBRVM.

PROLOGVS.

JUdicis *munus* (*modo rei magis, quam nominis vim teneamus*) *apud vetuſtos Hebraeos* Servatorem *in primis, deinde & arbitrum controverſiarum notabat*: *id quod ex ſexcentis hujus libri locis poteſt intelligi, quibus hujus magiſtratus munus ac tota vis in eo ponitur, ut ſalvum faciat populum, eumque ubi conſilio & armis opus, a ſervitute in libertatem aſſerat. Et quidem verbum* שפט ſchaphat *non eſt* judicare *tantum, ſed* regere, *ſed* jure dicundo gubernare, tueri, ſalvare. *Ac locus ille Pſalmorum ab ea notione non abhorret, ubi dicitur* Judicare pupillo & humili, *& alia in eum modum, ubi quid quaeſo aliud eſt* judicare, *quam* ſalutem afferre *populo & a vexatoribus vindicare?*

Et quidem non aliud apud Graecorum vetuſtiſſimos nomen ἄναχτος (*quod eſt altero* Βασιλεὺς *non paullo antiquius*) *notabat: quod poteſt ex Homero intelligi Il. I.* 402. *de Scamandrio Hectoris filio, quem* Aſtyanacta *vocatum notat, quod pater ejus unicus eſſet* ἄϛεος ἄναξ *i. e.* urbis ſervator.

Τὸν ῥ' Ἕκτωρ καλέεσκε Σκαμάνδριον, αὐτὰρ οἱ ἄλλοι
Ἀστυάνακτ', οἷος γὰρ ἐρύετο Ἴλιον Ἕκτωρ.
Dictus is a genitore Scamandrius, a reliquis ſed
Aſtyanax, urbem ſolus quod ſoſpitet Hector.

Hoc ipſum Il. X. 506. *inſinuatur. Hinc Dii* σωτῆρες, *iidem & ἄναχτες paſſim dicebantur. Accedit &* Ἄναχτος *etymon, in quo aſſignando merae a grammaticis tenebrae effunduntur; ut fere ſolet in iis nominibus, quae ab oriente manarunt. At vera, niſi vehementer fallor, originatio eſt ab* ἄναχες, *quo nomine Dioſcuri aliique Divi-potes & ſervatores intelliguntur.* Ἄναχες *autem ab* ענקים anakim *ſive ab iis* Anakidis *veniunt, quos ſacra hiſtoria pluries memorat in Deut. Joſua & alibi.*

Ceterum ut multa Moſes circa reipſ. adminiſtrandae rationem a ſocero Jetro ſeu Raguele didicit; ſic Judicum *nomen & poteſtatem ab eodem Jetro auctore fluxiſſe & ad Hebraeorum Judices traductum, non dubito. Erat enim Raguel ipſe Madianitarum* Judex, *a quo Moſes ejusdem magiſtratus & nomen & formam accepit. De judice Raguele apud Ezechielem ſatis vetuſtum Judaeorum tragoedum (de quo initio Exodi & paſſim in decurſu libri plura dixi) haec in* ἐξαγωγῇ *Sepphora loquens inducitur:*

Ἄρχει δὲ πόλεως τῆσδε, καὶ κρίνει βροτοὺς
Ἱερεὺς, ὃς ἐστ' ἐμοῦτε καὶ τούτων πατήρ.
Praeſidet at urbi, nempe populum judicans
Sacrificus, idem meus & iſtarum parens.

Niſi vero judices longe vetuſtiores in gente Iſraëlitica fuere, ut pluribus alicubi demonſtraſſe videor.

Ergo

Ergo poſt Moſis mortem Joſua judicatum arripuit: huic Judas cum fratre Simeone ſucceſſit: poſt hos duos vero Judicum imperium non perpetuum fuiſſe, ſed bellis exortis aut qua alia urgente neceſſitate ad judicis creationem ventum fuiſſe videtur. Tale ferme Dictatoris imperium apud Romanos fuit, quocum ſolent viri docti Iſraëlitarum Sufetem *ſive* Judicem *conferre. Tamen ingens inter Dictatorem Romanum interque Hebraeum Sufetem ſive Judicem diſcrimen erat; quia Dictatore abdicante non deerat imperium Conſulare, at Judice ſive morte ſive quo alio caſu ceſſante,* ἀναρχία *(quae interdum diuturna) fiebat. Si ſimilis poteſtatis inveniendae cupido ſtimulat; talem potius Lucanorum Regem antiquitus fuiſſe invenio, auctore Strabone lib. VI. pag. 254.* τὸν μὲν ὖν ἄλλον χρόνον ἐδημοκρατοῦντο· ἐν δὲ τοῖς πολέμοις ἡρεῖτο Βασιλεὺς ὑπὸ τῶν νεμομένων ἀρχάς. Reliquo tempore popularis apud eos reip. adminiſtratio gerebatur; ſed appetente aliquo bello rex creabatur ab iis quorum erat magiſtratus deſignare. *Nec alia porro deerunt exempla rimantibus.*

Verum id certum arbitror, Moſem, poſtquam rem Judicum *a Raguele ſocero didicit, ac Joſuam poſt ſe judicem ordinavit, hunc in ea regiminis forma pluribus circa gentibus imitationi fuiſſe, praecipue Poenis, quorum magiſtratus non aliud nomen quam* Judices *Hebraeorum ſexebant; utrique enim* שֹׁפְטִים Sophetim *ſive* Sufetes *vocabantur. Ac Poenorum* Suphetes *ad illius reipublicae uſque finem durarunt. In Italia vero Campanorum, ceterorumque Etruſcorum reſpublicae ſummo ſuo magiſtratui* Medix *(ſive* Medinx *ab Heb.* מדין medin *i. e.* Judex *) nomen impoſuerunt. Abſtineo pluribus, ex quibus oſtenditur,* Judicum *nomen quam longe lateque poſt Moſem pro poteſtate ſumma propagatum fuerit.*

AD JVD. III. 9.

Qui excitavit eis Salvatorem,] Supple reipublicae. In epiſtola ſynodi Ariminenſis ad Conſtantium legebatur: *Per ipſum Deum & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Salvatorem imperii tui;* quod apud Socratem II. 37. vertitur τῆς σῆς βασιλείας φυτῷ. Eâdem notione apud Gruterum pag. 19. n. 5. *Jovi. Cuſtodi. Quirino. Salvatori. pro. Salute. Caeſaris. Nervae. Trajani. Aug.* Obiter caveant adoleſcentes, ne *Salvatoris* vocabulum traducant uti barbarum; necdum enim Trajano imperante h. e. ineunte altero Chriſti ſaeculo barbaries invaſerat Latium. His adde vetuſtiſſima Scripturarum loca aetatis ejuſdem in ſinceris Martyrum vetuſtiſſimis Actis uſurpata & in Tertulliano & aliis antiquis, & in Sabbaterii Italica Bibliorum verſione; ex quibus *Salvatoris* nomine nihil fuiſſe vetuſtius deprehenditur.

AD JVD. IV. 21.

Tulit itaque Jahel uxor Haber clavum tabernaculi, aſſumens pariter & malleum; & . . . *poſuit ſupra tempus capitis ejus clavum, percuſſitque malleo defixit in cerebrum uſque ad terram.*] *Fortiſſima Tyndaridarum*, ut Horatii verbo utar. In quadam urna Etruſca (quae Peruſiae exſtans refertur a Maffeio tom. 4. *Obſervationum litterariarum* pag. 93.) mulier alata clavum in pectore neſcio cujus herois aut ducis defigit. Etruſcos autem ab oriente profectos, alibi pluries copioſe demonſtravi; illinc hoc tormenti genus detuliſſe, credibile eſt. Huc etiam refer Horatii loca duo, unum III. 14. *Figit adamantinos Summis verticibus dira neceſſitas Clavos*; alterum I. 35. *Te* (fortunam alloquitur) *ſemper anteit ſaeva neceſſitas, Clavos*

Clavos trabales & cuneos manu Geſtans abena : nec ſeverus Vncus abeſt, liquidumque plumbum. Quae explicuimus Diſſert. ad Luc. XXI. 23. ubi de ἀνάγκης notione.

AD IVD. IV. 23.

Humiliavit ergo Deus in die illo Jabin regem Chanaan coram filiis Iſraël.] Hîc & non raro alias (veluti cum dicitur *Ceciderunt in die illo tot &c.*) *Diei* vox praelium ſignificat, quod & hodie vernaculo Italorum, Hiſpanorum, Francorum ſermone, frequens, & ex Latinis Livius certe non ſemel uſurpavit: apud quem lib. XXVII. 13. militum ſuorum ab Hannibale fugatorum ignaviam increpanti pro concione Marcello, ſucclamatum: *Vt veniam ejus DIEI daret: ubi vellet deinde experiretur militum ſuorum animos*. Non enim hoc volunt milites, ut quandocunque alias, praeter quam eodem illo die ſignum pugnae proponeret; ſed ut omnino ejus *diei* h. e. praelii ignominiam ignoſceret; uti colligitur ex Marcelli reſponſo: *Ego vero experiar, inquit, milites, & vos craſtina die in aciem educam, ut victores potius quam victi VENIAM IMPETRETIS, QVAM PETITIS*. Ad haec Caeſar nuſquam non ea notione utitur. Inſignis prae ceteris locus eſt in V. de bel. Gal. 17. qui locus non poteſt aliter accipi. *Hic DIES*, inquit, *noſtris longe graviſſimus fuit, ſed tamen hunc habuit eventum, ut eo DIE maximus numerus boſtium vulneraretur atque interficeretur*. Vbi vides priore loco non poſſe non *praelium* ſignificari, at poſteriore poſſe ſive μάχην, ſive ἡμέραν notari. Ad quaedam N. T. loca me attuliſſe memini exempla plurima & apertiora. Adde & ex marmorum titulis. Apud Grut. 404. 2. DIEM (i. e. certamen) GLADIATORVM . ET . OMNEM . APPARATVM . PECVNIA . SVA . EDIDIT . Grut. 475. 3. *Quod munus familiae gladiatoriae ex pecunia ſua DIEM PRIVATVM ſecundum dignitatem coloniae ediderit*.

AD IVD. XII. 5. 6.

Ver. 5. *Occupaveruntque Galaaditae vada Jordanis, per quae Ephraim reverſurus erat. Cumque veniſſet ad ea de Ephraim numero* (aliquis) *fugiens, atque dixiſſet: Obſecro, ut me tranſire permittatis; dicebant ei Galaaditae: Numquid Ephrataeus es? Quo dicente, Non ſum* (Ver. 6.) *interrogabant eum: Dic ergo SCIBBOLETH, quod interpretatur Spica. Qui reſpondebat, SIBBOLETH, eâdem litterâ ſpicam exprimere non valens. Statimque apprehenſum jugulabant in ipſo Jordanis tranſitu. Et ceciderunt in illo tempore de Ephraim quadraginta duo millia*.

Res ita ſe habet. Littera שׁ, ſi punctum in dextro cornu gerat, molliter pronuntiatur, veluti ſi poſt SC vocalis I ſequatur; ut שׁמר effertur non *Samar*, ſed *ſciamar:* ac multo id magis, ſi ſequens vocalis ſit ipſum I ut accidit in *Scibolet* & in vocabulo (1) τεχνικῷ *Sibbolet*. At ſi punctum in ſiniſtro ſit; erit pronuntiatio

(1) De *Scibbolet* ſic habeto. שבלת *ſcibboleth* punctum gerens in cornu dextro primae litterae vox Hebraea eſt modo *ſpicam*, modo *fluentum* ſignificans. At grammatici ad hanc Galaaditas inter & Ephrataeos concertationem alludentes, commenti ſunt vocem alteram *Sibboleth*, in qua nim. punctum in laevo cornu primae literae vocis ejus inſideat. Ac *Sibboleth* iſtud alterum ita ſcriptum nihil apud Hebraeos ſignificat niſi quod apud grammaticos vox eſt mere *technica*, & ex alluſione ad hanc Galaaditicam aſtutiam excogitata, ut Galaaditae ab Ephraimitis ſecernerentur.

durior, veluti *Sibboleth*. Atque Ephratenſibus hoc vitio linguae inſitum erat, ut in vocis *Scibboleth* prima ſyllaba non *Sci*, efferrent, ſed *Si* aut (uti ſuſpicor) *Shi* nempe influentes ipſi ex gutture de ſuo aliquid. Atque ex hoc diſcerniculo Ephrataeorum (2) plurimi ceciderunt.

Ad ſignificatum vocis *Sibboleth* quod attinet, pro *Spica* vulgo id accipi, ſatis ſcio. Sed tamen quia eadem vox interdum *Fluentum* notat, mallem hîc pro fluento accipi; quia de amni trajiciendo controverſia erat. Ergo cum vox deligenda fuit ad experiundum, utrum in vocis ejus pronuntiatione Ephrataeum guttur ſe proderet; nihil erat promptius quam ex iis ipſis vocibus, quae in ea diſceptatione viris Ephrataeis (pro modulo ſuo proferentibus) exciderant, τὸ *Scibboleth* (quatenus ſcil. *fluentum* notat) deligere: quae certe dictio tunc quam ſaepiſſime inciderit neceſſe eſt. Nam quatenus *Sibbolet* eſt *ſpica*, fuiſſet de longinquo arceſſitum nomen. Quo enim *ſpicae* meminiſſe in mentem veniſſet? Hactenus dictis favent orientales (3) interpretes Jonathan, Syrus & Arabs. Imo & vetus fabella in ore accolarum Vulturni fluminis favet: quam, utpote de trivio petitam malo ſeorſum (4) a curioſis cognoſci.

Et ceciderunt in illo tempore de Ephraim XLII millia.] Ineptum eſſet ab illo tempore has 42. chiliadas numerare, ex quo *Sibboleth* non recte efferebatur: cum ab eo tempore haud dubie ſint computandae ex quo ſup. v. 1. 2. 3. 4. mutuae inter Ephraim, & Galaad exortae lites, & ex litibus praelia fuerint. Vide quae ſupra dixi Adn. 2.

AD

(2) Supra v. 6. *ſtatimque* (cum qui *Sibboleth pro Scibboleth* extuliſſet) jugulabant. Ac ſequitur: *Et ceciderunt in illo tempore de Ephraim XLII millia*. Sed quaeſo ecquo pacto Ephraimitae, tranſitum ſigillatim poſtulantes, ad XLII. millia caedi *ſigillatim* potuiſſent? Reſponſio promptiſſima. In paucisſimis quae ſupra recitavi verbis duo diſtinguenda. Prius eſt tranſiturorum examen, & ſi quidem *Scibboleth* non rite extuliſſent, jugulatio. Atque hoc examen pauciſſimos Ephrataeorum (quippe ſigillatim ad vada accedentium) de medio ſuſtulit. At quod heic ἀμέσως ſequitur (*& ceciderunt de Ephraim XLII millia*) hoc vero ad praelia ab initio belli hujus commiſſa pertinet, de quibus libri auctor a principio narravit ver. 3. 4. 5. Ergo pauca verba, quae hîc modo adſcripſi integram ſummam occiſorum continent, tum ſingulorum tranſire cupientium tum inprimis illorum plurimorum in certaminibus enectorum, de quibus hoc cap. V. 3. 4. 5.

(3) In Targum Ionathanis ita hoc redditur, *Dic nunc* (שבלחא) *ſcibbaltâ*: & *dixit* (סובלחא) *ſubbalta*. Inter utrumque eſt diſcrimen illud quod *ſcibbalta* cum littera ב vere Galaaditicum eſt: at cum ס (quod tamen etiam ſua quadam aſpiratione eſt juvandum) eſt Epraimiticum. Par in Syra verſione ratio; nam Galaaditicum *Sceble* eſt: at alterum *Seble* ex vitio gutturis ortum. Nec ſecus in Arabica verſione, in qua quod Galaaditica dialecto eſt *Scebla*, hoc in altera *Sebla* effertur. Sed Epraimitica pronuntiatio ſemper erat juvanda gutture.

(4) Haec altera pronuntiandi ratio illa eſt, qua ש cum puncto in cornu ſiniſtro effertur, & ejuſmodi eſt, ut inter S eique ſubjectam vocalem duae gutture animatae litterae interjiciantur nim. SH: quam pronuntiandi vim ex ruſticis noſtratibus didici. Itaque cum Capuae in porta vectigal neſcio quod a viatoribus exteris portorii nomine exigeretur; erant qui ſe falſo pro Capuenſibus gererent, ne nummulos illos ſolverent. At ubi exactoribus de fraude ſubolebat, viatores per pronuntiationis ſpecimina tentabantur, ac proferre vocem *Sciummo* (ſic Capuae ruſtici *Flumen* enuntiant) cogebantur. Tum utpote *Scibbolet* Hebraicum exprimere ignari, ad illud Ephraimiticum ac ruſticum *Shibolet* ſe convertebant; ac pro vernaculo Capuenſium *Sciummo*, proferebant *Sifummo*, monticolarum ac ſylvicolarum abnorme vocabulum: quo mihi ſane hi noſtri videntur Ephraimitas in efferendo *Shibbolet* vi cogente imitati, ſteuti & ſignificatu ſequebantur, quia *Shibbolet* Ephrataeum idem ac *fluentum* erat, uti ſupra initio dixi.

AD IVD. XIV. 12. 13.

Proponam vobis problema.] Heb. אחודה *achudah* h. e. αἰνίξομαι. De חידות *chidoth* aenigmatibus, quae Graeci γρίφους appellant, vide nobis dicta ad Prov. I. 6. & ex profanis ſcriptoribus quos ibi allegavi, cum primis Athenaeum, & ibi adnotata a Caſaubono.

Quod ſi ſolveritis mihi intra ſeptem dies convivii, dabo vobis triginta ſindones & totidem tunicas: ſin autem . . . vos dabitis mihi &c.] Non tantum γρίφων convivalium, (de quibus fuſe Athenaeus & Caſaubonus) hinc patet antiquitas & origo ab orientalibus (apud quos etiamnum floret id ſtudium) ad Graecos propagata, verum etiam & eorumdem natura. Hanc enim γρίφου definitionem ibi ex Clearcho affert Athenaeus lib. X. Γρίφος, πρόβλημά ἐστι παιστικὸν, προτακτικὸν, διὰ ζητήσεως εὑρεῖν τῇ διανοίᾳ τὸ προβληθὲν, τιμῆς ἢ ἐπιζημίου χάριν εἰρημένον. *Griphus eſt problema ludicrum, quo imperatur, ut inquiſitione mentis, quod propoſitum eſt perveſtigetur: honoris aut multae gratia in medium prolatum.* In hoc Samſonis ſcirpo multam ſimul ſtatutam vides. At Regina illa Sabae, quae Salomonis ſapientiam per aenigmata multa (3. Reg. X. 1.) exploravit, τιμῆς non ἐπιζημίου rationem habuit; nam protinus exclamavit, ſe Salomonis ſapientiam multo majorem, quam expectaverat, comperiſſe.

AD IVD. XV. 8.

Percuſſitque eos (Philiſthaeos) *ingenti plaga, ita ut ſtupentes ſuram femori imponerent. Et deſcendens habitavit in ſpelunca petrae Etam.*] Locus eſt in Hebraeo αὐτολεξεὶ ita conceptus: *Et percuſſit eos* (שוק על ירך *ſhok al jarech*) *coxa ſuper femur, plagâ magnâ.* LXX totidem ex Hebraeo verbis: *Et percuſſit eos* (κνήμην ἐπὶ μηρὸν) *tibiam ſuper femur plagam magnam.* Jonathan: *Et percuſſit eos, equites ſuper pedites percuſſione magna.* Syrus: *Et inflixit eis plagam a cruribus eorum uſque ad femora ipſorum, plagam*, inquam, *acerrimam.* Arabs a Syro hoc differt, quod *A pedibus* pro *A cruribus* poſuit. Ex verſionibus ante-Hieronymianis Ambroſius ep. ad Vigilium eadem liberius vertens, & ſententiae inhaerens, ita poſuit: *Sed concidit eos ſtrage maxima, plurimique eorum ferro interiere.* Poſtremo ex Auguſtini Locutionibus apud Sabbaterium haec pauca hujus loci exſtant: *Et percuſſit eos tibiam ſuper femur.*

Mihi porro Vulgatam verſionem conſideranti mirum videbatur, Hieronymum (cujus verſio initio poſita) tam longe a ceteris abiiſſe: qui τὸ *Stupentes* (cui nihil in fonte reſpondet) de ſuo addens, ultima etiam commatis hujus ad merum ſtuporem refert. Nec tamen poſſum ab Hieronymo diſſidere, putante, illud Hebraicum *Shok al jerech* (h. e. *ſuram ſupra femur*) παρεντίθεσθαι, atque interpoſitum per ſe ſtare. Sura autem femori impoſita mentis alienatae indicium eſſe videtur, ubi animo extra ſe rapto, membra a poſitu naturali dimoventur. Ergo ſi quaeras ecquid in Philiſthaeis ſura femori impoſita notaverit; ajo mentem ob caedes, ob ſegetes crematas &c. alienatam notaſſe: id quod & in Socratis morte vicina idem poſitus videtur ſignificaſſe. Locus apud Platonem exſtat non longe a Phaedonis initio his verbis: ὁ δὲ Σωκράτης ἀνακαθιζόμενος εἰς τὴν κλίνην, συνέκαμψέ τε τὸ σκέλος, καὶ ἔτριψε τῇ χειρί. *At Socrates adſidens lectulo, crus flexuoſe contraxit, & manu confricavit.* Platonicum iſtud συνέκαμψε τὸ

σκέλος (quod alii aliter reddiderunt) reſpondere videtur Biblico commati hîc interjecto *coxa ſuper femur*: quem expreſſiſſe ſitum mors inſtans videtur. Fatetur ergo per haec Plato, animum, inſtante morte, ſenſiſſe humanitus aliquid, quo corpus percelleretur, integra tamen ſemper & inconcuſſa mente. Vno verbo: Quod erat in Socrate αἰσθητικὸν, id in corpus ejus agebat: at motus illos vi animi mentiſque celſitudine vir ſapiens compreſſit. Id ſaltem intempeſtivis illis magiſtri ſui geſtibus Plato notari putavit. Ad ſummam habere omnino videtur aliquid ſupraſcriptus Judicum locus cum Platonis loco commune. Ac poſtremo fateamur oportet antiquorum geſticulationem fuiſſe loquacem: ſed tum ejus, tum & notarum veterum intellectum, ac tot alia ſaeculorum oblivione deleta.

AD JVD. XVI. 3.

Apprehendit ambas portae fores cum poſtibus ſuis & ſera.] Conferantur Heb. & Verſiones, & Joſephus, & Ambroſ. ep. 19. ad Vigil. n. 25. *Columnas* (eae ſunt παραστάδες, ſive *poſtes*) *domus* (fort. pro *domus* legendum DVAS) *manibus amplexus, materiem totam* (ea eſt Joſephi ξύλωσις) *& culminis molem cervice valida ſuſtentans.* Videatur notator San-Maurinus. Culmen aut eſt tympanum portae imminens; aut falſus eſt Ambroſius ab Joſepho. Videantur qui de januis veterum egerunt.

AD JVD. XVI. 13.

Si ſeptem crines capitis mei cum licio plexueris, & clavum his circumligatum terrae fixeris, infirmus ero.] S. Ambroſius epiſtola ad Vigilium (XIX. n. 28.) ſic narrat: *Si diſſoluti eſſent crines ſeptem capitis ſui, & quaſi in cubitum intexti, diſcederet ab eo virtus ſua.* Illud *In cubitum intexti* vinculi genus notat, quod ἀγκωνόδεσμος vocabatur. Videatur Heb. & 70. & critici, & in vet. lexicographis vox ea Graeca.

AD JVD. XVI. 29.

Et apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus, alteramque earum dextra, & alteram laeva tenens . . . Concuſſiſque fortiter columnis, cecidit domus ſuper omnes principes &c.] Invenias apud Strabonem lib. VI. ineunte pag. 263. de Milone Crotoniate quae a tanta hac Samſonis fortitudine non abludant: niſi quod contrario prorſus facinoris exitu uſus Crotoniates ſeq. alioſque ſervavit. φασὶ δὲ ἐν τῷ συσσιτίῳ ποτὲ ποήσαντος ξύλα, τὸν Μίλωνα ὑποδύντα σῶσαι ἅπαντας, ὑποσπάσαι δὲ ἑαυτόν. *Hunc ferunt aliquando columna in philoſophorum* (Pythagoreorum, quorum condiſcipulus & ipſe Milon) *contubernio ruinam minante, ſuccollando ſubiiſſe, eoque pacto & reliquos ſervaſſe omnes, & ſe porro ipſum ſubduxiſſe ruinae.* At idem tamen Milon lignum praegrande manibus diſciſſurus, decidentibus primo cuneis, mox & coëunte ligno, impeditus, feris de ſe pabulum praebuit; ut ibidem narrat Geographus.

AD JVD. XVI. 30.

Ait: Moriatur anima mea cum Philiſtiim.] Iracunde quidem factum; ſed tamen non ſine afflatu Numinis; quod ſi verum, tum αὐτοχειρία iſta aeternae Sampſonis ſaluti non obſtiterit. Cum ceteroqui, (ſi κατ' ἄνθρωπον hoc factum ſpectetur) videatur ei Heracliti dictum (apud Jamblicum in Hortat. ad philoſophiam pag. 140.) pulchre quadrare: θυμῷ μάχεσθαι χαλεπόν· ὃ, τι γὰρ ἂν χρήζῃ

χρήζῃ γίγνεσθαι, ψυχῆς ὠνέεται. *Irae repugnare arduum eſt; nam quae fieri cupit, vel vitae pretio emit.* Vbi & ψυχὴν pro vita poſitam ut in Scripturis ſaepiſſime, vides: quod & Homero perquam eſt familiare, & vetuſtiſſimo cuique Graecorum.

AD IVD. XVII. 6.

In diebus illis non erat rex in Iſraël, ſed &c.] Haec ipſa verba ſequenti capiti praeſcribuntur, in quae etiam caput ſequens, & ultimum deſinit. Ex iis autem non neceſſario ſequitur vel regum temporibus hunc librum fuiſſe perſcriptum vel ſaltem poſtea iſtas ἐπεξηγητικὰς adnotationes adſutas. Nihil enim impedimento eſt quominus מלך *melech*, *rex* pro *ſciophet*, *judice* accipiatur, non minus quam qui *ſufetes* h. e. *ſciophetim*, *judices* Charthaginienſibus vocabantur, iidem & *reges* appellabantur. Sane quem habemus περίπλων, ex Punico Hannonis Graece verſum, is hoc habet exordium: Ἄννωνος Καρχηδονίων Βασιλέως περίπλους &c. *Annonis Carthaginienſium regis periplus.* Quam inſcriptionem vetuſtam fuiſſe, vel hinc colligas, quod Solinus Hannonem iſtum *REGEM Poenorum* appellat. At eumdem Plinius V. 1. *Charthaginienſium ducem* vocaverat. Ad haec Tyrrheni, quibus pleraque cum Phoenicibus fuiſſe communia, alibi demonſtravimus, duces ſuos *Lucumones* (a מלך *melech*, *rex*, deducto uti videtur per μετάθεσιν vocabulo) nuncuparunt; qui tamen nimium quantum a regia poteſtate aberant.

AD IVD. XX. 1.

Egreſſi itaque ſunt omnes filii Iſraël & pariter congregati &c.] Confer conventum hunc cum Graecorum concilio, quo bellum Trojanum decretum fuit. Cauſa prope par erat: ſed Gabaonitarum factum multo atrocius. Ob Dinae raptum quouſque ſaevitum a fratribus, vide Gen. XXXIV. toto capite.

AD IVD. XX. 1.

Ita ſiniſtra ut dextra praeliantes.] Talis apud Homerum heros Aſteropaeus erat, qui proinde Il. φ. περιδέξιος, h. e. dexter utraque manu vocatur. At juvenes, de quibus hic locus, a LXX hîc ἀμφοτεροδέξιοι dicuntur, h. e. utraque manu tamquam dextera utentes. Ambo haec compoſita aliorum exemplis carent: ſed Ἀμφιδέξιος paſſim apud Graecos uſitatum: apud quos exſtat & Ἀμφαρίστερος.

SPICILEGIVM
OBSERVATIONVM LITTERALIVM
IN SAMVELIS PRIMVM ET SECVNDVM ET III. ET IV. REGVM LIBROS

ADMONITIO
De ratione citandi hos libros ſine amphibologia.

DVae ſunt in originalibus codicibus inſcribendi hos libros rationes. Prior illa eſt, quae in Hebraicis Bibliis obſervatur, ut priores duo: Samuelis I. Samuelis II. *praeſcribantur, poſteriores vero totidem I. REGVM & II. REGVM vocentur.*

Altera illa eſt, quam Graeca exemplaria ſequuntur, ut eadem inſcriptio omnibus praefigatur, Βασιλειῶν Α, Βασιλειῶν Β, Βασιλειῶν Γ, Βασιλειῶν Δ. *i. e.* Regnorum primus, Regnorum ſecundus, Regnorum tertius, Regnorum quartus.

In Vulgata Latina editione LIBER PRIMVS SAMVELIS: quem nos (*inquit*) primum Regum dicimus, *praeſcribitur. Secundus, LIBER SECVNDVS SAMVELIS,* quem nos (*inquit*) ſecundum Regum dicimus, *praenotatur. Reliqui vero duo LIBER III. REGVM, & LIBER IV. REGVM, praenotantur: iidem* ſecundum Hebraeos, Primus Malachim & ſecundus Malachim *vocantur.*

Habes celebriorum veterum Bibliorum titulos. Venio ad eam citandi rationem deligendam a qua ambiguitas abſit. Nam cum viri cultiores olim & nunc ſoleant ex his quatuor libris priores duos Samueli cum antiquis inſcribere; nihil iis prius viſum, quam citare in hunc modum Samuelis lib. 1. cap. *illo* ver. *illo: nec ſecus* Sam. lib. II. cap. *illo* ver. *illo. Ita cultiores, & Hebraici textus imitatores nunc vulgo ſolent: at iidem reliquos duos Regum libros non* tertium & quartum *de more, ſed* primum & ſecundum *vocant, eaque ratione concinnant citationes ſuas.*

At longe alia in Latinis Concordantiis methodus, in quibus quatuor hi omnes libri (qui Graecis Regnorum libri *vocantur)* libri Regum *nuncupantur. Et ab hac ratione maxima expoſitorum catholicorum pars non diſcedit. Atqui niſi aliunde ſcias, utram quiſque auctor allegandi rationem ſequatur, ſaepe ambiguitas oritur, ecquo loca horum librorum ſint referenda.*

Atque equidem ex quo primum animum ad ſtudia haec adjeci, hanc modo dictam rationem ſecutus fui. Primos ex his quatuor libris ita laudavi, ut alter eſſet Samuelis I. *alter* Samuelis II. *uti plane diſtinguebat antiquitas. Itemque alios poſteriores duos* tertium & quartum Regum (*non* I. & II.) *cum veteribus dixi: qua ratione obſervata abeſt confuſionis periculum, abeſt recurrendi ad concordantias ulla neceſſitas. Vtinam poſthac vulgo utantur hac antiquiſſimâ methodo, quae aperte ac nitide in Vulgata proponitur amplectenda, dum liber tertius & quartus,* Primus Malachim & ſecundus Malachim *nuncupantur.*

LIBER

LIBER PRIMVS SAMVELIS

HOrum, qui ſequuntur duorum librorum, qui SAMVELIS I. & II. *praenotantur ſcriptorem non fuiſſe Samuelem ipſum (cui tantum ſui temporis adverſaria debere poſſumus) ſed alium unum aut plures incertos, non diu tamen rebus geſtis poſteriores, qui ex συγχρόνοις commentariis profecerint, inter omnes, quibus melior ſententia menti, convenit. Illud pro certo affirmarim, Samuelem ab adoleſcentia a Domino fuiſſe admotum Divinis negotiis, eodemque tunc aptiorem in univerſo Iſraële exſtitiſſe neminem, qui geſta totius temporis, quo Dei populo praefuit, & quorum ipſe pars magna fuit, melius norit. Nec mihi dubium eſt quin eadem ipſemet ſi minus ſcripſerit, ſaltem adumbrarit. Vide hujus libri tres ultimos verſus tertii capitis. Ergo hujus primi libri initium ac magna pars Samueli ſcribenti ſive ſaltem ſuggerenti notitias, debentur; cetera prioris libri, totuſque ſecundus diverſis temporum ſcriptoribus, quibus id negotii datum, tribui convenit. Non dedecebat autem huic ambos adſcribi libros, quia opus deſignaverat inceperatque.*

AD I. SAM. I. 2.

Et habuit (Elcana) *duas uxores: nomen uni Anna, & nomen ſecundae Phenenna.*] Nihil hoc loco clarius ac luculentius. Nomina ſunt Hebraica; nam *Penenna*, *margaritas* lapideſque pretioſos notat, *Anna* vero *gratiam*: nec eſt apud Iſraëlis feminas Annae nomine familiarius, imo & in toto Oriente, ubicumque cognatas Hebraici ſermonis dialectos uſurpant. Itaque apud Poenos Didonis celeberrima Soror *Annae* nomen gerebat. Mitto alias apud nos ipſos plurimas originis orientalis feminas, *Annae* nomine antiquitus celebratas. At illud mihi non licet omittere, quod apud Ovidium Faſt. lib. III. Idibus Martiis cujuſdam *Annae Perennae* (quam Ovidius a Sorore Didonis non diſtinguit) feſtum agebatur.

Ac mihi quidem pluries venit in mentem, nomen iſtud Latialis *Annae Perennae* non niſi ex hoc loco Samuelis, (ſive potius ex vulgatis apud antiquos *Annae* & *Penennae* nominibus Romanorum antiquos concinnaſſe, eaque duo in mulierem unam contuliſſe, mutatâ tantum in poſteriore vocabulo liquida N in liquidam alteram R. Verum haec paucis exponi nequeunt: proinde praeſtat de his (1) ſeorſum agere, petita prius a lectore venia, ſi cui forte diſpliceat, admiſceri a me interdum ſacra profanis, ſi forte id interſit.

AD

(1) *Annam Perennam in Latio cultam ex Anna & Penenna libri hujus videri conflatam.*

Faſtor. lib. 3. Ovidius ducentis prope verſibus Annae Perennae (feſtum quod in XV. Januarii incidebat) exponit, ac poſt ediſſertis conſcitas a Didone primum ac poſtea etiam ab Anna ejus ſorore ſibi mortes, etiam rationes nominis *Annae Perennae* ſatis ut arbitror ineptas exſculpere nititur. Prima illa eſt, quod poſtquam ſe in Numicium amnem Anna jactaſſet, ex eo nomen ſibi pepererit, quod ipſa poſtea in *Amne perenne* latitaſſet.

AMNE PERENNE latens, ANNA PERENNA *vocor*.

Eſtne credibile, potuiſſe Romanis ingeniis talia verſiloquia excidere, a latebrae perennitate petita? Ac mox pari inſulſa alliteratione uſus idcirco Annam hanc fabuloſam cognominatam ait fuiſſe *Perennam*, quod ob beneficium ſedatae populi Romani famis, ab eodem populo *perenne ſignum* h. e. ſimulacrum erectum

AD I. SAM. I. 14.

Digere pauliſper vinum quo mades.] Heb. *Amove vinum tuum a te.* LXX περιελὲ τὸν οἶνόν σε. Quibus locutionibus *vinum* pro ebrietate ſumitur. At Noſter alienum putans ab interpretis virtute verbum verbo appendere, Latinis auribus ſtylum attemperavit, tum hîc, tum Jer. XXIII. 9. Ceterum *Madere vino*, & *vino madidus*, & veteres Latini dicebant, & aetas Hieronymi. Ammianus XV. 3. *Poculis amplioribus madefacti*: vide ibi Lindebr. Graecis idem loquendi genus. Lucianus in Deor. dialogo: ἐν τῷ συμποσίῳ ἱκανῶς ὑποβεβρεγμένοι. Crobylus apud Athenaeum: τὴν ἀσωτίαν ὑγρότητα προσαγορεύουσι.

AD I. SAM. II. 14.

Et mittebat eam (fuſcinulam) *in lebetem, vel in caldariam, aut in ollam, ſive in cacabum: & omne quod levabat fuſcinula, tollebat ſacerdos ſibi.*] Carnium elixarum non hîc tantum, ſed & alibi in Scripturis mentio exiſtit. Quid ergo eſt, quod Servius ad 1. Aen. ait? *Heroicis temporibus non veſcebantur carne elixa;* qui & Varronem ſcripſiſſe ait, Romanis principio aſſa in uſu fuiſſe, poſtea elixa, tum & jurulenta. Plato in III. de rep. negat Homerum paviſſe Heroas elixis carnibus, niſi tantum aſſis: ὅτε ἑφθοῖς κρέασις, ἀλλὰ μόνον ὀπτοῖς. Negat quoque Athenaeus lib. 1. Homerum heroibus ſuis elixas carnes, ſed tantum aſſas, admoviſſe. Verum elixae quoque carnis antiquis temporibus aliquem uſum fuiſſe idem Athenaeus ex Homero colligit. Ὅτι δὲ καὶ ἑφθοῖς ἐχρῶντο κρέασιν, ἐμφανίζει ἐν οἷς λέγει

Ὡς δὲ λέβης ζεῖ (2)
Κνίσσῃ μελδόμενος ἀπαλοτρεφέος σιάλοιο.

Nec

ſum Annae fuerit. Verum cur non Ovidiana hûc pertinentia lectoribus integra damus?

Atque ita per populum fumantia liba ſolebat
Dividere, haec populo copia grata fuit.

Pace domi facta ſignum poſuere PERENNE (a qua ſcil. ſtatua perenni illam *Perennam* vocatam putat)

Quod ſibi defectis illa ferebat opem.

Verum cur tantopere inſimitatis judicii accuſo Naſonem, cum & alii veterum haud felicius de *Annae Perennae* veriloquio judicarint? Audiamus ecquid Macrobio I. 12. in mentem venerit. *Eodem*, inquit, *quoque menſe* (Martio) *& publice & privatim ad Annam Perennam ſacrificatum itur, ut ANNARE PERENNAREQVE commode liceat.* Ac ſcio a nonnullis viris doctiſſimis Macrobianae originationi huic fuiſſe plauſum. Quid his facias, qui ſecum non reputarint, non niſi ab Oriente magnam partem principio veniſſe, qui Latium repleverint incolis? Id quod etiam ipſis nominibus *Annae* & *Perennae* uxorum Elcanae oſtendi. Ceterum familiare Latinis fuit, utpote Hebraicae & Orientis linguarum ignaris, peregrina nomina unius litterulae mutatione ita in vocum Latinarum habitum componere, ut aliquid Latine ſonarent: id quod & a Graecis pro ſua parte factitatum. Ergo in *Peennna* librorum Samuelis quantulum piaculum *fuit*, ſi primum N in paris liqueſcentiae litteram ſive ſciolorum ſtudio, ſive aoritio linguae (in conſueta ſcil. inclinantis) mutatum. At ubi Orientalis *Peennna* in *Perennam* evaſit, facillimum Macrobio fuit ex *Anna Perenna* ſuum *Annare* & *Perennare* exſculpere, quibus haec dea praeſideret. Atque equidem plurima talia exempla in additis Etymologico Voſſiano dedi, ex quibus oſtenditur, facpiſſime hoc accidiſſe, ut unius alteriuſve litterulae mutatione (ſive ſtudio ſive vi conſuetudinis facta) peregrina ſatis nota vocabula, peculii Latini evaſerint. Itaque vix dubitandum arbitror, quin duas Elcanae uxores in unam Latini redegerint, ita ut hujus unius mulieris *Anna* nomen, *Peennna* vero ſive *Peresna* cognomen fuerit, nempe Romano more quo feminae binomines erant, nomine ſcil. & cognomine praeditae. Maneat igitur in Latinorum Anna Perenna duas Elcanae uxores, ſi ſpectes originem, contineri, Annam atque Peennnam.

(2) Verſus dimidiatus eſt (cujuſmodi non raro apud antiquos reperiuntur, ea tantum curantes quae ad rem propoſitam pertinebant) qui verſus Il. φ 362. integer talis eſt.

Ὡς

Nec aliter fieri potuiſſe ait, ut pes bubulus in Vlyſſem jaceretur a procis: πόδα γὰρ βόειον ἐδεὶς ὀπτᾷ. Cum ergo pes bubulus ad aſſandum ſit ineptus; elixum in Vlyſſem jaci neceſſe fuit.

AD I. SAM. IV. 4.

Domini exercituum ſedentis ſuper Cherubim.] Hinc & ex aliis Scripturae plurimis locis, quibus Dominus ſedere ſuper Cherubim dicitur, colligere debemus, Cherubinos Arcae operculo inſiſtentes, alas introrſum extenſas ita compoſuiſſe, ut in operculo illo, cui inſideret Dominus, ſellae ſpecies oculis obverſaretur. Re quidem ipſa non aliter in accuratioribus Propitiatorii formis alae illae delinearí ſolent, quam quomodo dixi. Sed fuit etiam quod aliquid de ſuo juvaret pictorius penicillus, itaut utrarumque alarum extrema apte conſererentur, ac ſic rite omnia depingerentur, ut primo ſtatim intuitu ſellae ſpecies contemplantibus exhiberetur. Atque ex hac veluti ſella curuli Deus judicare populum putabatur. Nec eſſe vanum me conjectorem, pronuntiaverit puto quiſquis ritus gentium perſpectos habuerit: non quod eos ſibi imitandos Dominus propoſuerit, ſed potius quod nihil ſollemne magis diabolo fuerit, quam ſacros Divinae religionis ritus cum gentilibus caeremoniis communes facere. In fine monumenti Adulitani Ptolemaei Evergetae (quod Coſmas Indopleuſtes ſuae topographiae intexuit) ſic memini legiſſe: τόνδε τὸν δίφρον παραθήκην τῷ Ἄρει ἐποίησα. *Hanc ſellam* (ego Ptolemaeus) *Marti dicavi*, tamquam ſcil. inde populum judicaturo. Certe non niſi ante hanc ſellam conſtitutos aetate ſua conſueviſſe reos capitali ſupplicio affici notat idem Coſmas pag. 144. Curtius X. 6. 4. in Alexandri funere haec habet: *Tunc Perdicca regiâ ſellâ in conſpectum vulgi data, in qua diadema, veſtiſque Alexandri cum armis erant, annulum ſibi pridie traditum a rege in eadem ſede poſuit.* Apud Appianum in III. ἐμφυλ. pag. 544. defuncto Caeſari dictatori χρύσεον θρόνον καὶ στέφανον . . . κατὰ πάσας θέας ἐψήφισαντο προτίθεσθαι: *Sellam auream atque coronam . . . omnibus ludis proponi decreverunt.* Eadem habet Dio lib. XLIV. Pars ea fuit divinorum honorum Caeſari decretorum. Atque ex ea ſella Caeſarem etiamnum poſt mortem jus dicere credebant, aut potius ita credi volebant; cum interim ex ejus Actis omnia fierent ſive certe fieri dicerentur. De M. Marcello vita functo Dio lib. LIII. pag. 517. D. ejus imaginem auream & coronam auream & ſellam curulem Romanis ludis in theatrum illatam fuiſſe, & mediam inter editorum ſedes poſitam, narrat. Vide praeterea quae de ſelliſternio ex Feſto & aliis habet Chimentellus lib. de honore biſellii.

AD I. SAM. IV. 17.

Reſpondens autem ille qui nuntiabat, Fugit, inquit, Iſraël coram Philiſthiim, & ruina magna facta eſt in populo &c.] Pro *Qui nuntiabat*, in Heb. eſt המבשר *hambaſſer*, quod

Ὡς δὲ λίβυς ζεῖ ἴσθι ἐπιτηγόμενος πυρὶ πολλῷ, Κνίσσῃ; ac cetera ut in Athenaeo. Verbi μίλδομαι non expedita eſt notio. Inter cetera autem Μίλδω apud antiquos eſt *liquefacio*: quocirca Μίλδομαι erit *liquefio*, ſeu *tabeſco*. In re coquinariâ arvina maxime fervorem promovet. Totum autem diſtichum ſic non incommode verti poſſe reor:

Utque lebes multo fervet ſtimulatus ab igni,
Arvina tabente ſuis non ſegniter alti.

quod eſt participium verbi בשר *biſſer*, quod *nuntiare* ſignificat, ac ſemper de laeto nuntio uſurpatur praeter hunc locum, ubi nuntius triſtiſſimus eſt: certe quia τὸ בשר *biſſer* generali aliquando notione uſurpatur, ut in aliis accidit. Hinc LXX, qui hoc verbum cum εὐαγγελίζω permutare conſueverunt, hîc ſimplex εἶπε poſuerunt, quod triſtia nuntiarentur. Verum hebraice docti animadverterunt, verba peculiaris alicujus notionis nonnunquam ad γενικὴν ſignificationem traduci: veluti בשל *biſchel*, quod proprie eſt *elixare*, eſt ubi etiam *aſſare* notat. Hoc apud Graecos frequentius, ut οἰνοχοεῖν ὕδωρ, & alia bene multa. Imo & ipſum εὐαγγελίζω aut εὐαγγελίζομαι, quod examuſſim τῷ בשר *biſſer* reſpondet, in prima earum epiſtolarum, quae Phalaridi tribuuntur, de triſti nuntio accipitur. Ibi ſic legitur: ἐκ ἀγνῶ δὲ λύπας εὐαγγελιζόμενός σοι καὶ δάκρυα.

Quando autem de verbo בשר *biſſer* ſermo incidit, valde miratus fui, Buxtorfium in ſuo Lex. Heb. τὰ בשר in radices duas diremiſſe, ac ſeorſum explicuiſſe, quaſi nihil invicem commune habeant. Ergo apud Buxt. בשר *baſar* nomen *carnem* ſignificat; nec ei quidquam cum τῷ *Laeta nuntiare* rei eſt. Verum ſi quaeris unde *baſar* i. e. *caro* τῦ εὐαγγελίζεσθαι ſignificationem induerit, quidve huc בשר *baſar* i. e. *caro* pertineat; reſponſio prior generalis erit, apud veteres ſaepe carnes in praemium datas: quod declarant vocabula illa apud Pollucem VII. ſegm. 33. κρεανομία & κρεοδαίτης, ut & quod fuiſſe apud Lacedaemonios magiſtratum quemdam nomine Κρεωδαίτην, ibidem idem auctor narrat: ac de hujuſmodi Κρεωδαίταις exſtat & illuſtris Plutarchi locus, qui ejuſmodi magiſtratum in Aſia Lyſandro delatum fuiſſe narrat. Adhaec Homerus Il. M. 311. κρέατα regum praemia fuiſſe innuit.

Γλαῦκε, τίη δὴ νῶϊ τετιμήμεσθα μάλιστα,
Ἕδρῃ τε, κρέασίντε, ἰδὲ πλείοις δεπάεσσι;
Glauce, quid ante alios nobis conceditur omnes
Primus honor ſedis, carneſque, & pocula plena?

Ergo ex his intelligitur, ab ultima antiquitate carnes in praemium dari bene nuntiantibus conſueviſſe, & ex eo natam eam a carne petitae vocis ſignificationem. Adde quod apud Plutarchum Ageſilao p. 614. reperio, non aliud praemium quam carnes bene nuntiantibus olim Spartiatas largiri conſueviſſe. Ἀλλὰ καὶ τῆς ἐν Μαντινείᾳ μάχης γενομένης, ἣν Θουκυδίδης γέγραφε, τῷ πρώτῳ φράσαντι τὴν νίκην οἱ ἄρχοντες ἐκ φιδιτίου ΚΡΕΑΣ ἔπεμψαν ΕΥΑΓΓΕΛΙΟΝ, ἄλλο δὲ οὐδέν. *Imo vero commiſſo ad Mantineam praelio, quod deſcripſit Thucydides, primo victoriae nuntio Magiſtratus nihil aliud quam carnes evangelii* (ſive praemii pro laeto nuntio) *gratia e convivio miſere*. Fuit hoc ergo, ut alia multa, Laconibus cum Hebraea gente commune, ut carnes in εὐαγγέλιον darentur. Hinc, ut dixi, Hebraici בשר *biſſer* (de quo ſupra) notio manavit; quae tum quoque manſit, cum quidvis aliud loco carnium dari coepiſſet: quemadmodum etiam quod Areopagitis in dies ſingulos e publico tribuebatur, id Κρέας dicebatur, ex eo, opinor, quod carnes ab initio datae fuerant. Teſtatur hoc Heſychius in Κρέας. Ibi Κρέας vocari dicit tum τὸ σῶμα, tum τὸ διδόμενον τοῖς ἀρεοπαγίταις.

Accedit quod ob laeta nuntia offerebantur ſacrificia, eaque εὐαγγέλια dicebantur. Ariſtophanes Equitibus 653.

Εὐαγγέλια θύειν, ἑκατὸν βοῦς τῇ Θεᾷ.
Deae immolandam hecatombem ob hilarem nuntium.

Ex

Ex immolatis autem carnibus pars non modica, reor, laeta nuntianti obveniebat. Id ut arbitror, gentiles ex Hebraeis hauſerunt, apud quos inde nata vox מבשר *mebaſſer* pro εὐαγγελιζόμενος. Mitto quod coronabatur etiam apud Atticos is qui bene nuntiaret, uti conſtat ex Ariſtophanis Pluto 765. & ex Equitibus 644. Verum id huc non attinet.

AD I. SAM. IX. 7.

Et ſportulam non habemus, ut demus homini Dei.] Pro *Sportula* in Heb. eſt תשורה *Thesburah*, quod Hebraiſtae quidem *munus* exponunt, ſed alii aliunde arceſſunt. Hi enim a ישר *jashar*, *rectum* derivant, illi a שור *shur*, quod eſt *aſpicere*, quia munus in id mittitur, ut via pateat ad ſalutandum magnatem illum cui mittitur. At mihi perquam credibile fit, derivandum eſſe non aliunde quam ab obvia notione verbi שור *shur*, quod eſt *cantare* ſive *laudare*. Munera autem mittebantur *de laude terrae*, uti dicitur Gen. XLIII. 11. Nam ubi Jacob filiis ad Joſephum ituris praecipit, ut *de optimis terrae fructibus* munera illi deferant, ibi Hebraice legitur מזמרת *mizzimrath*, *de cantatione ſive de laude terrae*, h. e. de laudatiſſimis, illius terrae fructibus. Atque idem hîc puto, fuerit *thesburah*, nim. *cantatio*, ſive *laudatio* (abſtractum pro concreto) ut ſint πολυθρύλλητα *decantatiſſima* quaeque terrae illius, unde munus affertur.

AD I. SAM. IX. 22.

Et dedit eis locum in capite eorum qui fuerant invitati.] Temporibus heroïcis paria ferme omnia reges cum popularibus habebant, excepta πρωτοθρία in conviviis, potioreque in iis portione. Id tum hinc conſtat, & mox ad v. 24. tum ex Homero, apud quem Sarpedon Glaucum ſic alloquitur Il. M. Γλαῦκε &c. Vide verſus paullo ſuperius Graece allatos ad IV. 17. Hîc Latinos dare ſatis ſit.

Glauce, quid ante alios nobis impenditur omnes
Primus honor ſedis, carneſque & pocula plena?

Quae ſequuntur apud Poëtam, eo pertinent, ut intelligant reges, ſe ejus honoris gratia debere non modo non detrectare militiam, ſed μετὰ πρώτοισιν ἐόντας, *in prima acie* depugnare.

AD I. SAM. IX. 24.

Levavit autem cocus armum, & poſuit ante Saul.] Jam proxime ad ver. 22. ex Homero docuimus potiſſimam carnium portionem regi reſervari. Pars autem ſelectiſſima armus habebatur, ut hinc conſtat, & ex Ezech. XXIV. 4. (ubi legitur, *Omnem partem bonam, femur & armum*) & paſſim ex Homero. Vt Od. XIV. 337. Eumaeus parato convivio Vlyſſi ſolidos armos appoſuit:

Νώτοισιν δ' Ὀδυσῆα διηνεκέεσσι γέραιρεν.
Perpetuis Laërtiades decorabitur armis.

Sic etiam Il. VII. & alibi illud νώτοισι διηνεκέεσσι occurrit honoris declarandi gratia. Et auctor Hymni in Mercurium *armos honorificos* appellat; ſic enim v. 121.

Ὤπτα δ' ἀμφ' ὀβέλοισι πεπαρμένα δυατέοισι
Σάρκας ὁμῶ καὶ νῶτα γεράσμια.
Ilignis verubus carnes aſſabat adactas,
Tergaque honorifica.

Sic & Aeneas Aen. VIII. 183. veſcitur *Perpetui tergo bovis*: quod ex Homeri

τούτοις διηκέεσσι expreſſum. Apud Horatium in II. Serm. IV. v. 21. ita gulae doctor ille Catius docet:

Faecundi leporis ſapiens ſectabitur armos.

Hinc porro factum, ut שכם *shechem* Gen. XLVIII. 22. & Pſ. LIX. 8. κατ' ἐξοχὴν partem ſignificet ſelectiſſimam, uti ad eum Gen. locum demonſtravimus. Confer etiam quae ad Lev. III. 17. adn. 3. ad locum Hymni in Mercurium notavi. Pars haec ſelectiſſima & exquiſiti ſaporis vulgo noſtris *il Filetto* vocatur.

AD I. SAM. XIII. 6. 7.

Ver. 6. *Cum vidiſſent viri Iſraël, ſe in arcto poſitos . . abſconderunt ſe in ſpeluncis & in abditis . . .* Ver. 7. *Hebraei autem tranſierunt Jordanem in terram Gad & Galaad . .*] Mirum jure videtur, quod *Iſraëlitae* (de quibus v. 6.) diſtinguuntur ab *Hebraeis* (de quibus v. 7.) cum tamen utrique ab Abraha, utrique ab Jacobo ſeu Iſraële profecti a priore *Hebraeorum*, ab altero *Iſraëlitarum* nomen ad ſe tranſmiſſum habuerint ex aequo commune. Ita ſane: verum divinus hiſtoricus ne exercitus ciſ-jordanicus cum copiis trans-jordanicis confunderetur, non aliis vocibus uti debuit, quam quibus tunc vulgo ea duo corpora diſpeſcebantur. Quod dixi, probe intellexerunt LXX. interpretes, qui v. 7. vocem *Hebraei* non integram, ut in fonte eſt retinuerunt, ſed ejus potius ſignificantiam expreſſerunt hac voce altera, οἱ διαβαίνοντες i. e. *tranſeuntes*; quaſi aperte praeferrent, vocem *Hebraei* hujus loci non ad genus notandum, verum ad amnis trajectionem, & ad habitaculorum diſtinctionem pertinere. Ad ſummam hîc & cap. XIV. v. 21. & alibi quid ſibi haec velint vocabula aperte ſignificatur. Corpus quidem Iſraëlis in ciſ-jordanica fuit; at appendix tribuum duarum ſemis in trans-jordanica. Hinc abſolute *Iſraël* ad corpus majus refertur, at tribus aliae duae ſemis *Hebraei* (h. e. *tranſfluviales*, & apud LXX. διαβαίνοντες) vocabantur, quia trans fluvium ab initio ſuae egreſſionis ex Aegypto metati fuerant. Ergo Iſraëlitae ſeu Ciſjordanici, utpote copiis Saulis expoſiti, ſibi latebras hîc deſcriptas quaeſiverunt: at Hebraei ſeu *tranſitores*, ſatis ſe tutatos crediderunt, ſi tranſito rurſus amni ad ſua ſe reciperent.

Ac multa ſane ex hoc loco docemur: imprimis illud, ecquid in hac hiſtoria hiſque temporibus vox *Iſraël* ſibi voluerit: nec enim aliud intelligitur, quam ea pars circumciſorum ditionis, quae ab occidente Mari Mediterraneo, ab oriente vero finiebatur Jordane, unde & Cis-jordanica vocari ſolet: eaque ſola pars ultimis Saulis temporibus & Davide regnante *Iſraël* vocabatur. Altera vero pars quae trans Jordanem erat, ſors fuit duarum tribuum, Ruben & Gad, itemque dimidiae tribus Manaſſis. Ergo ſub illa Judaeorum primordia partes duae fuerunt, quarum una *Iſraël* (quia totam fere Iſraëlitarum ditionem complectebatur) dicta: altera *Hebraeorum* portio vocata, quia initio bis amnem coacti tranſmittere, ſemel cum a poſſeſſionibus ſibi trans Jordanem aſſignatis in Cis-jordanicam coacti tranſire, ut ſocias tribus ad ſedes quaerendas juvarent; iterum vero poſtquam re bene geſta iterum traducto amne ad ſuas priſtinas ſedes reverſi fuerunt. Sicut ergo pars Palaeſtinae prior ſub Saule ac poſtea vocabatur *Iſraël*, quia totum fere Iſraëlem continebat, ita pars altera *Hebraeorum* h. e. transfluvialium ditio erat, nim. quia a tribubus duabus ſemis poſſidebatur, quae ſolae illam tranſamnicam partem inco-

incolebant, cujus ab initiò potiti fuerant.

Atque ex hoc loco facile intelligimus, quam frequens ſit vocabuli *Hebraeorum* acceptio ex tranſitu amnium petita. Prima uſurpatio vocis hujus in Abrahae nomine occurrit. Gen. XIV. 13. *Et ecce unus qui evaſerat, nuntiavit Abram Hebraeo*: ubi עברי *ibri* (quod in Vulgata eſt *Hebraeo*) non pro gentili nomine quaſi Patriarchae natio deſignetur, ſed pro appellativo potius accipiendum. *Nuntiavit*, inquit, *Abram Hebraeo*, h. e. Abram περάτῃ ſeu *tranſitori*, aut Abram cujus origo transfluvialis. Atque ea nomenclatura ab Abramo profecta, poſtea ad univerſam gentem ex Abrami lumbis profectam propagata per aliquot jam annorum millia adhuc perennat, & ad mundi finem, numquam mutato Hebraeorum nomine (res plane inaudita) perennabit. Haec ſatis trita.

Verum ad hujus memorabilis Abrahae trajectûs imitationem aliae quoque duae (ac plures fortaſſe aliae, ſi eas in numerato haberemus) duae inquam aliae amnium trajectiones fuere, quae peculiare *Hebraeorum* nomen poſt ſe reliquerunt. Una illa fuit, qua Gen. XLIII. 32. *illicitum* dicitur *Aegyptiis comedere cum Hebraeis*. Nolo hîc ea recoquere, quibus in Spicil. to. 1. Diſſert. VII. pag. 220. uſi ſumus. Nim. ibi Aegyptii cunctos Tranſhilanos, ſeu trans Nilum natos, eoque traducto, in Aegypto morantes הכרים *bibrim* (quaſi dicas *hebraeos* h. e. *tranſitores* ſive transfluviales) indiſcriminatim vocabant, ſicuti nos tranſmontanos aut Tranſalpinos dicimus. Atque haec altera eſt *tranſitorum* ſeu tranſamnicorum vocis uſurpatio: de qua omnino vide Diſſert. notatam p. 220.

Reſtat tertia qua in hoc (I. Sam. XIII. 6. 7.) loco ſcriptor divinus utitur. Hîc enim ita inter tribus novem ſemis, quae cis Jordanem conſtiterunt, interque Gaditas & Galaaditas, quae in περαίαν Jordane tranſito conceſſerunt, diſtinguitur, ut corpus illud maximum *Iſraël* aut *Iſraëlitae* vocarentur, haec vero lacinia altera (nim. Gaditae & Galaaditae) *Hebraei* ſive *tranſitores* vocarentur, quia his ultro citroque aſſidue Jordanes trajiciendus fuit ſemper ac cum *Iſraële* (ſic enim dicebatur, veluti totum reipublicae corpus) tranſigendum aliquid a tranſitoribus iſtis Rubenitis atque Gaditis parteque Manaſſis fuit.

AD I. SAM. XIV. 27.

Extenditque ſummitatem virgae, quam habebat in manu, & intinxit in favum mellis: & convertit manum ſuam ad os ſuum, & illuminati ſunt oculi ejus.] מטה *matteb* hoc loco haſtam potius, quam σκῆπτρον (quod hîc habent LXX) ſignificat: quod reliquum eſt tam טבל *tabal* Hebraeum, quam Latinum *tingo* aut Graecum βάπτω (quod hîc LXX uſurparunt) non eſt mere *illinere*, ſed ita penitus *mergere* ut inde paullum auferatur, quod facile ad ſuadendum eſt. Ergo haſtae cuſpidem (fort. patulam, ut hodie in uſu eſt) favo impegit, ut favi partem avelleret. Alioqui, ſi de lingenda virga agebatur, non dixiſſet *& convertit manum ſuam ad os ſuum*. Quanquam ceteroqui notum eſt illud Dionyſii Milelii: *Mel ſummo digito delibandum*.

Et convertit manum ſuam ad os ſuum, & illuminati ſunt oculi ejus.] H. e. revixit, nam prae laſſitudine & inedia oculi caligaverant. Mira vis mellis ad refocillandas vires ex eo poteſt intelligi, quod narrat Athenaeus II. 7. Democritum Abderiten taedio ſenectutis affectum, ac detracto quotidie cibo mortem ultro arceſ-

arceſſentem, rogantibus domeſticis ne committeret, ut Theſmophoriis inſtantibus lugeretur, vas mellis juſſiſſe ſibi propius admoveri, atque ſic in multos dies prorogaſſe vitam, ſolo mellis halitu continuatam (καὶ διαζῆσαι ἡμέρας ἱκανὰς τὸν ἄνδρα τῇ ἀπὸ τῦ μέλιτος ἀναφορᾷ μόνῃ χρώμενον) nec niſi longius aſportato melle poſtea interiiſſe. Eumdem vero narrat uſque adeo ſemper melle delectatum, ut percontanti cuidam, qua maxime ratione ſanus degeret, reſponderit ſi interiora corporis melle, exteriora oleo rigaret. Conſentit cum Democrito Diophanes in Geoponicis lib. XV. his verbis: Οὐ μόνον ἡδὺ τοῖς χρωμένοις (μέλι) ἀλλὰ καὶ μακροβίους ποιεῖ· οἱ γὰρ ἐν γήρᾳ μέλιτι μετὰ ἄρτου μόνου τρεφόμενοι, ἐπὶ πλεῖστον βιῶσι, καὶ τὰς αἰσθήσεις διαφυλάττει πάσας ἐρρωμένας. *Non modo dulce utentibus mel, verum & eoſdem longaevos efficit. Senes enim ſi melle cum pane tantum nutriantur, vitam in longum producunt, & ſenſus validiores* (idem) *cuſtodit*. Hoc idem teſtatur apud Athenaeum lib. 2. Lycus: Λύκος δὲ πολυχρονίους φησὶ εἶναι τοὺς Κυρνίους (οἰκοῦσι δὲ οὗτοι περὶ Σαρδώ) διὰ τὸ μέλιτι ἀεὶ χρῆσθαι· πλεῖστον δὲ τῦτο γίγνεται παρ' αὐτοῖς. *Lycus vitam vivere diuturnam Cyrnios narrat: hi vero circa Sardiniam habitant* (unde & pro *Corſis* paſſim habentur) *propterea quod melle aſſidue nutriantur. Mellis autem apud Cyrnios copia maxima*. Quae ex Lyco adſcripſi, eadem & in Stephano Byzant. in Κύρνος exſtant.

Atque haec vera puto: tamen cavendam eſſe nimiam mellis repletionem auctor haud paullo locupletior Salomon admonet (ex cujus Divinis Proverbiis colligitur mel eſſe maxime τρόφιμον) quia monet cum mediocritate ſumendum. Sic enim praeſcribit cap. XXV. 16. *Mel inveniſti, comede quod ſufficit tibi, ne forte ſatiatus evomas illud*. Et v. 27. *ſicut qui mel multum comedit, non eſt ei bonum, ſic . . .*

AD I. SAM. XVII. 8. 9.

Ver. 8. *Eligite ex vobis virum, & deſcendat ad ſingulare certamen*. Ver. 9. *Si quiverit pugnare mecum, & percuſſerit me, erimus vobis ſervi: ſi autem ego praevaluero, & percuſſero eum, vos ſervi eritis & ſervietis nobis*.] Mos antiquiſſimus bellum in μονομαχίαν vertere. Praeter exempla a Grotio aliiſque producta, apud Herodotum Calliope ac Diodorum Sic. l. IV. committuntur Hyllus Herculis filius, & Echemus rex Tegeatum cum Heraclidarum ac Peloponnenſium ſponſione, uti penes quos victoria ſtetiſſet, iis alteri Peloponneſo cederent. Xanthus Boeotiae rex, provocato Atticae rege, ab eoque interfectus, bellum diremit. Pittacus Mitylenaeus Phrynonem Athenienſium ducem ſingulari certamine interfecit. Alias plurium commiſſione bellum finiebatur. Ita Tegeates & Pheneates ternos utrinque fratres ad ſingularem pugnam emiſerunt: cum qua confert Plutarchus in Parallelis illam per totidem Horatios & Curiatios ſumma contentione pugnatam. Adhaec Spartiatae quoque nobis illuſtre exemplum ſuppeditant belli cum Argivis de jure in Thyream geſti, quod pugna tercentenorum utrinque finitum fuit. Voſſius lib. 2. de hiſt. Graecis c. 15. Athenaeum collegiſſe hiſtorias ducum, qui ſingulari certamine pugnantes exercitibus ſuis ſalutem pepererint, arguit ex his ejuſdem Athenaei verbis lib. IV. pag. 155. Ὅτι δὲ καὶ οἱ ἔνδοξοι καὶ οἱ ἡγεμόνες ἐμονομάχουν . . . ἐν ἄλλοις εἰρήκαμεν. *Duces Viros inclytos ſingularia iniiſſe certamina . . . alibi diximus*. Livius, ut alios taceam, plures harum ſingularium concertationum deſcripſit, veluti T. Manlii Torquati lib. VII. c. 10. & eodem lib. c. 26.

c. 26. Valerii Corvini, ſingulares conflictus: utrumque cum Gallo commiſſum. Idem l. XXIII. c. 46. 47. Jubellium Tauream Campanum cum Romano Claudio Aſello; itemque lib. XXV. c. 18. Badium item Campanum cum T. Quintio Criſpino *μονομαχῆντας* facit.

AD I. SAM. XVII. 34. 35.

Ver. 34. *Paſcebat ſervus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo vel urſus, & tollebat arietem de medio gregis:* 35. *& perſequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum, & illi conſurgebant adverſum me; & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam, interficiebamque eos.*] Longe admirabiliora ſunt quae vera nobis fermo divinus de ſuis heroibus, quam quae falſa poëtae heroicis temporibus geſta narrarunt. Neque enim tantam hanc Davidis adhuc adoleſcentuli fortitudinem aſſequitur ſtrenuitas Achillis, qui apud Pindarum Nem. III. puer ſexennis leones & apros (non manibus tamen, uti David, ſed jaculis) conficiebat (quorum corpora ad Chironem magiſtrum deportabat) quique cervos ſine canibus aut ſeptis interficiebat. Exemplis cumulandis indulgere nolo.

AD I. SAM. XVII. 39.

Coepit tentare, ſi armatus poſſet incedere.] Sic & apud Homerum Il. XIX. 384. acceptis Vulcaniis armis,

Πυρήθη δ' ἑο αὐτῷ ἐν ἕντεσι δῖος Ἀχιλλεύς,
Εἴ οἱ ἐφαρμόσσειε, καὶ ἑρπέχοι ἀγλαὰ γυῖα.
Induit arma ferox Pelides, experturus,
Apta ne ſint membris, cumque his an currere poſſit.

Quae in Homero ſequuntur, ſunt valde diſparia ac diſſimilia; quia oblata Achilli arma leviora viſa, quam pro illius heroicis viribus: at Davidem inſolens ille apparatus armorum offendit, utpote a nativitate paſtorem, ac tantum validiſſimis armis ei a natura conceſſis fretum.

AD I. SAM. XVII. 44.

Dabo carnes tuas volatilibus caeli & beſtiis terrae.] Id maxime ignominioſum & immite habebatur: unde initio Iliadis, Achillis irae tribuitur, ut quorum animas Orco demiſſiſſet, eorum corpora canibus ac volucribus diſcerpenda expoſuerit. Αὐτούς δὲ ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν, οἰωνοῖσί τε πᾶσι. Hoc & in Hectoris cadavere peracturus erat, niſi a Priamo redemptum fuiſſet. Ad eam arcendam ignominiam, pacta inibantur de cadaveribus ad ſepulturam reddendis. Singulare hoc Gallorum notat Pauſanias Phocicis in fine cap. 21. quod de efferendis caeſis legatos non miſerint, rati nihil intereſſe, utrum humo tegerentur cadavera, an vero a feris & avibus dilacerarentur.

AD I. SAM. XVII. 50.

Praevaluitque David adverſus Philiſthaeum in funda & lapide] Ἐμφατικῶς: quaſi diceret non juſtis armis, ſed funda & lapide debellavit. Δελικώτερον hoc armaturae genus eſſe ait apud Xenophontem Cyrus in VII. Paediae, eoque inermem potius multitudinem uti jubet. Alexander apud Curtium lib. IV., dum in eo eſt ut hoſtiles copias elevet, ait *barbarorum inconditum agmen, alium nihil praeter jaculum habere, alium funda ſaxa vibrare, paucis juſta arma eſſe.* Illud etiam ἐμφατικὸν, quod ſupra v. 45. David giganti dixerat: *Tu venis ad me cum gladio & haſta & clypeo* (h. e. cum juſtis armis) *ego autem . . . in nomine Domini.*

AD

AD I. SAM. XVIII. 7.

Et praecinebant mulieres ludentes atque dicentes: Percuſſit Saul mille, & David decem millia.] Similis eſt illa ſaltatiuncula apud Vopiſcum in Aureliano cap. 6. *Adeo ut etiam balliſtĕa pueri & ſaltatiunculas in Aurelianum tales componerent, quibus diebus feſtis militaliter ſaltitarent:*

Mille, mille, mille, mille,
Mille, mille decollavimus

& quae porro ibi ſequuntur: quae quia ex trochaicis aperte conſtare videntur hoc mihi ſumerem, ut ſingulos ſeorſum deſcriberem, quod in duobus his feci.

AD I. SAM. XX. 3.

Et juravit (Jonathas) *rurſum* DAVIDI.] Cum millies apud Hieronymum (& quem non antiquorum?) occurrat *David* indeclinabile; ecqua religio hîc eum inceſſit, ut inclinando *Davidi* ſcriberet? An ut vitaret aequivocum, ne forte non Jonathas, ſed Rex filius Iſai juraſſe crederetur? Non eſt quidem hoc incredibile. Sciendum tamen eſt, quamvis Latini veteris & mediae Eccleſiae ſcriptores hoc nomen ſine inflexione uſurparint, noſſe tamen Hieronymum, licuiſſe flecti. Priſcianus lib. VI. col. 686. haec habet: *Inveni tamen apud Livium in CXII. ab V. C. in D deſinens barbarum regis Maurorum nomen* Bogud, *cujus genitivum ſecundum tertiam declinationem BOGVDIS protulit, ut* . . . „ Quo tempore firmandi „ regni Bogudis cauſſa exercitum in Africam velociter trajicere conatus ſit. „ *Idem Livius in eodem*: Caſſius geſſiſſet cum Trebonio bellum, ſi Bogudem tra„ here in ſocietatem furoris potuiſſet. Haec Priſcianus.

Par nominis inclinatio legitur in 2. Paral. VII. 10. *Quod fecerat Dominus Davidi*. Forſitan & alibi ita flexum reperietur: quis enim iſthaec frivola numeraverit?

AD I. SAM. XXI. 2.

Nam & pueris condixi in illum & illum locum.] Pulchre haec vertit Hieronymus praeſidio linguarum, quas calluit. *Condicendi* verbum de iis uſurpatur, inter quos de aliqua re, praeſertim de tempore aut loco convenit, ut hîc. At de vi pronominis ILLE loco Graeci δεῖνα & Hebraici *almoni* & *pheloni* jam dicendum. Hîc in Heb. eſt פלוני אלמני *pheloni almoni*: quae LXX. quaſi ſi eſſent ἴδια nomina ſic integre ſervarunt. At Hebraica illa reſpondent Graeco δεῖνα, quod & geminari ſaepe ſolet, & trigeminum reperitur apud Demoſthenem pro cor. ὁ δεῖνα τῷ δεῖνος τὸν δεῖνα εἰσάγγελλε. Sed & optime hîc Noſter vertit haec per pronomen *Ille*, ſic enim loqui vetus & medium Latium conſueverat. Sic etiam in 2. Reg. VI. 8. *In loco illo & illo ponamus inſidias*. Ad profanos tranſeo. Livius I. 32. in rebus Anci, inter feciales formulas habet haec: *Si ego injuſte impieque ILLOS homines ILLASQVE res dedier &c.* Generalem enim affert formulam Livius, cui pro *illos illaſque* ἴδια nomina ſecialis inſerebat: ut in altera, quae ibidem ſequitur, formula diſerte admonet Livius. Ea ſic habet: *Audi Jupiter, & tu Juno &c. Ego vos teſtor populum ILLVM* (*quicumque eſt nominat*) *injuſtum eſſe, neque jus perſolvere &c.* Nam illud παρένθετον (*quicumque eſt, nominat*

nat) aperte demonſtrat vocem ILLVM pro tigillo ad ſuſtinendam orationem ab hiſtorico additam : cujus loco fecialis *Latinum* verbi cauſſa dicebat (ſi Latinis bellum indicebatur) aliumve populum . Eâdem notione pronomen *Is* uſurpatur eodem lib. cap. 34. *Eam alitem ea regione caeli, & ejus dei nuntiam veniſſe*: Quae ſunt augurales formulae. Geminum ILLE eadem notione reperitur & apud Lampridium in vita Heliogabali cap. 32. *Alia die de pullis* (tantum ederet) *alia de piſce illo, & item illo* . Alexander Severus , teſte Lampridio cap. 45. edictum proponebat , in quo ſcriptum eſſet : *Illa die , illa hora ab urbe ſum exiturus &c.* S. Cyprianus epiſt. X. Martyrum libellos ita conceptos memorat : *Communicet ILLE* (i. e. ὁ δεῖνα , cujus nomen ſingulis libellis adſcribebatur) *cum ſuis*. Solent nunc elementum N. (h. e. *Nomen*) in eum uſum adſciſcere : verum id χθὲς καὶ πρώην uſurpari in libris liturgicis coeptum ; nam olim (ut ad eum Cypriani locum adnotat Baluzius) in libro diurno pontificum Romanorum, in Hieronymo, Caſſiodoro , & aliis, pronomen *Ille* loco hodierni N. ubique uſurpatur. Singulare eſt, quod Matt. XXVI. 18. πρὸς τὸν δεῖνα, *Ad quemdam*, in Vulgata vertitur : Sed recte redditum , quia τινὰ (quod eſt *quemdam*) idem plane quod τὸν δεῖνα .

AD I. SAM. XXI. 9.

Ecce hic gladius Goliath Philiſtaei .] Quem ſcil. ipſe David devicto Goliatho ἀνέθηκε . Fuit hoc in antiquorum more poſitum , ut detracta ex hoſtibus ſpolia in deorum templis dedicarent , ut ex Homero & hiſtoricis tradit Feithius I. antiqu. Homeric. 11. Ac ſane obſervatum fuit , nequis poſtea his donariis in uſum militarem abuteretur (quod tamen fecit hîc David) dediſſe operam ut, antequam appenderent , ea inepta redderent , veluti rupto manubrio , aut alio modo . Hinc Populus Athenienſis apud Ariſtophanem Equitibus 854. videns clypeos cum ſuis annulis ſuſpenſos , exclamat :

Οἵ μοι τάλας ἔχουσι γὰρ πόρπακας .
Vae miſero mihi : num clypei lora habent ?

Anellos clypeis non detractos conqueritur : quod eo referendum eſt , quod in ſuperioribus verſibus alius Agoracritus ait v. 844.

Οὐ γὰρ σ' ἐχρῆν, εἴπερ φιλεῖς τὸν δῆμον, ἐκ πρωΐας
Ταύτας ἐᾶν αὐτοῖσι τοῖς πόρπαξιν ἀνατεθῆναι.

Interpres vertit :

Neque enim oportebat (ſi quidem amas populum) ſcuta cum ipſis Loris ex compoſito, in templis ſuſpendere.

Ad priorem locum Scholiaſtes adnotat : Ὡς δέον τὰς ἀνατιθεμένας ἀσπίδας μὴ ἔχειν πόρπακας, ὑπὲρ τῦ μὴ ἐξεῖναι τοῖς ἐπιχειρῦσι κατὰ τῦ δήμυ ἐξ ἑτοίμυ χρήσασθαι ταῖς ἀσπίσι.

AD I. SAM. XXV. 22.

Haec faciat Deus . . . ſi reliquero de omnibus quae ad ipſum pertinent uſque mane mingentem ad parietem .] Aurelianus , auctore Vopiſco cap. 22. *cum Tyanam veniſſet , eamque occluſam reperiſſet , iratus dixiſſe fertur , canem in hoc oppido non relinquam* . Mox capta urbe , cum milites praedae inhiantes promiſſa praeſtari poſcerent ; *Canem*, inquit, *negavi in hac urbe me relicturum : canes omnes occidite*. Ad quem Vopiſci locum Caſaubonus notat: *Fortaſſe non male hinc colligas, hiſtoriam fa-*

eram illi fuiſſe aliquando lectitatam. Aut, quod facilius eſt, ex Chriſtianorum tunc frequenti uſu ac familiaritate haec pagani diſcebant. Vtut eſt, hic Vopiſci locus admonet, *Mingentem ad parietem* non aliter quam pro cane antiquitatem accepiſſe.

AD I. SAM. XXVI. 7.

Venerunt ergo David & Abiſai ad populum nocte, & invenerunt Saul jacentem, & dormientem in tentorio, & HASTAM FIXAM IN TERRA ad caput ejus.] De haſta tum Orientali, tum etiam Graja non pauca notanda ſuppetunt: quae minori faſtidio mihi ediffercnda putavi, ſi in peculiarem Diſſertationem ea conjicerem: imo nullo cum lectorum taedio, quippe facile nauſeoſis vitanda, cupidis arripienda.

DISSERTATIO

AD I. SAM. XXVI. 7.

DE HASTA ORIENTIS ET GRAECIAE POPVLORVM EJVSQVE DVPLICI CVSPIDE.

SECT. I.

De Haſta tum Hebraica tum etiam Graecorum utrinque acuminata.

INter ducum & militum arma tam in ſacra quam in profana hiſtoria nihil antiquius & uſitatius Haſta fuit: quod vel inde intelligitur, quod tam in Hebraeo, linguiſque aliis Orientis, quam Graece Latineque pluribus donabatur haſta ſynonymis vocibus ad copiam ſermonis multitudini uteutium comparandam. Ergo ſive (ut hic) dormientibus otiantibuſve, ſive multo magis in expeditione & itinere ubique id haſtile in promptu erat. Verum ecquo poſitu lancea non quidem pugnantis ducis, ſed otiantis latus armabat? Haud alio quam recto ſitu, & humi fixa: id quod tum hinc, tum ex Homero mox allegando conſtat. Quo, inquis, pacto haſtile humi erectum affigeretur, ita ut ſtaret immobile? Ope σαυρωτῆρος (quod mox ex Homero hiſce temporibus haud multo poſteriore demonſtrabitur) immobilitatem aſſequebatur. Huic ſauroteri, utpote ſtabili, adhaec & ſuperne pertuſo, haſta in otio aut in quiete infindebatur.

Atque hac credo de cauſa a veteribus haſta utrinque mucronata ſtatuitur, quia ſuperne muniebatur *ἐπιδορατίδι* (illâ inquam, cuſpide, qua plurimum ad impetendum utebantur) inferne vero mucrone altero, qui vocabatur σαυρωτὴρ alter, quia gemiuus *ſauroter* fuit, uti mox dicam. Ergo iuſimae cuſpidis hujus, quam σαυρωτῆρα nuncupavi, uſus erat duplex: uuus ut fractâ *ἐπιδορατίδι*, ad ſciendum ſuccederet, alter frequentiſſimus, ut in vaginam h. e. in ſauroterem alterum ſtabilem, quem ſupra deſignavi, ſive bello intermittente, ſive dormiente aut otiante duce, rectus iucluderetur. Quocirca duplex *ſauroter* erat, unus haſtam in ſe recipiens, qui propterea ab haſta ſejunctus; alter apex infimus haſtae, qui intra foramen ſauroteris illius ſejuncti reciperetur. Ad ſummam, ubi dux a praelio quieſcebat, haud aliud agebat, quam ut cuſpidem haſtae infimam (ea σαυρωτὴρ vocabatur, ſed tamen *maſculus*, ſi ſic loqui liceat) vaginae ſuae h. e. σαυρωτῆρι feminae (ſi hoc quoque liceat) infinderet. Ac plura ſuppetunt antiquorum loca, quae non aliter intelligi poſſe reor, quam admiſſa σαυρωτῆρος (recepti ſcilicet & recipientis) duplicitate. Ergo ad ſelecta aliquot veterum loca devenio, ex quibus tum alia plura eliquarum iri confido, tum in primis σαυρωτῆρος duplicitatem.

SE-

SECT. II.

Aliquot de SAVROTERE antiquorum loca elucidantur, ex quibus etiam ſuperiora magis magiſque communiuntur. De Romana haſta, quam eruiſſe aversâ cuſpide ex Polybio certum.

SI Scripturae teſtimoniis duplicem haſtae cuſpidem firmare velim, plura fortaſſis ad manus erunt ſerutanti. Vt ecce II. Sam. II. 23. clariſſimus locus eſt: *Percuſſit eum* (Aſaëlem) *Abner AVERSA HASTA in inguine, & transfodit & mortuus eſt.* Quid luculentius? *Averſa haſta* illa ipſa eſt, quam quaerimus: quae quia in otio iuxta *ſauroterem* condebatur, idcirco in ipſam etiam *ſauroteris* transfuſum nomen arbitror. Verum hic locus ad II. Sam. librum elucidabitur. Nunc profanorum teſtimonia corrogabimus.

Si poſt Saulica & Davidica tempora (de his enim loquitur propoſitus Samuelis locus) nemo antiquior Homero ad nos pervenit; ab hoc incipio, veluti qui primus σαυρωτῆρος meminerit; & ad quid valeret, aperuerit, idemque vicinus Davidis ac Saulis temporious fuerit, quod alibi dixi. Hic ergo Il. κ. 151. de Diomedis commilitonibus ita canit:

. . . . . Ἀμφὶ δ' ἑταῖροι
Ἕνδον ὑπὸ ῥινοὺς δ' ἴχνια δόρπα δαῖτα σφιν
Ὀρθὰ ἐπὶ σαυρωτῆρος ἐλήλατο.
Circa Tydiden ſocii dant membra quieti,
Scutis uteutes pro cervicalibus: haſtae at
Erectae ac ſauroteri fixae ordine ſtabant.

Saurotera in interpretando retinui, quia caret ejus interpretatione Latium; parique licentia infra utar. Quanti vero hic locus ſit ad Incem propoſito Samuelis loco inferendam, is intelliget, qui norit, Sauli ac Davidi, ſi minus aequalis Homerus fuit, at certe non longe a regum illorum aetate abfuiſſe: quod & ſupra jam admonui, & ante chronologi demonſtrarunt. Quo circa cum hic Samuel haud meminerit σαυρωτῆρος, nec alterius machinamenti, per quod Saulis haſtile erectum conſiſteret; recte id ex Homero ſupplendum erit: qui quod quaerimus inſtrumentum, aperte σαυρωτῆρα appellavit. Atque ego peccarim in commoda publica niſi uberrimum Homeri explanatorem Euſtathium huc afferam: qui to.2. pag. 793. lin. 30. *Sauroterem* ita deſcribit, ut ſit Σιδήριον πῶλον, ἐξ ἄκρου ὀξύ. Hic ſubſiſto, antequam ultra procedam. Vbi σιδήριον audis, noli ullum armorum genus comminiſci, cum ea vox numquam arma ſignificet, nec ferreum quid, ſed univerſe *Ferramentum* notet, cujuſmodi plura ad manus artificum ſunt, veluti malleus, terebra, clavi, cochlea, ac talia plura. Videſis Stephani Theſaurum. Itaque *Sauroter* inſtrumentum ferreum ſejunctum ab haſta erat, & huic non impatenti ſed quieſcenti ſervichat. Nam in verbis modo recitatis *Sauroter* Euſtathio eſt *ferramentum concavum, ex ſummo acutum.* Ac ſubdit idem grammaticus: ᾧ ἐντίθεται τὸ ὀπίσω ἄκρον τοῦ δόρατος, h. e. *cui immiſſa averſa extremitas haſtae*; nam τὸ ὀπίσω eſt pars illa, quae retrorſum eſt, & ab ἐπιδορατίδι averſa. Sequitur: ὀρθὸν ἀνὸ . . . . ἑστᾶναι ποιεῖ πηγνύμενον κατὰ γῆς. *Erectam inſiſtere haſtam facit, cum terrae infigitur.* Euſtathius ergo Σαυρωτῆρα docet ab haſta fuiſſe ſejunctum. His adde conſentientem veteſtiſſimum ſcholiaſten Homeri Barneſianum, apud quem Homericum illud (ὀρθὰ ἐπὶ σαυρωτῆρος) ita redditur, Ὀρθὰ ἐπὶ τῷ πρόσω. ubi & hoc additur, ὅτε γὰρ καλεῖται τὸ ἀντικείμενον τῆς ἐπιδορατίδος σιδήριον: quae & in Euſtathio totidem verbis habentur. Ex Heſychio & Suida hic nihil profero, quippe parum ad rem facientibus. Tamen pauca (*) inferne adlevi.

Atque hic equidem fraudaverim cupidorum commoda niſi & Polybium (qualem quantumque hiſtoriae reique militaris magiſtrum) attulero. Is lib. VI. ubi Romanorum armatura deſcribitur, & cum Graeca conferetur, de haſta Romana ita ſcripſit (pag. 655. edit. Amſtel.) τὰ δὲ δόρατα κατὰ δύο τρόπους ἄρμοττα ἐν αὐτοῖς· καὶ ὅτι μὲν ἡ λιτὴ καὶ κλιδαρὰ ποιοῦντες, ὅτι τῷ πρωτεθέντος εὐθύνεσθαι σκοπῷ τοχάζονται, καὶ πρὸ τοῦ τὴν ἐπιδορατίδα πρός τι προσρίπτειν, πραδαπόμενα δὲ αὐτῆς τῆς τοῦ ἵππου κινήσεως, τὸ πλεῖστον συντρίβεται. πρὸς δὲ τούτοις ἄκρου σαυ-

(*) Heſychius & Suidas hanc controverſiam finire nequeunt. Suidas duo veterum loca profert, quibus nefcio quis fauelatus σαυρωτῆρι narratur. Quid ni fauciaret? Hic enim σαυρωτὴρ eſt cuſpis poſterior, ſed detecta, non vero contecta ſuo σαυρωτῆρι femina, ſive κοῖλον σιδήριον *cavo ferramento*, ut alii vocant.

Adhaec Heſychius (editionis Schreveliae, quae etſi purgatior aliis, ſcatet mendis) fatetur, σαυρωτῆρα eſſe haſtae σιδήρου, h. e. cuſpidis poſterioris *ferramentum*, nempe vaginam. Hactenus favet. Ceterum mendae deſcriptorum illae ſunt quod σιδήρῳ pro σιδηρίῳ (h. e. *ferramenti*) prius legitur: imo in fine ſcribitur, σαυρωτῆρος τῷ σιτηρίῳ pro σιδηρίῳ.

σαυροτήρων κατασκευάζοντες, μιᾷ τῇ πρώτῃ διὰ τῆς ἐπιδορατίδος ἐχρῶντο πληγῇ· μετὰ δὲ ταῦτα κλασθέντων, λοιποὶ ὑπ' ἀπείρατα αὐτοῖς καὶ μάταια. Quae If. Casaub. fic pulchre reddidit. *Haftae deinde duabus de caufis erant illis* (Romanis) *inutiles. Prior ratio eſt, quod cum graciles eas & tremulas facerent, neque ad propoſitum ſcopum poterant collineare, & prinſquam mucro defixus in cliquo firmaretur, vibrantes, pleraeque ipſa equorum agitatione frangebantur. Adhaec cum ſine cuſpide (ἄνευ σαυρωτῆρων) in ima parte eas* (haftas) *facerent; ad unicum & primum illum ictum iis utebantur, quando mucrone feriebant, deinde fractae, nulli amplius uſui, fruſtra geſtabantur.* Atque hunc in modum haſta Romana tunc erat, nimium quantum ab Oricnrali ium imo & antiquiorum Graecorum diſcrepans: in primis quod teſte Polybio, ἄνευ σαυρωτήρων (num. plur. i. e. *ſine utroque ſaurotere*, tam maſculo quam femina) cum eſſet, nec humi figi in otio poſſet, & ictu altero careret. Atque ex Polybio fatis.

Ceterum mos erigendarum ope σαυροτήρων haſtarum adhuc apud Illyrios Ariſtotelis aetate vigebat. Locus ejus laudatur a pluribus ex Arte-poëtica: ſed nunc non ſatis ad reperiundum ocii. Ceterum haec putavi ſatis ad illuſtrandam haſtam, dormiente Saule prope conopeum erectam.

SECT. III.

De Origine vocis Σαυροτὴς.

NOn eſt dubitandum, quin qui in ingenium vocis hujus intueatur, eam in ſolo Attico natam conſiteri cogatur. Nam etſi nomen hoc parentes, fratres, totamque propinquitatem ac deſcendentes jamdiu amiſit; tamen analogia vocis prorſus Hellenica eſt. Ejus proxime parens vox (quam ante hominum memoriam inter emortuas lugemus) Σαυρόω fuerat. Nec enim aliunde quam ex hoc verbo viâ regiâ plura olim facile nomina fluere poterant, veluti σαύρωμα, σαύρωσις, σαυρωτὸς aliaque, quae nullâ ſui memoriâ relictâ deperierunt. At una vox Σαυροτὴρ aetateem tulit. Ceterum primus generis auctor fuerat olim verbum שׁר *ſur*, ſeu *ſaur* (nam Syri ſolent Hebraeum *Vau* ſ*hurek* in AV reſolvere: quod & Graeci in vocibus Orientis facilitabant) quod eſt *artare*. A *Saur* autem Graeci verbum σαυρόω fecerant eodem artandi ſignificatu; & ex eo themate σαυροτὴρ deduxerant; quae vox Graecis remanſit, quamdiu iis haſta fuit, quamvis jam diu antiquatâ rad. σαυρόω. Nihil autem *artandi* notione ſignificantius ad ferramentum illud notandum, cui σαυροτῆρι nomen; quod comprimendo haſtam erectam tenebat, quaſi ſi liceat *Compreſſorinm* vocare.

Alia fuere quaedam σαυροτῆρες ſynonyma, veluti apud Homerum αἰχμὴ, itemque apud alios antiquos Κρόσφος aut Γράσφος, & Στύραξ. Verum haec ſunt Graeca ab origine, non ex oriente petita. At Romana haſta quia caruit infima cuſpide (ut ſupra ex Polybio) fauroteris ſibi nomen numquam uſurpavit, quia ejus pars infima iners erat.

LIBER SECVNDVS
SAMVELIS

AD II. SAM. I. 18.

Et praecepit, ut docerent filios Juda arcum, ſicut ſcriptum eſt in libro Juſtorum.] Nihil ſcitius recentium quorundam criticorum interpretamento, ut *Arcus* ſit non aliud quam cantici titulus; idque ſuperiorum cum poſterioribus συνέχεια (*junctura*) plane perſuadet. Tamen ſi verba haec parentheſi includantur, non erit cur antiquorum interpretatio rejiciatur, ut arcus idem ſit quod ars bellica, ac praecipue ars jaculandi, quam hîc doceri David edixiſſe videtur, doctus alieno malo:

Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet.

Ac τόξον pro τοξείᾳ, *jaculandi peritid*, etiam Graeci uſurpabant. Heſychius τόξον,

τόξον, κυρίως αὐτὸ τόξον, δηλοῖ δὲ καὶ τὴν τοξικὴν ἐμπειρίαν. Τόξον, *inquis proprie est ipse arcus, & notat tamen & jaculandi peritiam.*

Hom. Il. B. in Catalogo:

Τῶν δὲ Φιλοκτήτης ἦρχε, τόξων εὖ εἰδώς.
Hisce Philoctetes praerat bene callidus arcûs.

Et Od. Θ. 225. de Hercule & Euryto:

Οἳ ῥα καὶ Ἀθανάτοισιν ἐρίζεσκον περὶ τόξων.
Arte sagittandi vel dîs certare parati.

Apud Hebraeos vox קשת *Kesheth* tum hoc, quod dixi, non raro significat, tum ὅλως πᾶσαν τοξικὴν σκευωρίαν *omnem sagittariae artis apparatum*, ut de Graeco vocabulo Eustathius ad Homerum adnotat. Vide quae commentamur ad Job XXXIX. 23. ad Ps. LVII. 8.

Hactenus dictorum non poenitet. Verum quid non & alia tentamus? *Et praecepit ut DOCERENT . . . ARCVM.* Διδάσκειν & Latinorum *Docere* sunt verba δραματικά; ita ut apte de Terentio dixeris; *Docuit* (i. e. *scripsit* aut *egit*) *Andriam*, *Eunuchum* ac talia. *Fabulam docere* Cicero alicubi usurpavit, sicut, & Graeci saepe διδάσκειν δρᾶμα: unde & κωμῳδοδιδάσκαλοι & τραγῳδοδιδάσκαλοι, scriptores dramatum vocabantur. Tale aliquod poëmatium dramaticum (cui nomen *Arcus*) ab illius aevi δραματοποιοῖς scriptum fuerat, quo Saulis & Jonathae mortes lugebantur: quod ut Israëlitae imitarentur, hîc David hortatur, imo & exemplo praeivit. Nam & in hoc, quod hîc adtexitur, ἐπικηδίῳ (*funebri poëmatii*) specimine, sunt selectae hujus generis sententiae vix imitabiles, a Davidis ingenio profectae, hîc autem ab horum librorum scriptore insertae in unius aut plurium canticorum specimen, tunc temporis a Davide sponte fusorum.

Et quidem *Arcûs* nomine cave hîc militarem arcum intelligas: sed est poëmatis nomen Arcûs effigiem praeferentis; sicuti in fine Theocriti sunt *Syrinx*, & *Ara*, itemque apud alios *Ovum*, *Ala*, *Securis* & alia similia. Quae quidem poëmatia longitudine tali versuum composita fuerant, ut *Syringem*, *Aram* & similia mentirentur, eâque de causa eorum nomen adoptarent. Nolo plura addere, quia nuper cognovi alios quosdam Interpr. haec aut horum similia jam olim evulgasse. Itaque manum de tabula, ne forte in eadem vestigia incurrisse comperiar.

AD II. SAM. I. 20.

Neque annuntietis in compitis Ascalonis.] Heb. תבשרו *thebasseru* quod *laeta nuntiare* significat; sicut & Graeci interpretes εὐαγγελίσησθε hîc posuerunt. Nec mirum, nam istorum mortis nuntius Philistaeis laetissimus erat, ut ex sequentibus patet. Etsi ceteroqui sic בישר *bisser* pro simplici nuntio in hoc poëtico schediasmate (quod *Arcum* inscribi, supra notavi) potuit usurpari, sicuti εὐαγγελίζω etiam de rebus tristibus positum memini in epistolis illis quae Phalaridi tribuuntur.

AD II. SAM. I. 23.

Saul & Jonathas aquilis velociores, leonibus fortiores.] Utrumque junxit Homerus Od. Θ. 147.

Οὐ μὲν γὰρ μεῖζον κλέος ἀνέρος ὄφρα κεν ἧσιν,
Ἢ ὅτι ποσσίν τε ῥέξει καὶ χερσὶν ἑῇσιν.
Nil mortale genus potis est nanciscier usquam
Majus, quam celeri cursu manibusque valere.

Achillis quidem perpetuum epitheton πόδας ὠκύς: At utroque valere rarissima laus est.

Aquilae

Aquilae volatus in ſcript. paſſim a celeritate commendatur. Deut. 32. 2. *Sicut aquila provocans ad volandum.* Jer. IV. 13. *Velociores aquilis equi illius.* Idem XLVIII. 40. XLIX. 22. & Thren. IV. 19. Hab. I. 8. ac non raro alibi.

AD II. SAM. II. 23.

Percuſſit ergo eum (Aſaëlem) *Abner AVERSA HASTA in inguine, & tranſfodit & mortuus eſt.*] Qui Diſſertationem, quam extremo lib. I. Sam. ad ejus libri cap. XXVI. 7. propoſui, legerit, non aegre intelliget, quid ſit *Averſa haſta*: quae hîc ita ſignificatur: *Percuſſit eum* (באחרי החנית *beachare hachanith*) *poſterioribus haſtae*. Non potuit explicatius ab Hieronymo exponi haec ſuſpis haſtae poſterior (quam Graeci σαυρωτῆρα aliiſque vocibus ſignificabant) quam *Averſâ haſtâ*: quae ideo cuſpidata erat, ut fractâ primariâ cuſpide, hoſtis aversâ impeteretur. Ac Romana haſta carebat aversâ cuſpidé, de quo conqueritur Polybius: at Graeci pluribus eam vocabulis notabant. Quae omnia in dicta Diſſert. habes expoſita.

AD II. SAM. IV. 10.

Cui oportebat mercedem dare pro nuntio.] Hebraea ſic verti poſſunt: *Qui* (ſupple *putabat*) *daturum me ſibi praemium nuntii.* בשורה *beſorah*, ut & Graecis εὐαγγέλιον, non tantum laetum nuntium ſignificat, ſed & munera bene nuntiantibus dari ſolita. Suſpicatus aliquando fui a בשר *baſar caro*, idcirco id vocabulum derivatum, quia laeta nuntiantibus non modica portio victimae eucharisticae, quae ob id offerri conſueverat, praebebatur. Itaque illud *beſorah* poſſis *viſcerationem* interpretari; neque enim pacifica ſacrificia ſine viſceratione videntur peracta; quippe in iis adeps & cauda & alia quaedam adolebantur, cetera diſtribuebantur. Itaque cum pars haud contemnenda nuntianti cederet, hinc forſan manavit, ut id praemium *beſorah* diceretur: ex quo & illud poſtea fluxit ut *beſorah* laetum ipſum nuntium ſignificaret. Vide mihi dicta p. 138.

AD II. SAM. V. 6.

Et abiit rex & omnes viri qui erant cum eo in Jeruſalem ad Jebuſaeum habitatorem terrae; dictumque eſt David ab eis (viris qui erant cum eo, ut ſupra) *Non ingredieris huc, niſi abſtuleris caecos & claudos dicentes: Non ingredietur David huc.*] Tam multa in hunc locum a commentatoribus collata ſunt, ut aliis indicta vix liceat huc comportare. De caecis μεταφορικοῖς, ubi parum appoſite ſolum coloniis deligerent, celebres aetatis heroicae querelae fuerunt. Tacitus in XII. ann. 63. de Graecis Byzantii conditoribus narrat: *Quibus, Pythium Apollinem conſulentibus, ubi conderent urbem, redditum oraculum eſt, quaererent ſedem caecorum terris adverſam. Ea ambage Chalcedonii monſtrabantur, quod priores illuc advecti, praeviſa locorum utilitate, pejora legiſſent.* Eamdem hiſtoriam narraverat antea Strabo lib. VII. pag. 320. τὸν Ἀπόλλω φασὶ τοῖς κτίσασι τὸ Βυζάντιον ὕστερον μετὰ τὴν ὑπὸ Μεγαρέων Χαλκηδόνος κτίσιν, χρησηριαζομένοις, προστάξαι ποιήσασθαι τὴν ἵδρυσιν ἀπεναντίον τῶν τυφλῶν· τυφλοὺς καλέσαντα τοὺς Χαλκηδονίους, ὅτι πρότερον πλεύσαντες εἰς τοὺς τόπους, ἀφέντες τὴν πέραν κατασχεῖν, τοῦτον πλοῦτον ἔχουσαν,

ἔχεσαν, εἵλοντο τὴν λυπροτέραν. *Iis, qui poſt conditam a Megarenſibus Chalcedonem, Byzantium condiderunt, oraculum ſciſcitantibus, reſpondiſſe Apollinem ferunt, e regione caecorum urbi locum caperent: caecorum nomine Megarenſes notantem, qui cum priores ad illa loca veniſſent, omiſſa in ulteriùs litus navigatione, in quo tanta eſſet ad omnem copiam opportunitas, deteriora loca occupaverint.* Etſi Herodotus idem dictum non Pythio, ſed Megabazo ſatrapae tribuit. Simili metaphora fortaſſis Jebuſaei uti *caecos & claudos* ſeſe ipſi damnarint, quod caecos claudoſque h. e improvidos ſegneſque ſe geſſerint, qui non, ultro occurſantes, aut itinerum anguſtiores aditus occupantes, omni vi obſidionem amoliti fuerint.

AD II. SAM. V. 11.

Miſit quoque Hiram rex Tyri nuntios ad David, & ligna cedrina, & artifices lignorum, artifices que lapidum &c.] Cum *Nuntios* audis, ſimul & epiſtolas a nuntiis allatas intellige, quae apud Tyrios in tabulariis regiis adhuc Joſephi tempore aſſervabantur, ut hic teſtatur in I. adverſus Apionem cap. 17. 18. qui locus ex Dio, & ex Menandro Epheſio ab Joſepho excerptus huc maxime pertinet. Nam praeter alia ſcriptionem nominis priſtinam Tyrii regis exinde diſcimus fuiſſe *Hirom* vocali quarta, non vero *Hiram*. Atque huic ſcriptioni (per O, non per A) favet Syrus interpres in Polyglottis Londin. Nec dubito quin primitiva ſcriptio per O fuerit, ac mutatio quartae vocalis in A non niſi aevo LXX. & Joſephi debeatur. Ergo rex iſte Salomonis amicus Εἰρώμης, ac (ſublatâ graecanica deſinentiâ in ΟΣ) Εἴρωμ, *Hirom* nuncupabatur, non *Hiram*.

Quid quod in Homero etiam, (utpote vicino temporibus Salomonicis) regis hujus fort. nomen per O ſcribitur? Parum enim dubito quin Ἥρως *Sidoniorum rex* ab Homeri duobus Odyſſ. locis laudatus, ſit idem qui *Hiram* (ſeu verius *Hirom*) Salomonis amicus, qui hoc Samuelis loco & alibi memoratur, ac per Ω (non vero A) a Dio, & Menandro ſcribitur.

Atque haec breviter attigiſſe ſufficiat. Ceterum ne uti παραδόξων ἀπίστων fabricator inſimuler, hîc quidem manum de tabula: at inferne (1) noſtra haec ſuſpicio

(1) ΕΠΕΙΣΟΔΙΟΝ, Quo *Hiram* ſeu potius *HIROM Biblicus ex Dio & Menandro Epheſio vetuſtiori ſcriptioni reſtitutus, idem fuiſſe oſtenditur, qui bis apud Homerum ſcribitur* Ἥρως.

IN Bibliis hodiernis omnibus Rex Tyri *Hiram* cum vocali A, non vero *Hirom* cum O legitur: nec aliter in Hebraeo & in LXX (apud hos enim ſcribitur conſtanter χείρωμ) nec credo aliter in verſionibus ceteris Orientalibus, niſi quod in Syra *Hirom* cum O legitur. Ex his ſcribendi rationibus illa Seniorum cum A vocali haud dubie majoris eſt antiquitatis quam Syra verſio, in cujus editis exemplaribus *Hirom* (ut dixi) cum O exprimitur.

Verum poſthabitis orientis vocalibus punctis non ſatis fidis, cur non ad Graecos auctores antiquiſſimos confugimus, quos nobis Joſephus lib. I. contra Apion. cap. 17. producit, ubi Dii vetuſtiſſimi hiſtorici, & Menandri Epheſii ſatis etiam antiqui fragmenta affert, in quibus pro *Hiram*, Εἴρωμος ſcribitur, ita ut truncato additamento Graecanico ος, *Hirom* reſtet. Tametſi Joſephus ipſe de ſuo in Antiq. lib. VIII. cap. 2. §. 6. 7. 8. & cap. V. §. 3. per A ſcripſit, aetati ſuae ſcil. obſecutus, qua A pro Ω in hujus regis nomine jam fuerat ſubſtitutum. Ergo in hujus ſcriptione regia ſi primam antiquitatem ſequimur, *Hirom* per Ω, non *Hiram* per A notabatur: etſi poſtea ſenſim prima vocalis locum quartae praeripuit, quem morem aetas Joſephi (ut innuimus) jam ſequebatur, & ante hunc LXX Seniores, quos duces malo equidem ſequi in hujus nominis ſcriptione.

Verum quis probibet primam prorſus antiquitatem

ſuſpicio paullo uberius ſuadebitur iis, qui hiſce antiquitatibus capiuntur.

AD II. SAM. VI. 14.

Et David ſaltabat totis viribus ante Dominum. Porro David erat accinctus ephod lineo

tiquitatem (ſi quâ poſſimus) vocali ω arrogare in hujus Regis exarando nomine? Id quod tum demum aſſequemur, ſi praeter Dium atque Menandrum Epheſ. antiquiſſimos, etiam Homerum licuerit producere teſtem ſatis idoneum, quippe Salomoni prope dixerim aevo ſupparem, patriâ vero ferme vicinum; quia quamcumque ex ſeptem urbibus, de Homeri natali certantibus, ei patriam aſſignaveris, certe vetus Graecia haud multum a Phoenice diſtineri comperietur. Atqui Homerus Od. IV. v. 613. ita Menelaum loquentem facit.

Δώρων δ' ὅττ' ἐν ἐμῷ οἴκῳ κειμήλια κεῖται,
Δώσω ὅ κάλλιστον, καὶ τιμιώτατόν ἐστι.
Δώσω τοι κρητῆρα τετυγμένον· ἀργύρεος δὲ
Ἔστιν ἅπας, χρυσῷ δ' ἐπὶ χείλεα πεπράανται.
Ἔργον δ' Ἡφαίστοιο· πόρεν δέ ἑ φαίδιμος ΗΡΩΣ
Σιδονίων βασιλεύς, ὅθ' ἑὸς δόμος ἀμφεκάλυψε
Κεῖσέ με νοστήσαντα· τεῦν δ' ἐθέλω τόδ' ἐπᾶσαι.
Ex donis, quae cumq; meis in ſedibus exſtant,
Quod pulchrum magè ſit; aliis pretioſius, ecce
Hunc cratera dabo, ex argenti pondere ſolidum,
Labra ſed artifici ſunt auri immixta metallo.
Vulcani eſt id opus: mihi quod dono inclytus
HEROS
Rex Sidonum dederat redeunti, tempore quo me
Hoſpitio excepit. Tibi nunc largirier opto.

Eoſdem prorſus verſiculos idem Menelaus eidem Telemacho adnumerat. Od. XV. v. 113. Verum utrobique ſcriptio leviter eſt reformanda v. quiuto in voce ἥρως, cui in editionibus omnibus praefigunt minuſculam litteram tam in Graeco, quam in interpretatione, quaſi ſit appellativum nomen viris magnis commune. Falluntur: cum ſit unius certi hominis nomenclatio, quia alioqui nomen abeſſet ejus, cui tot epitheta a poëta tribuuntur. Ergo ne dubita quin Ἥρως ſit ἴδιον ὄνομα viri cujuſquam clariſſimi, cui proprium nomen *Heros* apud Graecos erat. Dices, proprium tale nomen ab omnibus *nomenclatoribus* (ut indices propriorum nominum ſolent vocare) abeſſe. Atqui idem iis accidet, qui in lexicis talibus *Hiromum* reperire velit. Verum equidem *Hiromum* Dii & Menandri non alium puto ab iſto *Heros* ſive *Heroſo* Homerico. Res enim ita ſe habet. Apud Graecos vetuſtiores propria nomina numquam in M deſinunt; quae ſi forte in ſtylum cadant, tum additis τῷ M Graecanicis deſinentiis, ex nomine plane rigido flexibile faciunt. Ita Dius & Menander Epheſius (ne diſcedam ab hoc ipſo vocabulo, quo de agimus) cum *Hiram*, ſive (ut ipſi tunc efferebant vocali quarta) *Hirom* in amborum hiſtoriis memorandus incidiſſet, ita per ſolitos eatus id nomen inclinare potuere, ſi prius in ſiue vocis ſyllabam ος adjeciſſent, ut Εἵρωμος, Εἵρωμα. Et plurima in hunc morem. Illud addo, poſſe Homericam terminationem in ως ad IV. nominum declinationem pertinere, in qua ſunt nomina in ως termiuata. Verum ut ut iſta ſe habeant, certe Homericus *Heros*, cum nequeat eſſe nomen appellativum, ubi ne in vicino quidem proprium perſonae nomen praeſto eſt; non eſt difficile Hiromum (h. e. *Hirom*) Dii & Menandri ſignificari. Nam quia delinentia in M uti dixi Graecis vetuſtioribus erat prorſus inuſitata (vetuſtiores & religioſos dico, quia id multo poſtea LXX interpretibus aliiſque talibus in exprimendis Hebraicis nominibus licuit) huic incommodo Dius & Menander producto nomine ex Εἵρωμα fecere Εἵρωμος: at Homerus viam breviorem ingreſſus, M in Σ (in Graecis delinentiis uſitatiſſimum) vertit.

Hoc ſi cui minus arrideat, divinandum lectori reſtabit, ecquis *Heros* ille Homericus fuerit. At hic noſter Vulcani opernm ſtudio tenebatur, ut ex cratere hîc deſcripto intelligitur. En regis Hiram character peculiaris, ut qui regi Salomoni in omnibus auri, argenti, ferri operibus procurandis praeſto fuerit. Verum dices Hiramum Salomonicum fuiſſe regem Tyri, eum tamen Homericus Sidoniis imperarit. At reſpondeo, creviſſe ſemper Hirami regnum, qui praeter urbes viginti ab Salomone dono aeceptas, non dubitandum, quin regnum ſuum aſſidue dilataverit, ac Sidonem etiam, quae Phoenices evaſit metropolis, ſibi ſubjecerit. Ergo Homerus non Hirami initia reſpicit, quibus Tyrum urbeſque poſſidebat, ſed poſteriora tempora, quibus Sidonem totamque Phoenicen ſuae ditioni ſubjecit, ita ut Hiramum non

Tyri

lineo.] In Heb. eſt מכרכר *mecarcher*, quod recte Hieronymus vertit *ſaltabat*; hoc enim proprie ſignificat, uti copioſe oſtendi in Schediaſmate *De Corcyrae nominibus*, quod ante prope XX. annos Angelo Card. Quirino olim Corcyrae Archiep. obtuli, pag. 17. 18. Hinc cum Corcyraei a ſaltando nacti nomen eſſent; mira huic etymologiae antiqui de Corcyraeorum tripudiandi arte ſuperſtruxerunt; quibus velificatur Homerus. Et hîc certe vox Heb. מכרכר *mecarcher* non aliud quam *ſaltantem* notat, fervore utique religionis actum Regem piiſſimum. Ac ſane niſi David ſaltaſſet, nihil erat cauſae cur Michol id conſpicata *deſpiceret eum in corde ſuo*, uti mox v. 16. ſcribitur. Conferes etiam a v. 20. ad finem capitis.

De ephod, quo David accinctus erat, cujus formae eſſet, ecquibus eo uti licuerit, & quo tempore, & ſimilia ſunt ſatis a ſcriptoribus biblicis pertractata, nec ea nunc recoquenda.

AD II. SAM. VI. 19.

Et partitus eſt . . . ſingulis collyridam panis unam, & aſſaturam bubulae carnis unam.] Sicuti ſolidos panes partitus eſt ſingulis, ita & ſingulas aſſaturas; ſicuti ab Samuele Sauli armus integer oblatus fuit; ac vide quae de veterum edacitate ad Gen. diximus. Singulae vero aſſaturae inſignem bovis partem, veluti ſolidum bovis femur, aliudve ſimile continebant, quia ad ſingulas aſſandas ſingulis πεμπωβόλοις, ut Homerus vocat, h. e. verutis quinquefidis, opus habebant. Heſychius, Πεμπωβόλους, (ſupple *vocant*) πέντε ὀβελίσκους ἐκ μιᾶς λαβῆς συνεχομένους (h. e. *quinque veruti ramos unica inferne prehenſione connexos*) in fine addit τριαινοειδῶς, h. e. *in fuſcinae* ſive *tridentis* modum. At Homerus neutro genere πεμπώβολον uſurpavit, tum Il. 463. tum etiam Od. 460.

. . . Νέοι δὲ παρ' αὐτὸν ἔχον πεμπώβολα χερσὶν.
Quinquefidumque veru juvenes ſibi quiſque tenebant.

Ac nolo hîc omittere Euſtathii ad ſuperiorem Poëtae locum adnotata: qui πεμπώβολον fuiſſe inſtrumentum coquinarium πενταδάκτυλον dicit, ac ſolos Cumaeos, gentem Aeolicam πεμπωβόλοις ita dictis uſos, quia Aeoles πέμπε pro πέντε uſurpant.

AD II. SAM. X. 17.

Contraxit omnem Iſraëlem.] *Contrahere* recte dixit Hieron. pro *cogere*, quia tertio Eccleſiae ſaeculo ſic dicebatur. Cornelius epiſt. ad Cyprianum (inter Cyprianicas 46.) *Placuit contrahi presbyterium*; h. e. cogi presbyterorum concilium. Sed & aureo ſaeculo ſic loquebantur. Cicero ad At. VIII. dixerat: *Quodcunque militum*

Tyri (quae prior poſſeſſio fuerat) ſed Sidoniorum regem appellet.

Atque haec de Homeri loco ſatis: ut quiſque intelligat, non eſſe abſonum, ſi dixerimus Εἴρωμον *Hiromum*, cum Ω a Dio & Menandro ſemper ſcriptum (etſi in LXX, & Vulgata conſtanter *Hiram*) videri eumdem eſſe, qui Homero eſt Ἥρως, qui non Tyrior. tantum ſed & Sidonior. rex paullo ante Homeri aetatem evaſerit, ita ut recte cecinerit, φαίδιμος Ἥρως Σιδονίων βασιλεύς. Biblici Homericiq. regis ταυτότης non tantum Regia totius Phoenices dignitate ſuadetur, verum etiam quod in fine vocabuli Ω loco A apud utroſque ſcribatur, ſicuti & ante LXX antiquitas conſueverat.

militum contrahere poteritis, contrahatis. Liv. de bel. Pun. *Contrahere auxilia*. h. e. συλλέγειν.

AD II. SAM. XI. 3.

Vxor . . . . Vriae Hethaei.] Id nomen reperitur in lapide Rom. apud Ficoronum in *de Perſonis* cap. 69. pag. 173. qui ſic habet

. . . . PVBLIVS . . . .
ETTHVRI VRIES
SEV DE COLLEGIO
SCABILLARIORV
D. X.

Craſſus error fuerit, ſi vel ſuſpicione tenus putes, verſu inſcriptionis altero *Vriam Ethaeum*: illum, qui ſub Saule fuit, hîc ſignificari; quia vaſtus hiatus temporum inter illum aevi Saulici, & hunc facile aevi Caeſarei, qui in ludicris artibus flóruit. Sed nihil impedit, quin *Vrias* aliquis Syrus (quod ex nomine arguitur) in lapide iſto notetur. Syri autem luſibus theatralibus (praecipue ſcabillariorum) dediti erant. Scabillarii (quaſi ſcabellarii) erant qui ſcabellis inſiſtentes, ad numerum modulos quoſdam edebant. In decurias digerebantur, in quarum decima hic deſcriptus erat. Nam in fine illud D. X. eſt *Decuriâ decimâ*.

AD II. SAM. XIII. 19.

Aſpergens cinerem capiti ſuo.] De Laërte Homerus Od. XXIV. 315.

Αμφοτέρηφι δὲ χερσὶν ἑλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν,
Χεύατο κακκεφαλῆς πολιῆς, ἀδινὸν τεναχίζων.
Ille utraque manu cinere aſpergitque favilla
Canitiem, gravia & ſuſpiria pectore jactat.

Eoſdem prope verſus idem uſurpat Il. Σ. 23. in luctu Achillis ob acceptum Patrocli mortis nuntium.

AD II. SAM. XIV. 26.

Ponderabat capillos capitis ſui ducentis ſiclis.] Apud Lucianum in Dialogo Charontis & Mercurii, cum nemo charonteam ſcapham conſcendere ſineretur, quin prius veſtes & quidquid gravius eſſet, deponeret; etiam quidam philoſophus barbam inſigniter promiſſam jubetur eradere, de quo quidem haec ad Mercurium Menippus ait: Ἀλλὰ καὶ τὸν πώγωνα τοῦτον ἀποθέσθω ὦ Ἑρμῆ, βαρύ τε ὄντα καὶ λάσιον, ὡς ὁρᾷς· πέντε μνῶν τρίχες εἰσὶ τυλάχιστον. *Sed & barbam deponat, o Mercuri, gravem illam quidem & hirſutam, uti vides; Quinque minarum minimum pili illi ſunt*. Neque inficior haec & quae ſequuntur καθ' ὑπερβολὴν dici, ſed tamen ut appareat pondus: caeſariei Abſalonicae non eſſe incredibile.

AD II. SAM. XV. 30.

Et Aman feſtinavit ire in domum ſuam lugens & operto capite.] In luctu non

non tantum Hebraei caput operiebant (ut hîc & Jer. XIV. 3. 4.) ſed & antiqui gentilium. Electram ad abſtergendum maerorem ut velum deponat, hortatur Oreſtes apud Eurip. in cognomine fabula v. 294.

Καὶ νῦν ἀναχάλυπτ', ὦ κασίγνητον, κάρα,
Ἐκ δακρύων τ' ἄπελθε.
Jamque o, ſoror germana, retege capitulum; & Abſiſte lacrymari.

Adraſtum jacturam Thebis paſſum ſic alloquitur Theſeus apud Eurip. Supplic. v. 111.

Λέγ' ἐκκαλύψας κρᾶτα, καὶ πάρες γόον.
Luctu jam omiſſo, dic, retecto vertice.

Anthologiae V. epigr. 33.

. . φάρος γὰρ ἐπιρρεμὲς ἀμφὶ προσώπῳ
Πήματα μὲν δύεται.
Signa etenim luctus indutta theriſtria fronti.

AD II. SAM. XVI. 22.

Tetenderunt ergo Abſalom tabernaculum in ſolario, ingreſſuſque eſt ad concubinas patris ſui coram univerſo Iſraël.] Τὰ γυναικεῖα (*mulierum habitatio*) in cenaculis erant, uti diximus ad Judith VIII. 5. Hîc vero ut rem in propatulo faceret, ex cenaculo in proximum ſolarium, quod omnium patebat obtutibus, mulieres arceſſivit. Scita res eſt, apud Orientales plana fuiſſe tecta, non faſtigiata: ſic etiam & apud veteres Graecos; unde Elpenor Od. XI. καταιτικρὺ στέγεος πέσεν, *tecto delapſus ab alto eſt*. Ad caſuum vitanda diſcrimina loricâ ſepiri tecta jubet Deus Deut. XXII. Sed illuc redeo. Non novum hoc, quod in ſolario decubuerit Abſalom; nam cubare ἐν δώμασι veteres conſueviſſe, docet Euſtathius ad modo recitatum ex Od. XI. verſiculum his verbis: Πίπτει δὲ καταιτικρὺ στέγεος ὁ Ελπήνωρ, ἐν ὑπαίθρῳ ἀναχείμενος, διὰ τὸ τὰ δώματα μὴ κεραμωτὰ (h. e. *tegulis operta*) ἀλλ' ὑπαία καὶ νῦν ὡς εἰκὸς μυριαχῆ· ὧν ταῖς δοκοῖς γῆ ἐταμᾶται, ὡς ἐντεῦθεν τὴν στέγην χρήσιμον εἶναι καὶ πρὸς τὸ ἐγκοιμᾶσθαι. Apud Romanos olim plane item fuiſſe tecta, docet Vitruvius lib. 2. & alii.

AD II. SAM. XVII. 15.

Ponite Vriam ex adverſo belli, ubi fortiſſimum eſt praelium . . . ut percuſſus intereat.] Vetuſtiſſimum in praeliando conſilium de iis hoſti objectandis, quos perdi expediens viſum fuerit. Vide ſimile ſtratagema apud Polybium in rebus Siculis lib. 1. pag. 12. ibique Caſaubonum paria plura exempla coacervantem.

AD II. SAM. XVIII. 22.

Non eris boni nuntii bajulus.] Mira interpretis locutio. Sciendum tamen, apud ſequioris aetatis ſcriptores *bajulum* hoc eſſe, quod veteribus *tabellarius*. Id didici ex Ammiano Marcellino XV. 9. *Epiſtolas ipſas per bajulum, qui portarat, juncto milite ad Malarichum miſit*. Nec non ex Archelai Epiſcopi Meſopotamiae

diſputatione adverſus Manichaeum, quam ad calcem Socratis & Sozomeni edidit Valeſius. Ibi legitur: *Hac epiſtola lecta, bajulum litterarum Marcellus obſequentiſſimo fovebat hoſpitio*. Sed & in Eugippii epiſtola ad Paſchaſium diac. praefixâ vitae S. Severini (apud Bolland. VIII. Jan. pag. 485. num. 3.) is qui antea *fidelis portitor* (epiſtolae ſcil.) dictus fuerat, mox *bajulus* appellatur. Ergo hoc loco *boni nuntii bajulus* eſt *tabellarius laeta nuntians*.

AD II. SAM. XX. 9. 10.

Dixit itaque Joab ad Amaſam: ſalve mi frater: & tenuit manu dextera mentum Amaſae, quaſi oſculans eum. v. 10. *Porro Amaſa non obſervavit gladium, quem habebat Joab, qui percuſſit eum in latere . . .*] Prenſare mentum apud antiquos ſupplicum geſtus fuit. Il. A. 500. Thetis Jovi ſupplicatura, ſiniſtram genibus, dexteram mento applicuit, quaſi oſculatura utique.

Καὶ ῥα πάροιθ' αὐτοῖο καθέζετο, καὶ λάβε γούνων
Σχαιῇ· δεξιτερῇ δ' ἀρ' ὑπ' ἀνθερεῶνος ἑλοῦσα,
Λισσομένη προσέειπε Δία κρονίωνα ἄνακτα,
Illa quidem aſſidens ante ipſius ora Tonantis,
Genua manu laeva, mentum dextraque prehendit:
Tum regem affari, ac ſic leniter orſa precari.

Rurſus Iliad. K. 454. Dolon necem amoliturus, mento Diomedis apprehenſo, jam jam ſupplicaturus erat: ſed praeventus a Diomedis enſe fuit.

Ἦ, καὶ ὁ μὲν μιν ἔμελλε, γενείου χειρὶ παχείῃ
Ἀψάμενος, λίσσεσθαι.
Dixit: at ille quidem mentum prenſare volebat
Multa precans.

Hodie hoc ſolum in more poſitum, ut minorum, quibus blandiri volumus, molliter attrectemus mentum.

AD II. SAM. XX. 15.

Et circumdederunt munitionibus civitatem, & obſeſſa eſt urbs.] Hebraea ſic ſonant: *Et effuderunt aggerem* (heb. סללה *ſolelah*) *contra civitatem, & ſtetit in antemurali*. Difficultas primum eſt in voce *ſolelah*, quam Hieronymus hîc *munitionem*, Hebraeorum multi *balliſtam*, at alii plures *aggerem* reddunt. Quae ultima vera videtur interpretatio, quae & a Graecis interpretibus patrocinium ſibi adſcivit, qui hunc locum ita verterunt: καὶ ἐξέχεαν πρόσχωμα πρὸς τὴν πόλιν, καὶ ἔστη ἐν τῷ προτειχίσματι. Ac ſane uno aut altero excepto loco, ubique apud Graecos interpretes pro סללה *ſolelah*, *aggerem* poſitum reperies. Sed & in Chaldaeo Paraphraſte pro *ſolelah* reponi *agger* ſolet. Eſt enim *ſolelah* a סלל *ſalal*, quod de viis plerumque dicitur ob eam cauſſam, quod viae in medio aggerebantur, eaedemque Latinis propterea *aggeres* dicebantur. Hinc Prov. XV. 19. *ſemita rectorum ſolulah* i. e. *aggerata*: ſicuti & Jer. XVIII. 15. Iſa. LVII. 14. & LXII. 10. סלו סלו המסלה *ſollu ſollu hamſillah* i. e. *aggerate aggerate ſemitam*. Sic etiam Pſ. LXVIII. 5. *Iter facite* (heb. *ſollu* i. e. *aggerate*) *equitanti*. Vide etiam Jer. L. 26. Job XIX. 12. XXX. 12. Hinc מסלה *meſillah* viam ſignificat, quaſi dicas *aggerem*; nam & Latinis, uti dixi, viae militares *aggeres* dicebantur. Ex quibus intelligis fruſtra quaeri vocis *ſolelah* aliam praeter quam *aggeris* notionem. Accedit

dit quod cum *ſolelah* non tantum hîc, ſed & plerumque conjungitur verbum שבח *ſchaphach*, *fudit*. Adde Jer. VI. 6. & 4. Reg. XIX. 32. Iſ. XXXVII. 33. Ezech. IV. 2. XVII. 17. XXI. 22. XXVI. 8. *Fundi* autem eſt *aggeris* proprium, qui propterea ἀμφίχυτον τεῖχος Homero dicitur, quaſi dixeris περικεχωμένον. Sic enim habet Il. Υ. v. 144.

Ὣς ἄρα φωνήσας ἡγήσατο κυανοχαίτης
Τεῖχος ἐς ἀμφίχυτον Ἡρακλῆος θείοιο
Τρωϊκὸν.
Haec ille. Interea duxit Vis caerula ponti
Ad muros fuſos utrinque, opus Herculis, altos.

Ad quem locum Euſtathius adnotat, pleroſque eo nomine intelligere τὸ μὴ ἐκ λίθων, ἀλλὰ περικεχυμένον, ὕλην ἐξ ἀναχώματος ὄν.

His ergo de cauſis τὸ *ſolelah* hîc & alibi pluries proprie *aggerem* verti debere fateor: etſi Hieronymus generali *munitionum* vocabulo uti putavit aptius, quam *fundendi aggeres* inſolita locutione uti.

AD II. SAM. XXI. 22.

Hi quatuor nati ſunt de Arapha.] Hos quatuor gigantes a Davide interfectos (de quibus narrare incepit ſupra hoc cap. V. 16.) Ambroſius *Titanas* vocat in I. Offic. num. 177. *Uſque ad ſummam ſenectutem* (David) *manu promptus, bello adverſus Titanas ſuſcepto, ferocibus bellator miſcebatur agminibus.* Quos rectè Joſephus in VII. Antiq. cap. 12. num. 2. γίγαντας *gigantes* appellat.

AD II. SAM. XXIII. 15.

Deſideravit ergo David & ait: O ſi quis mihi daret potum aquae de ciſterna, quae eſt in Bethleem juxta portam.] In hac tota narratione nulla eſt de aquae defectu mentio. Equidem non defuiſſe aquas Regi crediderim, ſed eum potum ſibi uſitatum appetiviſſe. Reges Perſarum unius Choaſpis & Eulaei potu uſos, eoſque latices, quoties iter agerent, circumtuliſſe, antiqui ſcriptores prodiderunt; quorum confertam nubem producit Briſſonius in Perſicorum primo pag. 59. & 60. Idem ſuſpicari licet, ab Judaeorum regibus aut ſaltem a Davide factitatum, ut Bethleemitica tantum aqua ad potum uterentur.

LIBER III. REGVM

AD III. REG. III. 1.

Et affinitati conjunctus eſt (Salomon) *Pharaoni regi Aegypti; accepit namque filiam ejus.*] Vocem *Pharao* commune primis temporibus regum Aegypti nomen fuiſſe, ex divina hiſtoria ſatis conſtat: quod Aegyptiorum ſermone idem apud populares valebat; quod *Rex* apud gentes alias, ut viri eruditi volunt. Id ſi eſt, quaeri poteſt, cur non Divina Scriptura ab Abrahae uſque temporibus peculiaria

regum

regum Aegypti nomina prodiderit. Nec ſacra Scriptura ſolum, ſed ne Homerus quidem (qui hoc ipſo Salomonis aevo, ſed haud paullo poſterior vixiſſe creditur) Od. XIV. v. 278. reges Aegypti nominibus propriis unquam deſignat, βασιλῆος appellatione contentus: qui tamen vates regionum aliarum reges nominatim ſemper appellat. Ac facile equidem crediderim, cum morem Aegyptiorum fuiſſe, ut ſtatim ac quis regnum capeſſeret, non ſuo amplius, ſed communi *Pharaonis*, nomine compellaretur; quod Homerus βασιλῆα interpretatur. Hinc vero illa in laterculis regum Aegyptiorum nata, uti conjicio, obſcuritas, & ex ignoratione imponendi libertas. Suſpicor enim vetuſtos ſacerdotum Aegyptiorum annales propriis regum nominibus tacitis, communi fere *Pharaonis* nomine uſos. Ad id me ejuſdem Homeri compellit auctoritas: qui ſi Odyſſeae ſupra laudato loco Aegyptii regis peculiare nomen tenuiſſet, aut ſi prodi conſueviſſet; id omiſſurus non erat; praeſertim propter ſeptenne Vlyſſis (quamvis forſitan commentitium) hoſpitium. Nam ceteroqui quocunque Vlyſſes vel ad unam noctem diverteret, regis nomen ἴδιον proditur: & in hac ipſa narratione Od. l. XIV. v. 316. Theſprotorum rex *Phidon*, & verſ. 336. *Acaſtus* Dulichii rex Vlyſſem excipientes hoſpitio, ambo nominatim memorantur. Ergo hoc proprium regibus Aegypti fuit, ut ex quo regnum capeſſerent, nativo ſuo tacito nomine, commune *Pharaonis*, aut *Regis* aſſumerent. Nec enim dubito, quin *Pharao* Aegyptiorum ſermone Βασιλῆα notarit: id quod ex Homero ipſo didici; & ceteroqui incurrit in oculos. Verſus Homeri Od. Ξ. 278. hujuſmodi eſt.

Αὐτὰρ ἐγὼ βασιλῆος ἐναντίον ἤλυθον ἵππων.
Ast ego veſtus equis Regi obvius occurrebam.

Vbi Βασιλῆος appellativum nomen tantumdem ſonat, quod Aegyptiis *Pharao*.

AD III. REG. III. 25.

Dividite, inquit, infantem vivum in duas partes, & date dimidiam partem uni, & dimidiam partem alteri.] Apud Romanos olim ex lege decemvirali ita debitoris corpus creditori addicebatur, ut ſi plures eſſent creditores, inter eos in fruſta diſſecaretur. Itaque lex horrendi carminis erat: *Tertiis nundinis partes ſecanto; ſi plus minuſve ſecaverint, ſe fraude eſto.* Sed poſtea legis diritatem ita mos publicus mitigavit, ut diſſectione ſublata, in nexum tantum corpus daretur. Vide Quintilianum III. 8. Tertullianum Apologetico. Diffuſam de eo more tractationem habes apud Salmaſium *de modo uſurarum* pag. 820. & ſeq.

AD III. REG. IV. 25.

Habitabatque Juda & Iſraël abſque timore ullo, unuſquiſque ſub vite ſua, & ſub ficu ſua a Dan uſque Berſabee cunctis diebus Salomonis.] Ex hoc quod vitis & ficus ſaepiſſime in ſacris libris junguntur, facile perſpicitur ex omnibus frugiferis arboribus eas maxime duas conſitas cultaſque fuiſſe ab antiquis, maximi quippe uſus, quandoquidem ex vite vinum, ex ficu παλάθας (Hebraeis etiam uſitatiſſimas) conficiebant. Itaque Strabo lib. 2. pag. 73. Hyrcaniae feracitatem deſcripturus, eadem duo conjunxit. Ἐν μέν γε τῇ Ὑρκανίᾳ τὴν ἄμπελον μετρητὴν οἶνον φέρειν φασὶ, τὴν δὲ συκῆν μεδίμνους ἑξήκοντα. *In Hyrcania ferunt vitem vini metretam, ficum medimnos LX ferre.* Idem iiſdem verbis lib. XI. pag. 508. repetitur. Jam vero ex *ſycophantis* idem cognoſcitur: qui unde nomen invenerint, vel pueri ſciunt.

AD

AD III. REG. IV. 32. 33.

Et fuerunt carmina ejus quinque & mille. Et diſputavit ſuper lignis, a cedro quae eſt in Libano, uſque ad hyſſopum, quae egreditur de pariete; & diſſeruit de jumentis, & volucribus, & reptilibus, & piſcibus.] Manſit hoc apud orientales, ut rerum naturalium vires verſibus exſequerentur. Babylonios palmae arboris virtutes hymnis CCCLX. (*quotquot* ſcilicet *eunt dies*) decantaſſe, Plutarchus VIII. ſympoſ. 4. teſtatur. In Curanidum libro (unum id eſt ex ſcriptis Hermeticis) quemadmodum Graece exſtat, ſingulis herbis hymni ſubjiciuntur, illarum vires, ac numinum, quibus ſacrae ſunt, poteſtatem celebrantes, teſte Gaulmino apud Fabricium to. 1. bibliot. Gr. pag. 64. Nec Graecis & Aegyptiis id inſolens fuit. Aldinae Dioſcoridis Editioni an. 1518. vetus poëta anonymus de viribus herbarum adjungitur.

Ver. 33. *Et diſputavit ſuper lignis, a cedro quae eſt in Libano, uſque ad hyſſopum, quae egreditur de pariete.*] Peſſimo publico hi libri interciderunt; qui ſi exſtarent; praeclara multa ſciremus de ſtirpium viribus, quae nunc ignorantur. Tametſi & quas olerum virtutes compertas habemus, eas e Salomonico fonte derivatas ad nos uſque manaſſe, ſemper habui perſuaſum. Nec enim novas arborum graminumve facultates recens detectas novimus. Siquid in eo genere tenemus, id & antiquitas norat. Nam ad ligna ſtirpeſque Americanas, novarumque terrarum quod attinet; non tam vires eorum nuper didicimus, quam ſtirpes ipſas, quas ne nomine quidem antea noramus, cum ſuis poteſtatibus in ſolo ſuo notis. Apud eas autem nationes, apud quas olim nobis ignota ligna vireſcunt, ſimul & eorum facultates antiquitus, non vero χθὲς καὶ πρώην innotuerant: nec dubium quin agnita fuerint a Salomonicis vel etiam poſtdiluvianis uſque temporibus.

AD III. REG. V. 4.

Neque occurſus malus.] Ex Hebraeo פגע רע *phegah rah* recte LXX. ἀπάντημα (non ἀμάρτημα ut vulgo legitur) πονηρόν ad verbum expreſſerant quod Noſter interpres *aëtoleξei* eſt interpretatus, a quo *occurſus malus* redditur. Quae locutio latina eſt. Apulejus lib. de virt. herb. cap. 97. *Herbae verbaſci virgultum qui ſecum portaverit, nullo metu terrebitur: neque beſtiae neque occurſus mali moleſtabunt hunc.* Item *occurſum malum* apud profanos ſcriptores intelige ferarum, ut apud Ovid. Met. XIV. 260. *Vrſique leaeque Occurſu fecere metum*: aut quoslibet inominatos occurſus, ut apud Hor. III. 27.

Impios parrae recinentis omen
Ducat, & praegnans canis, aut ab agro
Rava decurrens Lupa Lanuvino,
Faetaque vulpes:
Rumpat & ſerpens iter inſtitutum,
Si per obliquum ſimilis ſagittae
Terruit mannos.

Occurſus maleficorum ſiderum dixerat pari ſignificatu Plinius VII. 49.

AD III. REG. VIII. 38.

Cuncta devotatio & imprecatio] *Devotare* uſurpat Cicero Parad. 1. *Quae vis patrem*

patrem Decium, *quae filium devotavit*. Hinc *devotamentum* Tertulliano *adv. Gnoſt.* c. 2. Quo nomine prior eſt vox *devotatio*, quae ut hinc liquet, paſſim olim in uſu fuiſſe videtur. Item *imprecationis* in utramque partem vocabulo uſi ſcriptores probi: in malam, ut hîc, ſaepius: at in bonam Apulejus IX. Met. *Salutem ei fuerat imprecatus*, dixit; ac noſter Gen. XXIV. 60. *Imprecantes proſpera ſorori*. Fons Hebraicus & LXX. duo hîc habent precationis synonyma; ſed optime LXX accuſandi caſu extulerunt πᾶσαν προσευχὴν πᾶσαν δέησιν, ut referatur ad εἰσακούσῃ commatis ſequentis. Et hîc igitur verti potuiſſet: *Omnem precationem obſecrationemque tu exaudies*.

AD III. REG. IX. 27. 28.

Miſitque Hiram in claſſe illâ ſervos ſuos viros nauticos . . . cum ſervis Salomonis v. 28. *Qui cum veniſſent in Ophir. . . aurum detulerunt* &c.] Circa Ophiriticam navigationem, accedo ad Calmeti ſententiam, quam in diſſert: *De Ophir* probabilibus argumentis confirmat. Praeter ea, quae vir doctus appoſite ibi congeſſit: notari velim antiquiſſimos mortalium ita navigationem inſtituiſſe, ut partim mari partim fluminibus, pro eo ut itineris ratio poſtulabat, veherentur. Apollonius lib. IV. ver. 244. & ſeq. ita Argonautarum reditum canit, ut per Phaſidem flumen in mare delati, ac ſecundis uſi ventis, die tertio Paphlagoniam tenuerint; inde Iſtrum ingreſſi in mare Hadriaticum pervenerint; tum per Padum & inde Rhodanum ſubvecti, mox mare Liguſticum & Stoechadas inſulas attigerint, & quae ſequuntur. Quae quamquam interdum ἀσύστατα, declarant tamen terrena itinera cum marinis & amnicis navigationibus intexta fuiſſe a vetuſtiſſimis uſque temporibus, ſiquidem probabilia poëtis fingenda fuere. Sane Timaeus eoſdem Argonautas e Ponto in Tanaim ingreſſos narrat, eumque ad fontes uſque ἀναπλεῦσαι· inde in alium quemdam fluvium deducta navi, in Arcticum oceanum progreſſos, inde ad Gades, unde in Internum mare. Poſtremo Hecataeus, quod inaudiſſet ad Phaſidem perveniſſe Argonautas, de eorumdem reditu ita narravit: ex Phaſide in Oceanum progreſſos, inde per longiſſimum circuitum Nilum ingreſſos, qui eos in Mediterraneum mare detulerit. Sunt haec quidem omnia ἀγεωγραφίας plena; ſed ea tamen πατροπαραδότῳ opinioni illi nituntur, primam omnium navigationem fluviis marique, & ubi opus, pedeſtri itinere inſtitutam.

AD III. REG. X. 1.

Sed & Regina Saba, audita fama Salomonis, in nomine Domini venit tentare eum in aenigmatibus.] Vide dicta de aenigmatibus ad Jud. XIV. 12. & Prov. I. 6. quae huc maxime faciunt. Ceterum Reginam Saba non ex Aethiopia Africae, ſed ex Arabia arceſſendam, bene ac ſolide probat Bochartus in Phaleg. lib. II. cap. 26. Bene quoque Joſephum refutat qui ex Meroë Aethiopiae illam veniſſe putat. Errorem Joſephi inde profectum ſuſpicor, quod Sabaeorum in Arabia metropolis tum *Saba* tum & *Mariaba* dicebatur: de quo vide Bochartum loco cit. p. 131. Vide ergo annon Joſephus ex *Mariaba* ſeu *Marab Meroën* fecerit, quam putat etiam *Sabam* appellatam. Vide totum Bocharti caput.

AD

AD III. REG. XIII. 4.

Cum audiſſet Rex ſermonem hominis Dei.] Similiter Elias lib. ſequenti *Homo Dei* ſaepe appellatur. Sermo Helleniſticus eamdem uſurpat locutionem. S. Ignatius epiſt. ad Rom. Ἐκεῖ παραγενόμενος ἄνθρωπος Θεοῦ ἔσομαι.

AD III. REG. XVII. 1.

Si erit annis his ros & pluvia.] ☐N *im*, i. e. *ſi* cum jurando ſervit, negat; addita negatione affirmat. Subauditur enim *Haec faciat mihi Deus, & haec addat, ſi* &c. Romani etiam hanc ferme conditionem in jurisjurandi formula adhibebant, *ſi ſciens fallo, tum mihi Juppiter iratus ſit.* Eam conditionem appoſitam videtur intelligere Cicero nomine *pactionis* or. pro Roſc. Comoedo cap. 16. *Non enim ex pactione verborum, quibus jusjurandum concipitur &c.*

AD III. REG. XVII. 12.

Paullulum olei in lecytho.] Non alibi, quod ſciam, vox haec Latine legitur. De Graeca λήκυθος vide H. St. in Theſ.

AD III. REG. XVIII. 27.

— *Clamate voce majori.*] Catullus carm. 43. idem ſic expreſſit:

Conclamate iterum altiore voce.

AD III. REG. XVIII. 28.

Et incidebant ſe juxta ritum ſuum cultris & lanceolis, donec perfunderentur ſanguine.] Imitabantur hoc Bellonarii h. e. Bellonae ſacerdotes, qui in furorem acti, ſeipſos cultris cruentabant, uti Deam placarent. Auctor Lucanus I. 565.

LIBER IV. REGVM

AD IV. REG. I. 2.

Miſitque (Ochozias) *nuntios dicens . . . conſulite Beelzebub Deum Accaron, utrum vivere queam de infirmitate hac.*] Per contemptum hoc idolum ita dictum pro *Beelſamen* quod puto notum. *Beelſamen* enim Deum caeli, *Belzebub deum muſcarum* notat. Nimirum ita corrumpere Hebraei nomina non tantum idolorum ſolebant, ſed & earum quoque rerum, quae ad cultum falſorum numinum pertinerent. Ab ea eſt cauſſa, quod palmarum fructus, quos ethnici diis offerebant, eos Judaei per contemptum χυδαίους h. e. *vulgares* appellabant: tametſi nonniſi cariotarum palmarum dactylos ceteroqui praeſtantiſſimos offerri mos eſſet. Teſtatur id Plinius lib. XIII. cap. 4. *Nam quos ex his* (palmarum fructibus) *honori deorum dicamus, Chydaeos appellavit Judaea GENS CONTVMELIA NVMINVM INSIGNIS.*

AD IV. REG. IV. 39.

Invenitque quaſi vitem ſylveſtrem, & collegit ex ea colocynthidas agri, & implevit pallium ſuum, & reverſus concidit in ollam pulmenti.] Neſcitur quid plane

ſint iſtae *colocynthides agri*. Videtur ſpectaſſe interpres illud, quod in LXX huic voci reſpondet, nimirum τολύπην ἀγρίαν. Nam Τολύπη non tantum lanae carptae glomum ſignificat, verum etiam Suidae, & aliis eſt ἀγρία κολοκύνθη, *agreſtis cucurbita*.

At interim Ambroſius hanc Seniorum τολύπην & Vulgatae *colocynthidas* vocavit *ſylveſtres grumos*. Nam in ejus epiſt. (63) ad Vercel. Eccl. n. 30. dum totum ſe in abſtinentiae laudes effudit, ita ſcripſit: *Qui* (Eliſaeus) *ſylveſtribus grumis, & amaris paſcebat prophetas*: Item in libro de Elia, & Jejunio cap. 6. n. 18. *Eliſaeus ... cum filios aleret prophetarum, vitis agreſtis grumulis menſas onerabat*. GRVMI autem vocabulum non unam rem ſignificat. Quae vox tùm *concretionis* notionem complectitur (veluti θρόμβους ἁλὸς, *grumos ſalis*) tum *concervationem*, ut in veteribus Gloſſis & Soſipatro plurale GRVMI ſunt οἱ τῶν ὅρων λίθοι, h. e. acervi lapidum agros terminantes. Ac ſi Feſtum audimus GRVMVS eſt *terrae collectio minor tumulo*: qua notione utuntur Caeſar, Vitruvius, reique ruſticae ſcriptores: unde in Philoxeni Gloſſis *Grumus* eſt τύμβος. At poſtremo ex adſcriptis Ambroſii locis quartam *Grumi* ſignificationem diſcimus. Nam cum Ambroſius non aliud, quam τολύπην LXXviralem, quam ob oculos habuit, latine expreſſerit; Τολύπη autem *glomos* ſive lanae, ſive cujuſvis alterius rei convolutae, & conglomeratae deſignet; inde fit in Ambroſii locis *Grumos* eſſe *glomos*. Nec abnuerim, unum idemque eſſe vocabulum, ſi ſpectes originem, quippe liquidis L & R invicem permutatis. Ergo a גלם *golam* venit vox *Glomus* notionis ejuſdem: a *Glomus* vero, liquidis alternantibus oritur *Grumus*. Collegit ergo (ait hîc faecè textus) ex frondibus vitis ſylveſtris glomos convolutos. Certe olera, quae caulè conſtant, in faſciculos; at arborum folia in *glomos*, ſive *grumos* conglobari mos erat. Hactenus de LXXvirali hujus loci vocabulo τολύπη.

AD IV. REG. IV. 41.

Viginti panes hordeaceos.] Ab antiquiſſimis uſque temporibus non minus hordeum, quam triticum ad panificium adhibebatur; uti plurimis divinorum librorum locis, & ex Homero liquet. Hinc Herodotus Euterpe ſingulare hoc Aegyptiorum notat, quod ex olyra ſive zea victitarent, ex tritico autem & hordeo, quod ceteri faciunt, probro ducerent. Ἀπὸ πυρέων καὶ κριθέων ἄλλοι ζώουσι· Αἰγυπτίων δὲ τῷ πεπυμένῳ ἀπὸ τούτων τὴν ζωὴν ὄνειδος μέγιστόν ἐστι, ἀλλ' ἀπὸ ὀλυρέων ποιεῦνται σιτία, τὰς ζέας μετεξέτεροι καλέουσι. Far autem non tantum apud Aegyptios ſed & apud Romanos (ut de aliis ſileam) uſque adeo in uſu fuit, ut inde *farina* nomen invenerit, teſte Plinio XVIII. 9.

AD IV. REG. V. 1.

Naaman princeps militiae regis Syriae, erat vir magnus apud dominum ſuum, & honoratus, &c.] Omnino ὑποστγμὴ non poſt *Syriae*, ſed poſt *erat*, eſt rejicienda. Qui ſic diſtinxerunt, ut hodie ferunt exemplaria, non intellexerunt elegantiorem loquendi conſuetudinem Latinorum, qua initiis narrationum verbum ſubſtantivum nomini proprio poſtpoſitum jungitur. Exempla paſſim apud praeſtantiores Latii ſcriptores occurrunt.

AD

AD IV. REG. VI. 23.

Et ultra non venerunt latrones Syriae in terram Iſraël.] Latrones veteribus non ſemper in deteriorem partem accipiebantur. Quare τὸ λῃστικὸν & πολυπλάνητον γένος tantundem valebat. Pelaſgi, Phoenices, & aliae gentes innumerae *latronum* appellatione donabantur διὰ τὸ πολυπλάνητον. Inſcriptio cippi in Africa, narrante Procopio, talis erat: *Nos ſumus qui fugimus a facie Joſue latronis*, Plautus Amphit. Act. IV. in ſcaenis dubiae auctoritatis *latrones* eoſdem facit quos *hoſtes*.

Egò idem latrones hoſtes bello & virtute contudi.

Feſtus: *Latrones eos antiqui dicebant, qui conducti militabant.* Didymus & Euſtathius, in Homero notant τὸ λῃστεύειν (*Latrocinari*) apud antiquos infame non fuiſſe ſed honeſtum. Haec mihi in veterum lectione occurrerunt. Ceterum reperies multo plura apud Grotium de Ver. Rel. Chr. lib. 2. num. XII.

AD IV. REG. VIII. 13.

Quid enim ſum ſervus tuus canis, ut faciam rem iſtam magnam.] Simili appellatione ſeipſam deprimit Helena Hectorem alloquens, apud Hom. Il. Z. 344.

Δᾶερ ἐμοῖο κυνὸς, κακομηχάνου, ὀχρυοέσσης.

Hoc eſt: *O levir mei, canis* (i. e. impudentiſſimae) *malorum auctoris, averſandae.* Ibidem verſ. 356. Εἰνὴ ἐμεῖο κυνὸς &c. Adhaec ſupra 1. Sam. XXIV. 15. & 2. Sam. IX. 8. *canis mortuus* eâdem demiſſi animi notione uſurpatur.

AD IV. REG. XVII. 16.

Adoraverunt univerſam militiam Caeli:] Quid ſit Caeli militia hîc & ſequentibus capitibus, omnes norunt. Aſtrorum cultus taxatur, quod eſt vetuſtiſſimum idololatriae genus. Cur autem ſtellae צבא *tſeba* h. e. *exercitus* (a LXX δύναμις eâdem notione) appellétur; neminem magis idoneum teſtem aut expoſitorem producere mihi poſſe videor, quam Ezechielem tragoedum Judaeum (qui ſub prioribus Ptolemaeis vixit, de quo ad Exodum quae potui collegi) in dramate cui nomen Ἐξαγωγή. Apud hunc Moſes, conſcenſo ſecundum quietem altiſſimo throno qui caelum pertingeret, ait:

Καὶ μοί τι πλῆθος ἀστέρων πρὸς γόνατα
Ἔπιπτ', ἐγὼ δ' ἅπαντας ἠριθμησάμην,
Κἀμοὶ παρῆγεν ὡς παρεμβολὴ βροτῶν.
At multitudo ſiderum mihi ad pedes
Viſa accidiſſe, quae recenſui omnia,
Aderantque mihi ut exercitus mortalium.

Ex hoc porro loquendi genere in ſcripturis non raro uſurpato, vetus opinio quod aſtra ſint animata, anſam arripuiſſe videtur. Certe Baruch non tantum aſtris cuſtodias, ut in caſtris fit, aſſignat, ſed & de iis omnino ut ἐμψύχοις *animatis* loquitur. Baruchi prophetiam quia Hebraice non extat, ſed Graece tantum Jeremiae ſubjicitur, graece adſcribam. οἱ δὲ ἀστέρες ἔλαμψαν ἐν ταῖς φυλακαῖς αὐτῶν, καὶ εὐφράνθησαν· ἐκάλεσεν αὐτοὺς, καὶ εἶπον, Πάρεσμεν· ἔλαμψαν μετ' εὐφροσύνης τῷ ποιήσαντι αὐτούς. In Latinis Bibliis Bar. III. 34. *Stellae autem dederunt lumen in*

cuſtodiis ſuis & laetatae ſunt. Vocatae ſunt, & dixerunt: Adſumus: & luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas.

AD IV. REG. XX. 7.

Dixitque Iſaias: Afferte maſſam ficorum, quam cum attuliſſent, & poſuiſſent ſuper ulcus ejus, curatus eſt.] Vatis & medici officia heroicis temporibus valde cognata fuiſſe, demonſtrat Euſtathius ad Il. I. pag. 36. Itaque quicumque antiquiſſimis temporibus medicinam fecerunt, etiam vaticinandi arte floruerunt. Veluti, ut a notioribus exemplis abſtineamus, Melampus ille, cujus multa apud Homerum, Theocritum alioſque mentio, augur & vates, idemque medicus experientiſſimus fuit.

AD IV. REG. XX. 9. 10. 11.

Cui (Ezechiae) *ait Iſaias: hoc erit ſignum a Domino .... Vis ut aſcendat umbra decem lineis, an ut revertatur totidem gradibus?* ver. 10. *Et ait Ezechias ... Vt revertatur retrorſum decem gradibus.* ver. 11. *Invocavit itaque Iſaias Dominum, & reduxit umbram per lineas, quibus jam deſcenderat in horologio Achaz.*] Solariorum & horarum diviſionis prima haec mentio animadvertitur; nec enim vetuſtius, quod ſciam, alibi ſignatum reperio veſtigium. Ac probabile videtur horologiorum ſolarium excogitatum aevo Ezechiae regis fuiſſe antiquius; quia de iis tamquam de re uſitata fit mentio tum hîc tum apud Iſaiam cap. 38. 8. Ceterum ubi ab Anaximandro adumbratum ac poſtea ab ejus diſcipulo Anaximene ſciothericum horologium ſedulo expolitum & expoſitum Lacedaemone fuit; jam ducenti plus anni ab illo Ezechiae horologio effluxerant. Sed & huic invento an Aegyptus praeluſerit, haud habeo dicere. Nam quod a bellua illa quae in Aegypto duodecies die, noctu duodecies aequis intervallis mingens obſervata, diei in horas XXIV. partitionem docuerit, id fabuloſum eſt ut plura alia antiquitatis Aegyptiae. Ad Romanos haec inventa ſerius pervenerunt: *Scilicet arma magis quam ſidera Romule noras.* At diviſio in horas XII. diurnas, totidem nocturnas vetuſtiſſima fuit; licet fabula Aegyptia quam modo tetigi, de ſerpente ejus regionis, qui duodecies die, duodecies noctu mingens numerum horarum demonſtraverit, nunquam fidem invenerit. Ceterum duodenarii numeri excellentiam ubique terrarum quis ignorat, non tantum in Palaeſtina (ubi tribus XII. conſtituebant remp. ac tot alia in ſacris duodena) ſed & ubique gentium, ut patet ex XII. menſibus XII. Zodiacis ſignis, XII. horis diei, ac totidem noctis. Placebat mihi aliquando Tuſcos prae ceteris plura duodena huc ex Oriente attuliſſe, praecipue *horarum* non tantum diviſionem, ſed nomen ipſum.

Non alii ergo quam Tuſci ex Oriente detulere in Italiam tum Solarii inventum tum & ipſum *Horae* vocabulum, quod eſt mere Hebraicum. Heb. verbum הורה *horah* eſt *Indicare, nuntiare, monere*: quod ſolaria cum horarum indiciis opportune faciunt. Nolo de hoc multus eſſe, quia in Voſſiano Etymologico nuper edito (cui plures noſtras originationes vocum Latinarum ex Oriente petitarum inferi viſum editoribus fuit) de *Horae* vocabulo plura dixiſſe memini.

SPI-

SPICILEGIVM
ADNOTATIONVM LITTERALIVM
IN HOS QVATVOR LIBROS
AD ESDRAE LIBROS DVOS, TOBIAM, JVDITH, ESTHER.

AD I. ESD. IV. 6.

In Regno autem Aſſueri.] Quis ſit ille Aſſuerus poëta, cujus meminit Cantipratanus libro de diſciplina ſcholarium (qui liber Boëthio ſuppoſitus, inter hujus opera occurrit) pag. 1288. ignoro, nec tanti eſt. Vide locum in edit. Baſil. A. 1570.

AD I. ESD. IX. 8.

Et daretur nobis paxillus in loco ſancto ejus.] Clavus (יתד *jated*) in Templo quid hîc ſibi velit, varie expediunt interpp. Quamdiu res quietae erant, clavis anni in Templo, ut opinor, ſignabantur. Certe Tyrrheni id faciebant; auctore Feſto. At Tyrrheni pleraque ſua ab Oriente hauſerant.

AD II. ESD. II. 14.

Et tranſivi ad portam fontis, & ad aquae ductum regis.] Heb. אל ברכת המלך *el berechath hammelech* i. e. *ad piſcinam regis*. Graeci quoque interpretes hîc κολυμβήθραν (*piſcinam*) non aquaeductum agnoſcunt. Piſcium vivarium notat, ubi piſces impenſis regiis alerentur, more magnatum. De vocabulo *berechah* vide ad Gen. I. 22. Piſcinas vero iſtas reges Judaeos in deliciis habuiſſe, videtur mihi innuere Pſalmus CIII. 28. 29. Vide ibi dicta.

AD II. ESD. III. 8.

Aedificavit Ananias filius.] In Hephaeſtionis vetuſti grammatici enchiridio pag. 16. memoratur *Ananias* quidam poëta antiquiſſimus, generis Hipponactei inventor a quibuſdam habitus. Ejuſdem Ananiae ſive Ananii exſtat locus in Grotianis excerptis e florilegio Stobaei pag. 390.

AD TOBIAE LIBRVM

AD TOB. V. 5.

Invenit juvenem ſplendidum, ſtantem praecinctum, & quaſi paratum ad ambulandum.] Itinerantes, ſicut & milites, ac miniſtrantes praecingebantur, ne laxioribus, ut illo tempore, ac prolixioribus veſtibus impedirentur. Hinc *in procinctu* Latinis dicebatur, cum quis ſive ad iter ſive ad bellum, aut quodvis aliud ſe comparaſſet. Graecis εὔζωνοι non a zonarum pulchritudine dicebantur, ſed quod ſive ad iter

iter ſive ad bellum *probe praecincti ac ſtrenui*. Ac praeter exempla in Stephani theſ. obvia, Herodotus ſaepe utitur: ac pulchrum quod affert Strabo extremo lib. IV. p. 209. τούτων μὲν (ὄρεων) ἕκαστον μιᾷ δεῖν αὐθήμερον εὐζώνοις ἀναβῆναι δυνατόν. *Horum quemque montium unius diei ſpatio expeditum viatorem forme conſcendere*. Noſter interpres hoc loco opinor, pro *praecinctum* εὐζωνον in Tobiae codice invenit: qui tamen liber, ut Graece eſt hodie, multa deſiderat.

AD TOB. VI. 9.

Et fel valet ad ungendos oculos.] Praeter ea quae de fellis piſcium poteſtate in ocularia medicina Bochartus & alii produxerunt, prodeat in medium Marcellus Sidetes M. Antonini Imp. aequalis in Ἰατρικοῖς περὶ ἰχθύων (quae Fabricius to. 1. biblioth. Graecae inſeruit) ver. 55. τῦ (paſtinacae ne piſcis, de quo ille hîc ſcribere propoſuerat, an ſcari, quem proxime nominaverat incertum). Verum hexametri ſunt hujuſmodi.

Τῦ δριμεῖα χολὴ μέλιτος μέτα, φάεα θέλγει,
Ὀξὺ σέλας Φορέουσα λιταύγεσιν ὀφθαλμοῖσιν.
Illius, haud ſine melle, fel acre medetur ocellis,
Quos caligantes juvat, ut tueantur acutum.

AD TOB. XII. 19.

Videbar quidem vobiſcum manducare & bibere: ſed ego cibo inviſibili & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, utor.] Homerus Il. E. 341. de diis ſic habet:

Οὐ γὰρ σῖτον ἔδουσ', οὐ πίνουσ' αἴθοπα οἶνον.
Τὕνεκ' ἀναίμονές εἰσι, καὶ ἀθάνατοι καλέονται.
Nam neque panis eis cibus eſt, nec potus Iacchus:
Hincque cruore carent, Immortaleſque vocantur.

AD LIBRVM JVDITH.

AD JVDITH II. 4.

Vocavit Nabuchodonoſor rex Holofernem principem militiae ſuae.] Holofernis nomen uſitatum apud Orientales invenio. Memini in Xenophontis Κύρου παιδείᾳ illud olim reperiſſe. In Appiani certe Συριακῇ pag. 118. reperi Holophernem Ariarathis, ut ferebatur, fratrem Cappadociae regnum invaſiſſe, pulſo Ariarathe. Verum quia jam Grotius id occupavit, fortaſſis & alii, afferendo loco ſuperſedi.

AD JVDITH II. 13.

Effregit autem civitatem opinatiſſimam Melothi.] Hoc ut alia pleraque a Graeco abſunt. Florus II. 7. *Rhodus opinatiſſima inſula, & totius Aſiae inſularum metropolis*. Gellius quoque *opinatiſſimos auctores* dixiſſe dicitur. Gloſſae: δεδοκιμασμένως *opinate*. Alibi: *Opinatus, exiſtimatus*, ἔνδοξος.

AD

AD IVDITH III. 9.

Vt . . . principes & honorati simul cum populis exirent obviam venienti.] In Graeco nihil est quod his respondeat: sed tamen *Honorati* nuncupabantur ii, qui Graecis ἀξιωματικοὶ dicebantur. De his copiose Valesius ad Ammiani XIV. 5.

AD IVDITH VIII. 5.

Et in superioribus domus suae fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur.) Gr. καὶ ἐποίησεν ἑαυτῇ σκηνὴν ἐπὶ τῷ δώματος τῷ οἴκου αὐτῆς. Non tantum apud Hebraeos, sed & apud antiquos Graecos forma tectorum plana erat, non fastigata, adeo ut saepe ibi cubarent. Vide dicta ad 2. Sam. XVI. 22. Homerus Il. Z. 248. mulierum cubicula τεγέως θαλάμους vocat h. e. *in tecto thalamos*: cenacula Latinis ea dicebantur. Quae sequuntur verba (*In quo cum puellis suis clausa morabatur*) ea in Graeco codice desiderantur, videnturque, ut alia multa quae Graece desunt, ex fonte expressa. Homerus passim in ὑπερῴοις h. e. cenaculis mulieres collocat: uti Penelopen Od. XV. & alibi: uti Astyochen Il. II., & Polymelam Il. XVI. Ibidem γυναικεῖον sive thalamus erat, quo apud veteres Graecos mulieres praesertim virgines, se continebant. Od. IV. Penelope (ὑπερῷ' ἀναβᾶσα) in θαλάμῳ ponitur. Item Helena Il. Γ. 423.

Ἤϐη εἰς ὑψόροφον θάλαμον κίε δῖα γυναικῶν.
In celsum thalamum se abscondit diva virago.

Helenae vero thalamum ἐν ὑπερῴῳ fuisse ex Athenaeo II. 16. constat, ubi haec leguntur: Ἐκάλουν δὲ καὶ τὰ νῦν τῶν οἰκιῶν παρ' ἡμῖν καλούμενα ὑπερῷα, ᾤϊα, ὡς φησι Κλέαρχος ἐν ἐρωτικοῖς, τὴν Ἑλένην φάσκων ἐν τοιούτοις οἰκήμασι τρεφομένην, δόξαν ἀπενέγκασθαι παρὰ πολλοῖς, ὡς ἐξ ᾠοῦ εἴη γεγεννημένη. *Quae nunc ὑπερῷα h. e. cenacula appellamus, ea veteres ᾤϊα dixerunt: unde Clearchus in Amatoriis narrat ex eo quod Helena in cenaculis educata esset, existimasse multos ex ovo natam.*

AD IVDITH VIII. 32.

Ego exeam cum abra mea.] Graecum est nomen, hujus libri auctori & LXX, & Hellenistis ceteris familiare; quo & Ezechiel poëta Judaeus in ἐξαγωγῇ utitur, venisse filiam Pharaonis dicens ἄϐραις ὁμοῦ. Nicostrati mediae comoediae scriptoris fabula, quae Ἄϐρα inscripta erat, veteribus memoratur. Vtitur eo vocabulo & Menander pluries apud Suidam, & Jamblichus apud eumdem, & bis Lucianus in de merced. cond. Nemo tamen fortasse ante Vulgatum hujus libri Interpretem eam vocem in Latium intulit; & quidem ex duabus scribendi rationibus, quae apud Graecos reperiuntur, eam secutus est quae tenui spiritu vocabulum notat. De hac porro voce post Pollucem, Hesychium, Eustathium, Suidam, consulatur H. Steph. in Thes. Cangius in Latino Glossario, Calmetus in lexico Biblico, & alii. Ac ferme statuunt significari honoratiores matronarum pedissequas, vulgo hodie *camerarias*. Nam quidam apud Cangium ita definivit:

Abra, pedissequa, vel cameraria dicitur esse.

Sed nullam aptiorem definitionem afferri posse crediderim, quam notatam ab Auctore Graecismi apud eumdem Cangium:

Abra, pedissequae nomen, propriumque PVELLAE.

Adstipulatur Hesychius: Ἄϐρα, νέα, δοῦλαι. Adhaec Pollux ἄϐραν appellat θεράπαινίδιον

παιδίον lib. 4. c. 19. Poſtremo apud LXX ea vox redditur pro Hebraica נערה *naarah*, *puella*, quinque a me notatis locis; Gen. XXIV. 61. Ex. II. 5. Eſth. II. 9. IV. 4. & 15. ac ſemel tantum pro generico אמה *amah*, *ancilla*, nempe Ex. II. 5. ſed haec ipſa eodem commate ex *naaroth* i. e. *puellis* una dicta fuerat. Quae cum ita ſint, non alia hujus Graeci vocabuli Latina interpretatio afferri poſſe mihi viſa, quam *delicata*, quae vox Graeco nomini ἁβρὸς exacte reſpondet: niſi forte Ἄβρα peregrina vox eſt, ut infra dicemus. Sane *delicatorum* ac *delicatarum* vocabulum tam frequens eſt in veteribus inſcriptionibus, quam quod maxime. Omnino autem hoc mihi videntur eſſe in muliebri miniſterio *Abrae* ſive *Delicatae*, quod in virili id epheborum genus, quos Itali appellamus *Paggi*, quos & Latine *Delicatos* rectiſſime dixeris.

Jam vero ad vocabuli originem quod attinet: videntur grammatici pro peregrino habuiſſe nomine; unde factum, ut non, ut in ἁβρὸς, ultimam, ſed priorem acuerint; deinde ut in ſpiritu variatum fuerit. Vulgati certe interpretis tempore leniter ſcribebatur. Euſtathius omnino pro peregrina hanc vocem habuit, in Odyſ. p. 1854. αἱ θριπταὶ, inquit, τοῖς διαπόντιοις δοῦλαι, Ἄβραι λεγόμεναι ἐθνικῶς, κεῖνται παρὰ τοῖς σοφοῖς Ἕλλησι. Kuhnius ad Pollucem IV. 19. ſegm. 151. nomen a gente derivatum, producto hoc Euſtathii loco, exiſtimat, puta ab עברית *ibrith*, quia Hebraeorum Syrorumque puellae paſſim ethnicis ſervierint. Quid ſi ἐθνικῶς accipiatur pro βαρβάρως? Non id alienum ab aetate Euſtathii, qua ἐθνικοὶ (ac *gentiles* Latinis) & βάρβαροι erant ſynonyma: itaque milites, qui ex barbaris nationibus conſcribebantur, ἐθνικοὶ & *gentiles* audiebant. Quae interpretatio Euſtathii ſi admittatur; tum facilius erit, ſi ab oriente vox arceſſatur, ſcilicet ut a אבר *tranſiit* ſit אברא *abra*. Sane apud Orientales *tranſire* verbum eſt διαπορεύεσθαι, uti patet ex Act. X. 38. maximeque ex Luc. XII. 37. ubi legitur: περιζώσεται καὶ ἀνακλίνει αὐτοὺς, καὶ παρελθὼν (*tranſiens*) διακονήσει αὐτοῖς. Vide ibi dicta. Interim tam adſcripto Lucae loco, quam Joh. XIII. 4. (ubi Chriſtus, poſitis veſtimentis ſe praecingit ad miniſtrandum h. e. *tranſeundum*) perſimilis eſt *Abrarum comicarum* (perſonae id genus fuit comoediis adhibitae) deſcriptio, quam affert Pollux IV. extremo cap. 19. Ἡ δὲ Ἄβρα περίκυρος, θεραπαινίδιον ἐστι περικεκαρμένον, χιτῶνι μόνῳ ὑπεζωσμένῳ λευκῷ χρώμενον. H. e. Ἄβρα περίκυρος *eſt puella circumtonſa, alba dumtaxat tunica, eaque ſuccincta utens.*

At Latini veteres, qui eam vocem Graecae originis exiſtimarunt; eamdem *delicatam* ſuâ linguâ reddiderunt, tamquam ſi Ἁβρὰ ab ἁβρὸς *delicatus* veniret. Certe ſi eodem, *quo pruna & cottana vento* (ut Juvenalis ait) h. e. ex Syria delicati & delicatae in urbem perrepſerunt, nihil fuit prorſus *Delicatis* cum Graecia commune. Nam ferme poſt *devictam* Syriam advectus uſus *delicatorum*. Nec vero *Delicati* Romanorum ſunt in malam partem accipiendi; nam & Virgo Veſtalis ſuos delicatos habuit, ut hîc Juditha ſuam Abram. Praeter haec vide ſis quae Spicilegii to. 1. p. 108. 109. dicta.

AD JVDITH IX. 16.

Sed humilium & manſuetorum ſemper tibi placuit deprecatio.] Graeca ſic habent: ἀλλὰ ταπεινῶν εἶ Θεὸς, ἐλαττόνων εἶ βοηθὸς, ἀντιλήπτωρ ἀσθενούντων, ἀπεσμιγώτων σκεπαστὴς, ἀπηλπισμένων σωτήρ. Tria ultima inciſa videntur e diverſorum

ſorum orta interpretationibus, nam idem plane ſignificant: niſi quod qui *aegrotantes* principio dicuntur, deinde *deſperati* appellantur: ea plane notione, qua in Galeno ἀπελπίζειν τὸν νοσοῦντα eſt *omnem de aegroto ſpem abjicere*. Et in celebri tabella olim Aeſculapii templo affixa, apud Grut. LXXI. 1. Λευκίῳ πλευριτικῷ καὶ ΑΦΗΛΠΙCΜΕΝῳ (pro ἀπηλπισμένῳ) ὑπὸ παντὸς ἀνθρώπου &c. *Lucio laterum dolore laboranti, & ab omnibus deſperato, oraculum reddidit Aeſculapius*. Ac vide quoque mox de Juliano itidem ΑΦΗΛΠΙΣΜΕΝῳ. Obiter ex his lux ad Evangelii (Luc. VI. 35.) τὸ Ἀπελπίζοντες affundi poteſt.

AD JVDITH X. 12.

Filia ſum Hebraeorum.] Sic Παῖδες Ἀθηναίων pro Ἀθηναῖοι in epigrammate, quod in Euboea in Dianae templo cuidam columnae inſcriptum erat, teſte Plutarcho in Themiſtocle:

Παντοδαπῶν ἀνδρῶν γενεὰς Ἀσίης ἀπὸ χώρας
Παῖδες Ἀθηναίων τῇδε ποτ' ἐν πελάγει
Ναυμαχίῃ δαμάσαντες &c.

AD LIBRVM ESTHER.

AD ESTHER I. 8.

Nec erat qui nolentem cogeret ad bibendum &c.] Cum ceteroqui alias cogi ſolerent. Alluditur enim ad gentium conſuetudinem, apud quas rex convivii ſortito creabatur; qui rex bibendi modum ſingulis praeſcribebat, ſic ut nolentes plerumque bibere cogerentur. Id vero aberat ab Aſſueri convivio. Sicuti hodieque in Perſia in conviviis nemo cogitur ad bibendum; quantum ex ultimis itinerantium narrationibus intelligitur.

AD ESTHER I. 18.

Atque hoc exemplo omnes principum conjuges Perſarum atque Medorum parvipendunt imperia maritorum] In Graeco hîc τυραννίδες iſtae principum conjuges nuncupantur. Sicut hîc Graeci interpretes τυραννίδα uxorem regis dixerunt; ſic & Trebellius Pollio in XXX. Tyran. in Victorino: *Me feminas inter tyrannos . . . tyrannas videlicet & tyrannides, ut ipſi de me ſolent jactare, poſuiſſe*.

AD ESTHER II. 5.

Vocabulo Mardochaeus.] Occurrit & 2. Eſdr. VII. 7. idem nomen. Simile huic *Mardocepedi* nomen, a cujus tempore Hipparchus celeberrimus Aſtronomus eclipſium vetuſtiſſimarum obſervationes ſcriptas reliquiſſe traditur. Ceteroqui utriuſque nominis majus eſſe intervallum, quam ut haberi pro eodem queat. Sed fatendum quoque eſt, nomina barbara in alias linguas translata mirifice tranſmutari.

AD ESTHER V. 1.

In conſiſtoria palatii.] Vox veteribus Latinis ignota, qua nemo uſus deprehenditur ante Tertullianum (& quidem γυνικῶς pro domicilio) tum lib. de ſpect. cap. 17. ubi theatrum vocat *privatum conſiſtorium impudicitiae*; Ac lib. 2. ad Uxor. cap. 6. *Et procedet* (Dei ancilla) *de janua laureata, & lucernata, ut de novo conſiſtorio libidinum publicarum.* Eidem alibi *Conſiſtorium hominis terra* dicitur. At aevo Conſtantiniano nihil uſitatius hoc vocabulo pro *ſenatu, conſilio, conſeſſu.*

AD ESTHER VI. 8.

Debet (quem rex honorare cupit) *imponi ſuper equum, qui de ſella regis eſt.*] Heb. *quo equitat rex.* In libro Aruch inter triginta regias praerogativas haec quoque legitur אל סוסו אין רכבין *al ſuſo en rochebin:* h. e. *nemo regis equo vehitur.* Sic etiam in equo imperatoris ſeſſitare fas privato non eſſe, apud Vopiſcum Aureliano legitur. Hinc intelligis, quantus honor fuerit vehi equo regis, eo ſciente atque approbante.

AD ESTHER VIII. 4.

At ille ex more ſceptrum aureum protendit manu, quo ſignum clementiae monſtrabatur.] Iliad. X. 321. Dolon Hectorem, ut ſibi ſceptro ſublato annueret, precatur in hunc modum.

Ἀλλ' ἄγε μοι τὰ σκῆπτρον ἀνάσχεο, καὶ μοι ὄμοσσον.
Quare age mi ſceptrum attollas, precor, ac mihi jures.

AD ESTHER VIII. 14.

Veredarii celeres nuntia perferentes.] *Nuntium* neutro genere Catullus uſurpavit epigr. LXIV. verſ. 76.

Geminas deorum ad aures nova nuntia referens.

Etſi alii *nuntiat* reſcribunt. Multo illud incertius in Plauti Mercatore, *Ob iſtuc nuntium*, quamvis ex codicis Palatini fide: cum alii plerique *ob iſtunc* genere maſc. praeferunt. At habet, quo ſe Noſter tueatur, illud Sedulii *grandia nuntia*, quibus Herodem perturbatum ſcribit. Nec alia forſan ex iſtius inferioris Latinitatis ſaeculo neutrius generis exempla rimantibus deerunt.

SPI-

SPICILEGIVM
ADNOTATIONVM LITTERALIVM
IN POETICOS SACRAE SCRIPTVRAE LIBROS HOC EST
AD JOBVM, PSALMOS, ET TRES SALOMONICOS.

FAmiliare hoc Hebraeis fuit, ut sermones & scripta poëtica ἀποσπασματίοις *fragmentis (cujusmodi illud est quod ad Gen. IV. 23. 24. notavimus) adspergerent; imo non raro integris & pulcherrimis canticis exornarent, ut in Exodo, in Deuteronomio, & Prophetis. Nulli ergo mirum si & solidos libros Hebraeorum poëtae (maxime qui afflatu stimuloque Divino acti) carmine suderint. Cujusmodi sunt Jobi sequens poëma a cap. III. incipiens, item Psalmi Davidici (quibus & aliorum hymnographorum nonnulli admixti putantur) itemque Salomonis* Proverbia, Ecclesiastes, & Canticum Canticorum. *In hos ergo quinque Divinos libros adnotata aliquot, ceu micas de mensis aliorum deciduas, dabimus.*

Atque illa in primis me adhuc juvenem lacessebat cura, ut in quonam vis ac natura Hebraicae poëseos posita esset, quoad fieri posset, evolverem. Res plane ardua (maxime post puncta vocalia a Masorethis invecta) & tamen a non paucis tentata: dum antiqui ad veterum Graecorum, Latinorumque pedes poësim Hebraeorum exigere voluerunt: recentiores autem in syllabis numerandis intenti, in eo syllabarum numero, numeros poëticos quaesiverunt, observatis adhaec ὁμοιοτελεύτοις (similiter desinentibus) *quae nostri homines* Rimas *appellant. Mihi profecto antiquorum magis sententia placuit, sed ita, ut in his pedibus Hebraea tarditas magis, quam Graeca rapiditas numerorum se probaret. Adhuc apud me opinor, sunt rei hujus juveniles curae: quas proferre crimen foret, utpote primitivo pulli initio (quod* punctum saliens *in ovo Physici vocant) similiores. Atque eas nunc refricare curas, nec valetudo, nec aetas caduca patitur.*

Praeter ergo sparsa in libris Hebraeorum poëtica cantica, sequitur hic justum Vatum praecipuorum θεοπνεύστων *syntagma, quo Jobi, Davidis, & Salomonis poëtica continentur: in quae farraginem adnotatorum, quam inter veteres chartas Biblicas reperi, damus, ab Jobo incipientes, quem David excipit, ac Salomonis tria poëmata in fine sequuntur.*

AD JOBVM.
PROLEGOMENA

PRoclus commentario in Platonis politiam (pag. 379. editionis Graecae Basileensis) ait sicut Homeri nosci sententiam, non quando loquuntur Proci vel alii inepti homines, sed quando Nestor vel Vlysses: sic & Platonis cognosci mentem, non quando loquuntur Thrasymachus vel Callicles, sed quando Socrates, Parmenides, Timaeus, ἢ ἄλλος τις

τῶν ἄτω θείων. *Eadem cautio & in hoc libro adhibenda eſt. Jobo loquente, orthodoxa ac divina omnia: at amicis interſtrepentibus, non peraeque omnia ſana & caſtigata. Vt & in Evangelio ubi Chriſtus* homo peccator (*Jo. IX. 16. 24.*) *audit, ibi hoc ſceleſtas illos dixiſſe, compertum eſt: cum ſit ceteroqui* τὸ ῥητὸν *impium.*

AD JOB. I. 7.

Cui dixit Dominus: unde venis? &c.] Exſtat apud Georgium Syncellum pag. 102. *Maſtiphan* (quem Cedrenus pag. 29. *Maſtiphat* appellat) *daemoniorum principis* cum Deo colloquium. Vide utriuſque locos huc pertinentes.

AD JOB. II. 7.

A planta pedis uſque ad verticem capitis.] Cicero Or. pro Roſc. Comoedo cap. 7. *Nonne ab imis unguibus uſque ad verticem ſummum . . . ex fraude, fallaciis, mendaciis conſtare totus videtur?*

AD JOB. II. 8.

Sedens in ſterquilinio.] Saepe apud Homerum in luctu heroum eadem jacendi conſuetudo. Vt Il. XXII. 414.

. . . κυλινδόμενος κατὰ κόπρον.
. . . *ſimum per putre volutus*

& Il. XXIV. 640. Priamus Hectoris necem lugebat

Αὐλῆς ἐν χόρτοισι κυλινδόμενος κατὰ κόπρον.
Aulaï intra ſepta lutum per pingue volutus,

AD JOB. VI. 2. 3.

Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui: & calamitas, quam patior, in ſtatera. Quaſi arena maris haec gravior appareret.] Similis locutio infra XXXI. 6. & Dan. V. 27. & apud Homerum, ubi Jovem inducit Trojanorum Graecorumque fata geminâ lance penſantem. Exſtat is elegans locus Il. Θ. 69.

Καὶ τότε δὴ χρύσεια πατὴρ ἐτίταινε τάλαντα,
Ἐν δ' ἐτίθει δύο κῆρε ταλαεργέος θανάτοιο,
Τρώων θ' ἱπποδάμων καὶ Ἀχαιῶν χαλκοχιτώνων.
Ἕλκε δὲ μέσσα λαβών, ῥέπε δ' αἴσιμον ἦμαρ Ἀχαιῶν.
Αἱ μὲν Ἀχαιῶν κῆρες ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ
Ἕζετ', Τρώων δὲ πρὸς οὐρανὸν εὐρὺν ἄρθη.
Tunc geminas tollens lances Saturnius aureas,
Impoſuit duo fata trucem importantia mortem,
Trojugenûm hinc equitum, Danaum illinc aere micantum.
Horum haec ſumma dies, media cum parte ſtateram
Prenderat: in terra Danaum ſors prona reſedit,
Parte alia Troum ſurgit lanx ardua caelo.

Ac totidem fere verbis eadem deſcriptio occurrit Il. XXII. 209. Hinc factum ut eâdem ſtaterae allegoriâ, ſic tamquam emblemate, Chriſtiani uterentur ad extremi judicii vim atque rationem oculis ſubjiciendam, uti dictum ad Dan. V. 27.

Vide

Vide etiam quae dixi ad Pſ. LXI. 10. Atque hîc ferebat animus hunc Jobi locum & Pſalmum LXI. ac Danielem V. 27. in unum commentariolum compingere. Sed ea mihi cura non tanti viſa. Satis fuit ſi ad loca ipſa lectorem amandaverim.

AD JOB. IX. 17.

Multiplicabit vulnera mea etiam ſine cauſa.] Vlcera quidem beati Jobi, quorum ſaniem teſta radebat, ſatis novi: vulnera non novi. Illa ultro ἔμφυτα (*innata*) haec extrinſecus inflicta. Tamen פצע *phetſah* (quod hîc legitur) modo ἕλκος i. e. *ulcus*, modo τραῦμα *vulnus* in LXX redditur. Adde quod hîc Graeci συντρίμματα pro פצע *phetſah* verterunt, quae etſi pro utroque accipiuntur, facilius tamen ad extrinſecus allata trahuntur. Cum ergo ulcera potius ἔμφυτα, quam vulnera inflicta in Jobo noſcamus; cur Hieronymus maluit *Vulnera* interpretari? Quia quo ſaeculo haec Hieronymus eſt interpretatus, ſic vulgo loquebantur. Spartianus Hadriano cap. 25. narrat hunc imperatorem fuiſſe *promiſſa barba, ut vulnera, quae in facie naturalia erant, tegeret*. Alibi: *capillo criſpo, fronte vulnerata*. Significantur enim ἕλκη ἔμφυτα, & id quod ἡλκωμένον μέτωπον (*ulceratam frontem*) Artemidorus appellat. Ergo ſub Caeſaribus *vulnera* eadem quae *ulcera*. At vero quia hîc Seniores פצע *phetſah* (quod modo pro ἐμφύτοις ulceribus, modo pro τραύμασιν inflictis uſurpatur) συντρίμματα interpretati fuerunt; hinc in verſionibus Hieronymo vetuſtioribus *Contritiones* hîc legitur, ut in Ambroſio lib. 1. *de interpel.* Job c. 6. *Multas*, inquit, *contritiones fecit mihi*: quod reſpondet LXX-virali Συντρίμματα.

AD JOB. XI. 9.

Longior terra menſura ejus, & latior mari.] Antiquis terra longior habebatur quam latior: qua de re vide Strabonem prioribus duobus libris. Dionyſius Afer σφενδόνῃ (*fundae*) ſimilem facit. Inde gradus latitudinis ac longitudinis jam uſque ab antiquo apud geographos nomen invenerunt. Mari vero latitudinem maximam tribuebant. Pſ. CIII. *Hoc mare magnum & ſpatioſum manibus*; ubi Graeci interpretes εὐρύχωρον reddiderunt.

AD JOB. XXI. 7. & ſeq.

Quare ergo impii vivunt &c.] Ex perſona negantium providentiam dicit haec S. Job; ut pulchre explicat Ambroſ. in I. Offic. n. 41. uſque ad 44. ubi & ſimilem Platonis locum affert.

AD JOB XXIV. 24.

Et ſicut ſummitates ſpicarum conterentur.] Proprie vertendum fuiſſet, *ſummitates calamorum* ſeu *culmorum*, quia שבלת *ſhibboleth* proprie *culmum* ſeu calamum inanem qui in *ſpicam* deſinit, notat; etſi tam Hebraice quam in cetero Oriente utrumque notare ſolet, i. e. calamum cum ſpica aut συνεκδοχικῶς *ſpicam*. Ceterum in linguis cognatis ex vocabuli origine deſignat *ductum*, viam, meatum, ſemitam,

mitam, praecipue vero calamum qui a canentibus inflatur, editque muſicos ſonos. Atque hoc Tyrrheni vocabulum ex Oriente in Italiam detulerunt, in qua vox Tyrrhenica SVBVLO (certe a *Sibboleth* derivata) *tibicinem* deſignabat; ſicuti in Gloſſis veteribus SVBVLO redditur ΑΥΛΗΤΗΣ. Ac plurima alia huc perinentia libens omitto, quae olim in noſtris Tyrrhenicis uberius expoſita: imo & in Etymologico Voſſiano eadem ferme in SVBVLO reperies.

AD JOB. XXVII. 1.

Addidit quoque Job aſſumens parabolam ſuam, & dixit,] Sic quoque infra XXIX. 1. Vtrobique Graeci interpretes: ἔτι δὲ προσθεὶς Ἰὼβ εἶπε τῷ προοιμίῳ. Quid eos impulit ut משל *maſchal* (quod genus ῥητικῆ ποιήματος hîc & alibi plerumque ſignificat) hîc προοιμιον verterent? An παροιμίαν illi ſcripſerant, quod poſtea librarii in προοιμίῳ transformarunt? Quamquam & προοίμιον recte ſe habet: quae vox a citharoedis orta, uti volunt, eſt etiam rei poëticae peculiaris. Scitum eſt antiquis προοίμιον tantumdem valuiſſe, quod ὕμνον. Thucydides lib. 3. Δηλοῖ δὲ μάλιστα Ὅμηρος, ὅτι τοιαῦτα ἦν ἐν τοῖς ἔπεσι τοῖσδε, ἃ ἐστιν ἐκ προοιμίου Ἀπόλλωνος. Verſus autem, qui allegantur ſunt ex Hymno in Apollinem peziti: qui proinde Hymnus merito unus a doctis vere Homericus habetur, cum ceteri ei falſo adſcripti credantur. Sed & ibidem Thucydidis Scholiaſtes annotat: ἐκ προοιμίου, ἐξ ὕμνου· ὕμνους γὰρ τὰ προοίμια ἐκάλουν. Accedit quod quem Alcaei ὕμνον in Apollinem (diverſum ab Homerico) memorat Plutarchus lib. de Muſica, eum Pauſanias Phocicis προοίμιον εἰς Ἀπόλλωνα appellat. De hac προοιμίου ſignificatione plura videri poſſunt apud Spanhemium ad Callimachum, itemque Menagium ad Laërtium. Ariſtoteles quoque ſcripſerat *hymnos* inſcriptos, Διονυσιακῶν, Ἀ'ρτικῶν, καὶ Δηναίων Προοιμίων librum unum, ut auctor eſt Anonymus ejus vitae ſcriptor a Menagio editus.

AD JOB. XXXI. 1.

Pepigi foedus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine.] Plutarchus Pericle, hanc hujus ſummi ducis ſententiam refert, quod in expeditione quadam Sophocli egregiam pueri neſcio cujus laudanti formam, ducem oportere dixerit non tantum manus habere puras, ſed & videndi ſenſum. Καί ποτε τῦ Σοφοκλέους, ὅτε συστρατηγῶν ἐξέπλευσε μετ' αὐτοῦ, παῖδα καλὸν ἐπαινέσαντος, οὐ μόνον, ἔφη, τὰς χεῖρας ὦ Σοφόκλεις δεῖ καθαρὰς ἔχειν τὸν στρατηγὸν, ἀλλὰ καὶ τὰς ὄψεις.

AD JOB. XXXVII. 18.

Qui (caeli) *ſolidiſſimi quaſi aere fuſi ſunt.*] Conſonat Homerus ubi Il. 504. οὐρανὸν ἐς πολύχαλκον, *ad caelum aere ſolidatum* uſque equos pulverem excitaſſe canit. Adde Il. XVII. 424.

Ὡς οἱ μὲν μάρναντο, σιδήρειος δ' ὀρυμαγδὸς
Χαλκέου οὐρανὸν ἶκε.
Atque hi pugnabant: ſed ferreus ibat abenum
In caelum ſtrepitus.

Aſſibi

Alibi ferreos caelos ſtatuit, ut Od. XV. 328. ubi ſic de procorum violentia canit.

Τῶν ὕβρις τε βίηφι σιδήρεον οὐρανὸν ἵκει.
Quorum vis vehemens furit uſque ad ferrea caeli.

AD JOB. XXXVIII. 10.

Et poſui vectem & oſtia.] Vt ineptum hoc atque falſum, phyſici reprehendunt, quia ſe aquae circa centrum ita librant, ut ſi forte ſupra terras ſeſe effundant, aſcenſurae, atque a centro receſſurae protinus videri debeant. At recte Ambroſius Hex. lib. 2. c. 2. a num. 8. & deinceps hanc totam naturae legem ad Dei imperium confert. Dei igitur imperio recte dicitur mare cohiberi, ne inundet terras, quia qua lege id fit, ea lex impoſita ab auctore naturae mari altero die fuit, quando juſſit, *Congregentur aquae . . & appareat arida.* Conferes cum Ambroſio etiam Baſilium, ex quo antiquiore pleraque ille habere ſolet.

AD JOB. XXXIX. 23.

Super ipſum ſonabit pharetra.] Optime *pharetra*, id enim ſignificat אשפה *aſphah*. At Graeca interpretatio τόξον hîc habet: neque id porro inepte; nam τόξον non ſolum πᾶσαν τοξικὴν σκευωρίαν ex Euſtathio ſignificat, ſed & in primis *pharetram*. Vide Varinum in τόξον qui illo Homeri loco Il. φ. 491. ubi Juno Dianae dextera manu ἀπ' ὤμων αἴνυτο τόξα, ſubjungi ſtatim notat ταχέες ἔκπιπτον ὀϊστοί. Sagittae autem ex pharetra utique excidebant, non item ex arcu. Facile ut appareat τόξα tantumdem interdum valere quod *pharetram*.

AD JOB. XLII. 2.

Scio quod omnia potes, & nulla te latet cogitatio.] Poſterius membrum ſic ex Hebraeo verto: *Et nulla prae te* ſive *adverſum te ſatis munita eſt cogitatio*. Cur ſic vertam dixi ad Gen. XI. 6. vide ibi dicta.

AD JOB XLII. 5.

Auditu auris audivi te.] ſic Heb. Ac ſic etiam Homerus Il. XII. 442.

. . . Οἱ δ' ἄρα πάντες ἄκουσαν.
At audierunt illi auribus omnes.

AD PSALMOS.

AD PS. I. 4. 5. 6.

Ver. 4. *Non ſic impii non ſic: ſed tamquam pulvis, quem projicit ventus a facie terrae.*] Hebraeum מץ *mots*, *glumam* ſignificat: ut de ventilatione frumenti hîc ſermo ſit. *Terra* hîc aream ſignificat, ut Jer. XV. 7. LI. 2. Deut. XXXIII. 17. & alibi ſaepe, ubi de ventilatione agitur. Homerus.

Ὡς δ' ἄνεμος ἄχνας φορέει ἱερὰς κατ' ἀλωάς.
Vento diſjectis purgatur ut area glumis.

Sed tamquam pulvis, quem projicit ventus a facie terrae.] Hebraicum מץ *mots* non tantum *glumam* notat, ſed & quidquid antiqui *quiſquilias* vocabant; vide Feſtum

ſtum in *Quiſquiliae*, ubi & illum Caecilii affert verſum, quo quisquilias pulchre appellat *venti ſpolia*: *Quisquilias, volantis venti ſpolia, memoras, I modo*. Eadem comparatione glumae (aut quovis modo nuncupes) utitur vetus poëta apud Dionem Chryſoſt. or. 32.

Ver. 5. *Ideo non reſurgent impii in judicio*.] Heb. *jakumu, ſtabunt*. Perſtat enim in ventilationis allegoria, cui hîc & Matt. III. 12. & alibi Domini judicium pulchre comparatur. Certe enim ſicut in arêa dum triticum ventilatur, paleae a vento diſſipantur, frumentum ſuo pondere ſtat; ſic impii in judicio, tamquam gluma diſjecti, conſiſtere non poterunt. Juſti autem ibidem *ſtare* dicuntur: *ſtabunt juſti in magna conſtantia &c.* & alibi non raro. Proderit egregiam ventilationis comparationem Davidicae huic non diſſimilem afferre ex Homero Il. E. 499.

Ὡς δ' ὅτε πρηὺς ἄνεμος ἄχνας φορέει ἱερὰς κατ' ἀλωάς,
Ἀνδρῶν λικμάοντων, ὅτε τε ξανθὴ Δημήτηρ
Κρίνῃ ἐπευχομένων ἀνέμων καρπόν τε καὶ ἄχνας.
Vento diſjectis purgatur ut area glumis,
Agricola inſudante, faventibus atque favonjs,
Ac dirimente dea paleis cerealia dona.

Ver. 6. *Quoniam novit Dominus viam juſtorum*.] *Novit* pro *adprobat*. Videtur eâdem notione verbum frequenter in ore Chriſtianorum fuiſſe, quando Pſalterium Latine verſum, atque ita ut etiam ad gentiles ea notio manarit; quippe cum apud Capitolinum in Gordiani Senioris vita cap. 14. Maximinus dicat: *Et ne hoc parum eſt: ſed factum Afrorum nobilis ille Senatus agnovit*. i. e. probavit.

AD PS. III. 1.

Pſalmus David.] Frequens hic titulus, ac ſemper Hebraice לדוד *Ledavid* h. e. *Pſalmus Davidi*, caſu tertio pro genitivo. Graecorum vetuſtiſſimi id imitabantur, uti Homerus fecit Il. K. 559. . . . τὸν δέ σφιν ἄκαχε' ἀγαθὸς Διομήδης Ἔκτωρ. Item Il. Λ. 704.... μή τις οἱ ἀτιμβόμενος κίοι ἴσης. In quibus dativus σφὶν pro σφῶν *ipſorum*, & alter dativus οἱ pro ἑ i. e. *ſui* uſurpatur. Nam ad verbum ita verterentur: *Hunc autem ipſis* (pro *ipſorum*) *regem ſtrenuus Diomedes Occidit*. Et verſo altero: *Nequis ſibi* (pro *ſui*) *fraudatus abiret portione*. Ad quae loca recte Scholiaſtes, qui ſub Didymi nomine circumfertur, notavit dativum pro genitivo poſitum: at editor Schrevelius interpolavit Scholiaſten, quippe de ſuo addens eſſe γενικὴν ἑβραϊκήν, quo Scholiaſten foedavit. Tametſi enim adnotatio proba eſt, non continuo eam licuit inſcio grammatico inſeri.

AD PS. III. 3. AD סלה.

Multi dicunt animae meae, Non eſt ſalus ipſi in Deo ejus.] Deinde eſt in Heb. סלה *Selah*. Ea vox vix aliter a LXX quam διάψαλμα vertitur; quo notatur pauſa inter canendum. Ac videtur Buxtorfio id vocabulum inde eam notionem habere, quod סלה *ſalah* (unde ἀναλογικῶς fit iſtud *ſelah*) ſignificat *ſternere*: hinc a voce ſternenda videtur factum *ſelah*. Sane ſi Latinae primitivae radices maximam partem ab Heb. vocibus fluunt, (uti locis plurimis oſtendiſſe memini) non inepte poterit & a Latino verbo SILEO (quod a סלה factum non dubito; quia pleraque ſecundae conjugationis Latinae verba a quieſcentibus *Lamed He* proficiſcuntur) ſignificatio τῦ סלה argui: quod verbum videtur *ſilendi* aut *ſilentium indicendi*

no-

notione fuiſſe praeditum. Sic Pſ. CXIX. 118. סלית *ſalitha* i. e. *filtra, feciſti omnes errantes &c.* Et Thren. I. 15. סלה *ſillah* i. e. *quieſcere fecit omnes robuſtos meos &c.* Quae ſignificatio quia inſolens videbatur, ideo ei verbo *conculcandi* ſignificatio vulgo tributa fuit.

AD PS. III. 6.

Ego dormivi & ſoporatus ſum & exſurrexi.] Vniverſa traditio haec non niſi de morte & reſurrectione Chriſti accepit. Et adſtipulatur LXXviralis translatio ἐγὼ ἐκοιμήθην· nam τὸ κοιμᾶσθαι ſumitur frequenter κατ' εὐφημισμὸν pro *mori*: unde κοιμητήριον nomen: de quo vide dicta ad Joh. XI. 11.

AD PSALMI IV. TITVLVM.

In finem.] Non diſplicet ea ſententia, quae למנצח *lamnatſeah* idem eſſe ſtatuit quod לנצח *lanetſah*. Hoc autem *in perpetuum* ſignificat; & tamen ſemper ac reperitur in ſonte, Graeci poſuerunt εἰς τὸ τέλος *In finem*. At vetus interpres *In aeternum* aut *ſemper* reddiderat. In Barnabae quoque epiſtola par. 2. cap. 1. illud εἰς τέλος μισήσεις τὸν πονηρὸν, reperi veterem interpretem reddidiſſe: *ſemper odio habebis flagitioſum*.

AD PS. IV. 5.

Iraſcimini & nolite peccare.] Sic interpungi poteſt: *Iraſcimini? at nolite peccare.* Si quando vos iratos ſenſeritis, ne ad injuriam uſque ſive re ſive verbis prorumpatis. Ambroſius in I. Offic. 21. num. 94. *Ferunt gentiles . . . Architae Tarentini dictum, quod ad Villicum ſuum dixerit: O te infelicem, quem afflictarem, niſi iratus eſſem* (quod tamen dictum alii aliis tribuerunt, Laërtius Platoni, Plutarchus Charillo, Stobeus Theanoni: at Val. Maximus IV. 1. huic ipſi Architae adſcribit) Pergit Ambroſius: *Sed jam David & armatam dexteram in indignatione compreſſerat: & quanto plus eſt non remaledicere, quam non vindicare? &c.* Ac rurſus ibid. num. 96. *Iraſcimini, ubi culpa eſt, cui iraſci debeatis . . alioquin non virtus, ſed lentitudo & remiſſio judicatur. Iraſcimini ergo ita ut a culpa abſtineatis. Vel ſic: ſi iraſcimini, nolite peccare, ſed vincite ratione iracundiam*, ſtatim ſcil. atque illam oboriri ſenſeritis. Porro Lactantius lib. De ira Dei cap. 17. docet, quatenus ira juſta eſſe debeat, ſic deſinens: *Ira quae ad correctionem vitiorum pertinet, nec homini adimi debet, nec Deo poteſt, quia & utilis eſt rebus humanis & neceſſaria.*

AD PS. IV. 9.

In pace in idipſum dormiam &c.] Hinc illa profecta formula in Judaicis tumulis non infrequens ΕΝ ΕΙΡΗΝΗ ΚΟΙΜΗΣΙΣ ΑΥΤΟΥ, de qua vide dicta ad Joh. XI. 11. Nam & hoc Pſalmi loco de dormitione mortis eſt ſermo, ſaltem myſticus & occultior, uti patet ex Hebraico אשכב & apud LXX κοιμηθήσομαι. quae, κατ' εὐφημισμὸν, de morte uſurpantur; ut in dictum Joh. locum diſſerui.

AD PS. V. 2.

Intellige clamorem meum.] Nihil neceſſe eſt, ut Hebraeum הגיגי *hagigi*, *meditationem* interpreteris, ut cum τῷ *Intellige* & cum בינה *binah* ſtare poſſit. Nam & Hebraicum בן *bun* (*intelligo*) ſaepe ad ſenſus refertur. Non aliter Vitruvius V. 2. *Vox ab iis* (coronis) *morata, priuſquam in aëre elata diſſipetur, auribus erit intellecta.*

De gustu Columella XII. 21. *ut aquae falsae non intelligatur sapor*. Et cap. 20. *Ne conditus sapor intelligatur*. Idem de arboribus cap. 13. *Intelligere frigus*.

AD PS. VI. 6.

In inferno autem quis confitebitur tibi.] Nemo dubitat quin שאול *sceol*, *sepulcrum* seu alterius vitae statum significet: & in eam partem accepit hunc locum Cyprianus epist. ad Antonianum: *Placuit . . . sacrificatis* (h. e. iis qui idolis sacrificarunt) *in exitu subveniri: quia exomologesis apud inferos non est*. Nulli dubium quin ad hunc Psalmi locum respexerit S. Martyr, & *Confessionem* (quam pro Divini Numinis celebratione solent Hebraei usurpare) ad Christianam exomologesin accommodarit, quod Patribus non est insolens.

AD PS. VIII. 3.

Ut destruas inimicum & ultorem.] In versione, qua utebantur tempore B. Martini, legebatur *Inimicum & defensorem*. Pulchra enim est historia quam refert Sulpic. Severus de vita B. Mart. cap. 7. de illo Defensore episcopo, qui Martini ordinationi resistebat, opportuneque per hunc Psalmi versiculum pudefacto: *Ex ore infantium &c. ut destruas inimicum & defensorem*: quem versum, aperto temere libro, tum forte quis legit.

Ac revera sic olim in Italica legebatur, uti constat ex Psalterio Vaticano, Mediolanensi, ex Mozarabico, ex Ambrosio, & pluribus aliis: etsi Augustinus, & Pacianus praeferebant *Vindicatorem*; certe quia in Graeco est ἐκδικητήν.

AD PS. X. 5.

Dominus interrogat justum & impium, qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.] Heb. *Impium autem & amantem iniquitatis odit anima ejus*. Cujus? justi ne an Dei? Utrumque defendi potest. Sed magis est, ut ad Deum referam; cui si humana membra ἀνθρωποπαθῶς tribuuntur, quid non & *Anima* tribuatur? Sane Amos VI. 8. jurat Deus בנפשׁו *benaphscio*, *per animam suam*.

AD PS. X. 18.

Judicare pupillo & humili.] Heb. *Ad judicandum pupillum & tenuem*. Ceterum ista syntaxis tam hic quam Ps. LXXXI. 3. & Is. I. 17. 23. ex Graecis est interpretibus. Quamquam & alioqui Latini veteres *judicare alicui* dicebant. Vetus formula apud Livium I. 26. *Duumviros, inquit* (rex Tullus) *qui Horatio perduellionem judicent secundum legem, facio*. Ibidem duumvir pronuntiat in hunc modum: *P. Horati, tibi perduellionem judico*. Ad haec lib. 26. 3. *Quoad vel capitis vel pecuniae judicassit privato. Tum Sempronius, perduellionis se judicare Cn. Fulvio dixit*. Et lib. 36. *se judicare Cn. Fulvio dixit*. Nec Sophocles aliter dixerat:

Κρίνειν ἔμελλε κράτος ἀφηβείας τυί.

quod *adjudicare* significat; at absolute Κρίνω ὀφανῷ, quod Graeci dixere interpretes, est pupillis cautam adjudicare. Adde recentiores Latinos, ut apud Vopiscum Floriano cap. 2. 46. Aruspicibus post mille annos imperator futurus praedicitur, qui toti dominetur orbi, *Qui* (inquit) *Sarmatis omnibus judicet &c.* Chrestodorus

ſtodorus lib. III. 1. Anthologiae . . . καὶ Ἰλλυρίοισι διχάζων.

AD PS. XI. 3.

In corde & corde locuti ſunt.] Quaſi duplici corde, quorum unum in ore, alterum in pectore: id quod Cic. III. de Or. 16. *diſſidium linguae atque cordis* appellavit. Et quidem *cor* pro mente aut ratione Hebraico more non deeſt ubi apud Latinos reperias, veluti Ciceronem qui praeter adſcriptum locum, Phil. III. 6. *ſtuporem cordis* dixit. Phaedrus III. fab. 1. *Curamque habendi penitus corde eraſerim.* Ovid. ep. XIX. 156.

O penitus toto corde recepte mihi.

Luſ. Priap. 1. *Nam ſenſus mihi corque defuiſſet.*

AD PS. XV. 5.

Dominus pars hereditatis meae &c.] Hic verſus, & qui ſequitur, Davidi qui Levita non fuit, minime convenit, ſed Chriſto.

AD PS. XVII. 27.

Cum ſancto ſanctus eris &c. & cum perverſo perverteris.] Jampridem viri docti verba haec ad Deum, ut & praecedentia ac ſequentia, dirigi notarunt: ſignificant autem Deum nos imitari, cum bonis praemia, malis ſupplicia rependat. Vide quam bene hoc expreſſerit Ignatius epiſt. ad Magneſios. Μὴ ὦν ἀναισθητῶμεν τῆς χρηστότητος αὐτοῦ. ἂν γὰρ ἡμᾶς μιμήσεται, καθὰ πράσσωμεν, οὐκ ἔτι ἐσμέν. Vetus interpres: *Non igitur non ſentiamus benignitatem ipſius. Si enim nos perſequatur* (h. e. imitetur) *ſecundum quod operamur; non amplius ſumus.*

AD PS. XVII. 34.

Ponens pedes meos quaſi cervorum.] Heb. מְשִׂים *diſponens pedes meos quaſi cervorum*, ſeu (אילות *ajaloth*) *cervarum*. In noſtris Graeciſque translationibus ſaepe *cervus* pro *cerva* ponitur: nam cervi nomine uterque ſexus veniebat: quod genus ἐπίκοινον grammatici vocant. Laudatur hîc a Pſalmiſta curſus velocitas apud antiquos celebratiſſima, ut in illo Homeri πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς. Nam cervi pernicitas mire ab antiquitate praedicabatur. Hor. I. Od. 16. *Quem tu Cervus uti vallis in altera Viſum parte lupum graminis immemor, Sublimi fugies mollis anhelitu.* Paſſim Homerus & antiqui omnes miram curſus rapiditatem huic generi tribuunt. Verum hinnulei vincebant grandiores agilitate: quae tamen in toto hoc genere maxima putabatur. Vnde quod ἐλαφρὸς pro levi agilique ſumatur, id Etymologus adſciſcit ἀπὸ τῆς ἐλάφου, ἥ ἐστι κουφότατον καὶ εὐκίνητον, *a cerva quae animal leviſſimum & agilliſmum eſt.*

AD PS. XVIII. 1.

Caeli enarrant gloriam Dei &c.] Vtitur aliquoties hujus Pſalmi teſtimoniis Simplicius comm. in libros de caelo pag. 21. & 32. diſputans adverſus Joh. Philoponum; & non ſolum hinc, ſed & ex Pſ. CIII. 5. confirmans mundi ἀϊδιότητα.

AD PS. XVIII. 5.

In omnem terram exivit ſonus eorum.] Heb. *Kavam*, i. e. ut interpretor, congregatio confluxus eorum i. e. ab eis facta. Petitum ab aquis, quae congregari & confluere dicuntur Gen. 1. 9. & 10. ubi idem verbum uſurpatur, ut & alibi. At etiam gentes confluere inſtar aquarum dicuntur Jer. III. 17. *Et confluent* (Heb. idem verbum *nikvou*) *ad eam omnes gentes.*

AD PS. XVIII. 6.

Exſultavit ut gigas ad currendam viam.] Gigantes quia paucioribus paſſibus ſpatia percurrunt, ideo ποδωκείᾳ ceteris antecellunt. Homerus de Neptuno (nam dii gentium iidem & gigantes fuere) Il. XIII. 20.

Τρὶς μὲν ὁρέξατ' ἰὼν, τὸ δὲ τέτρατον ἵκετο τέκμωρ
Αἰγάς.
Tres alternarat paſſus, quarto attigit Aegas.

AD PS. XX. 13.

Quoniam pones eos dorſum: in reliquiis tuis praeparabis vultum eorum.] שכם *ſhecem* non tantum *humerum* ſive *dorſum* deſignat, ſed etiam *portionem*, ut in illo Gen. *Do tibi ſheeem* (i. e. partem) *unam* prae ceteris fratribus: & in illo Pſalmi, *Partibor ſichimam* i. e. portiones. Quare ſic poſſis interpretari. *Quoniam pones eos* (hoſtes) *portionem* (quando jure belli captivi ab victore exercitu regio dividentur) *in funibus tuis &c.* Aut vero fit tranſitus ab hoſtibus, de quibus proxime ſermo fiebat, ad regem & ejus victrices copias in hunc modum: *Pones eis* (regiis militibus) *portiones* (ex capta hoſtium regione) *in funibus tuis* (funiculos diſtributionis intelligit) *perficies* (*eam*) *in conſpectu eorum* i. e. ipſis devictis videntibus ac ringentibus.

AD PS. XXII. 16.

Et lingua mea adhaeſit faucibus meis.] Recta quidem interpretatio. Sed tamen ubi duale מלקחים *malkoehaim* aut *melkochaiim* vertitur *forcipes*, ibi ad horum ſimilitudinem (& hîc maxime) poſſunt intelligi maxillares ambo proceſſus cum ſuis dentibus ac molaribus, qui forcipum inſtar cibum ad mandendum conſtringunt, & impetunt.

AD PS. XXVI. 12.

Mentita eſt iniquitas ſibi.] Trita eſt omnium ſermone ſententia:

Ἡ δὲ κακὴ βυλὴ τῷ βυλεύσαντι κακίστη.
Conſilia prava, peſſima conſultoribus.

AD PS. XXVIII. 9.

Vox Domini praeparantis cervos.] Ex Hebraeo eſt: *Vox Jovae* (tonitru hac phraſi ſignificatur) *obſtetricat* (ſeu *parere facit*) *cervas*. Eſt nummus apud me Cauloniatarum antiquiſſimus, qui huic loco commentarii inſtar affulget: quem num-

nummum in Collectaneis ad tabulas Heracleoticas illuſtravi pag. 527. Fuſius vero iſta mihi in Diſſertatione de IOVE FIAZZO enucleata fuerunt.

AD PS. XXX. 14.

Acceperè animam meam conſiliati ſunt.] Verbum *Conſilior* inter barbara ſaeculi Paulli Diaconi recenſuerat Voſſius. Fruſtra. Nam recte illud in civitatem Romanam reduxere Auguſtus Buchnerus, & Chriſt. Cellarius curis poſterioribus, uſi exemplis Horatii, Caeſaris, Tullii, Taciti &c. Horum auctoritates qui variantibus lectionibus enervare cupiunt, praeterquam quod contra optimos ſcriptos & editos codices certant, fateantur tamen neceſſe eſt, quo ſaeculo Pſalmi & Siracides Latino ore primum audiri coeperunt, id verbum in uſu fuiſſe.

AD PS. XXXII. 9.

Verbo Dominī caeli firmati ſunt, & SPIRITV (ſeu *flatu*) *oris ejus omnis virtus eorum.*] De hoc quoque in FIAZZO diximus. Quamquam non neganda intelligentia hujus loci de Spiritu Sancto.

AD PS. XXXIV. 6.

Fiat via illorum tenebrae & lubricum, & Angelus Domini perſequens eos.] Angelum Satanae hunc eſſe intelligendum puto; qui tamen Angelus Domini dicitur, quia Divinae vindictae uti miniſter famulatur. In Barnabae epiſtola initio ſecundae partis duae viae traduntur, una lucis cui angeli Dei φωταγωγοὶ praeſint, altera tenebrarum, cui praeſideant ἄγγελοι τῦ Σατανᾶ.

AD PS. XXXIV. 8.

Guſtate & videte quoniam ſuavis eſt Dominus.] Abutebantur hoc verſu ſequioris aetatis homines, uti patet ex geoponicis juſſu Conſtantini Porphyrogeniti collectis. Ibi lib. VII. 14. efficaciſſimum adverſus vini corruptionem remedium eſſe dicitur, ſi dolio θεῖα iſta γράμματα inſcribantur *Guſtate & videte quoniam ſuavis eſt Dominus*: vel ſi verba eadem pomo inſculpantur, idque pomum in ignem conjiciatur. Vt & lib. X. cap. 88. Fructus integros in arboribus ſervari, ſi verba ex Pſ. I. adſcribantur: *Et erit tamquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.* Atque haec in guſtum ineptiarum geoponicorum librorum dare libuit. Nec tamen omnibus eamdem aſpergere levitatis infamiam voluntas eſt, ſed iis tantum auctoribus, qui iſto modo ſcripſerint: nam ſcio, eſſe in iis libris utilia plura.

AD PS. XXXV. 7.

Juſtitia tua, ſicut montes Dei.] H. e. montes altiſſimi. Nomen *Dei* apud Hebraeos ubi additur, ſaepe ſuperlativo ſervit. Simile eſt, quod apud Graecos quaecumque ſunt maxima, ἱερὰ appellantur, ut ἱερὰ νόσος, ἱερὸν ὄρος. Sic quae reliquas navis anchoras mole & firmitate ſuperabat, ea ἱερὰ cognominabatur, unde παροιμιώδες eſt *ad ſacram anchoram confugere*. Item Homerus Il. XVI, 407. ἱερὸν ἰχθὺν

ἰχθὺν vocat i. é. *magnum piscem*, & alibi pluries. Adde & Strabonem, qui lib. VII. p. 305. ait: Ister ἐπτάστομος est, addens: μέγιστον δὲ τὸ ἱερὸν στόμα καλούμενον. *Eorum ostiorum maximum est, quod sacrum appellatur.* Eodem libro pag. 298. mentio est montis, quem ἱερὸν Getae appellarunt, ubi Decaeneus, ὁ Θεὸς (ea dignitas apud Getas erat) considebat. Fuit & *Mons sacer* adjacens Romae.

Jam vero *sicuti* hîc justitiae Divinae celsitas monti procero comparatur (*sicut montes Dei*) sic apud Hom. Il. XIII. 754. Hector dicitur . . . . ὄρεϊ νιφόεντι ἐοικὼς . . . *monti par similisque nivali.*

Mitto alia plura ex quibus constet, hanc esse Hebraei sermonis proprietatem ut res quasque maximas ex Dei adjuncto significent. An hinc Graeci hauserunt, qui montes omnes, Jovis montes nuncupabant, teste Melanthe: qui tamen aliam ejus rei rationem tradit. Πᾶν δὲ ὄρος τῷ Διὸς ὄρος ὀνομάζεται. ἐπεὶ ἔθος ἦν τοῖς παλαιοῖς ὑψίστῳ ὄντι τῷ Θεῷ ἐν ὕψει θυσίας ποιεῖσθαι. *Unusquisque mons Jovis mons appellatur; propterea quod consuevit antiquitas Deo, utpote celsissimo, in excelso loco sacrificare.* Est apud Appianum in Mithridaticis pag. 215. elegans descriptio sacrificii, quod Mithridates praestentibus regibus auxiliaribus Jovi belli potenti in excelso monte fecit: ἔθυε τῷ κρατίῳ Διὶ πάτρῳ θυσίας ἐπὶ ὄρους ὑψηλοῦ. Qui mos a Persis manavit qui in praealtis montibus sacrificantes traduntur.

AD PS. XXXVIII. 1.

Dixi custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.] Pambas monachus apud Socratem IV. 23. cum esset ἀγράμματος, accessit ad quemdam ut psalmum disceret: qui audito primo hoc hujus psalmi versiculo, sequentem audire nolens, abscessit; idemque aliquando praeceptori expostulanti, quod per sex menses ad se non venisset, respondit, se primum hunc versiculum nondum opere ipso didicisse. Ac diu postea interrogatus num aliquando didicisset, integris, inquit, undeviginti annis vix eum tandem opere explere didici.

AD PS. XXXVIII. 6.

Putruerunt & corruptae sunt cicatrices meae.] Prius verbum Hebraice est הבאישו *bibisu*, quod vulgo Hebraistae omnes interpretantur *foetere*: male, quin proprie quidem meo Judicio est *rubere*, ut hîc & (*) alibi: deinde quia carnes rubescunt, antequam foeteant, & corrumpantur, idcirco μεταφορικῶς est interdum *foetere* sive potius putrescere. Hîc ergo sic potes interpretari: *Rubuerunt & tabuerunt livores mei.*

AD

(*) Ut hîc verbum hoc conjungitur cum verbo נמק *namak*, quod est *tabescere*; sic Prov. XIII. 5. cum הבאישׁ *bechephir*, *pudore afficere*: in quibus libris, utpote poëticis verba cognatae notionis cumulantur. Ad haec Is. V. 2. באשים *beusim* non sunt uvae foetidae, ut inepte plerique reddunt, sed *labruscae* (quae saturo rubore praestant) ut optime Vulgatus Interpres: sicut etiam Job XXXI. 40. Postremo Graeci interpretes I. Sam. XIII. 4. XXVII. 12. 1. Par. XIX. 6. & in citato Proverbiorum loco XIII. 5. idem hoc verbum per αἰσχύνομαι reddiderunt; sicuti 2. Sam. X. 6. per καταισχύνομαι; ac XVI. 21. per καταισχύνω. Ex his vides באש & בוש cognatae significantiae verba esse, tamquam si ex fit ἐπιθετικὸν, quod in pluribus accidit.

AD PS. XLII. 5.

Transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.] Hebraice haec ita sonant: *Transibo* (בסך *bassac*, quod interpretantur *turmam*, *turbam mixtam*) *in comitatu*, *lente incedam usque ad domum Dei*. Illud סך *sac* expossui *comitatum*, quae vox Luc. I. 44. respondet τῇ συνοδίᾳ, quomodo ad Templum adoraturi etiam CHRISTI aetate Judaei pergebant. Id nunc hodie orientales vocant *Carovana*. Conferes quae ad laudatum Lucae locum notabuntur.

AD PS. XLIV. 2.

Lingua mea calamus scribae velociter scribentis.] Vsurpari solet hic locus ad θεοπνευστίαν sacrorum voluminum confirmandam. Vt enim scribae sive notarii cum dicta aliorum excipiunt, nihil aliud de suo afferunt, quam exarandi diligentiam; sic quae scriptores divini, Divino Spiritu suggerente scripserunt, ad Numen illud quo pleni erant, sunt referenda. Atque hinc etiam intelligitur, cur stylus non semper idem in sacris scriptoribus perspiciatur. Nam ut non iidem characterum ductus in duobus tribusve καλλιγράφοις animadvertuntur, quamvis ex unius dictantis ore eadem omnes exceperint; sic Divinus Spiritus dum mentem scribentis illustrat, atque arcana pandit; stylo se tamen uniuscujusque attemperat. Quod ergo Hieronymus in Isaia sublime dicendi genus, rusticum in Jeremia sibi animadvertisse visus est; id non intellectu est difficilius, quam si ille καλλίγραφον se praestitisset, hic contra rudes atque inelegantes litterarum ductus exarasset. Atque haec quidem comparatio etiam Plutarcho in mentem venit lib. περὶ τοῦ μὴ χρᾶν ἐμμετρα νῦν τὴν Πυθίαν. Neque enim mirandum esse ait, si oraculorum versus plerumque non optimi essent; neque enim Deum versuum illorum esse auctorem habendum sed Pythiam, ejusque interpretes, Deo tantum visa suggerente, & animum illustrante, quo futura perviderentur. Atque idem subjungit: Καὶ γὰρ εἰ γράφειν ἔδει, μὴ λέγειν τοὺς χρησμούς, οὐκ ἂν οἶμαι τοῖς Θεοῖς τὰ γράμματα νομίζοντες, ἐψέγομεν, ὅτι λείπεται καλλιγραφία τῶν βασιλικῶν. *Etenim si scribenda, non enuntianda, oracula, fuissent, non puto nos Deo litteras illas imputaturos, ac criminaturos, quod regias elegantia non exaequarent.*

AD PS. XLV. 5.

Fluminis impetus laetificat civitatem Dei.] *Flumen* sumitur hic pro *mari*, ut apud Homerum *Oceanus* est ποταμός: cujus loca vide in Vossio in PELAGVS. At pro *impetus* Heb. est פלגי *pelagau* i. e. sive *altum* (unde πελάγιος & *pelagius*, dicitur de insula aut navi quae in alto est) aut est ῥοαὶ *fluxus*, unde hic in Vulgata *impetus* & alibi vertitur *rivus*. Priori versioni favet Targum, ubi pro Heb. *In cor* (h. e. medium) *maris* ponit, *bepelagus dejamma rabba* i. e. *in pelago maris magni*, cui consentit Matth. XVIII. 6. ἐν τῷ πελάγει τῆς θαλάσσης: De his plura alibi in etymologiis dicta.

AD PS. XLVIII. 12.

Sepulcra eorum domus illorum in aeternum. Tabernacula eorum in progenie & progenie:

progenie : vocaverunt nomina fua in terris fuis .] Prius comma rite translatum fuit a Senioribus & Vulgato; five quod legerunt קברם *Kibram, ſepulcrum eorum,* pro eo quod nunc legitur קרבם *Kirbam* i. e. *intimum eorum*: five id expoſuerunt per *μετάθεσιν* litterarum, de qua *Kimchius* & Aben Ezra monuerunt. Haec aliter ceteri omnes interpretes (Chaldaeus, Syrus, Aethiops, Arabs) ſunt interpretati. At hos eoſdem interpretes ſi audimus; illud *Tabernacula eorum* erit *ἐπεξήγησις* ſeu iterata inculcatio praecedentis commatis : *ſepulcra*, inquit, *eorum ſunt domus illorum in aeternum, ſuntque habitacula eorum in progenie & progenie* . Proinde auferenda eſt major diſtinctio ante τὸ *Tabernacula*, eaque reſtituenda eſt poſt *progenie*. Sententia hujus loci millies in ſepulcralibus ethnicorum titulis expreſſa reperitur, ut cum ſepulcrum DOMVS AETERNA dicitur, idque paſſim. At notabilis eſt cippus ille inſcriptus HOC (pro *hoc*) MANSVM VENI &c.

Jam vero ultimum illud *Vocaverunt nomina ſua in terris ſuis* potes ex Hebraeo ſic interpretari : *Interim dum* (poſteri) *invocant nomina eorum* (quaſi deorum ſcil.) *ſuper terras* . Hanc ſententiam ſecuti ſunt Graeci interpretes (ἐπεκαλέσαντο , *invocaverunt*) & horum fidus ſectator Aethiops . Eaque interpretatio vera eſt, quia taxatur hîc mortuorum cultus; ex quo idololatriae origo fuit teſte Auctore Sapientiae . Ceterum non aſpernanda eſt ſententia, quam praeſefert Arabs: *Vocaverunt de nominibus ſuis terras ſuas;* nimirum uti *terra Aſſur, terra Chanaan &c.* dicuntur. Verum haec interpretatio non nititur fonti Hebraico, qui ad verbum ſic habet: *vocaverunt in nominibus eorum* (non *terras* , ſed) *ſuper terras*: quod eo recidit, quod modo ex LXX poſui.

AD PS. XLIX. 1.

Deus deorum dominus locutus eſt .] Hebraiſmus in Pſalmis frequentiſſimus ad Θεὸν ὕπατον *Deum ſummum* (eumdemque unum verum Deum) ſignificandum, eâdem forma, qua *Canticum canticorum* , *ſanctum ſanctorum* & cetera in eumdem modum dicuntur. Hierocles in Aurea carmina, ubi de ſummo deo agit, haec ait: τὸν δημιεργὸν μόνον Θεόν, ὃν ΘΕΟΝ ΘΕΩΝ ἂν εἴποι τις, καὶ θεὸν ὕπατον, καὶ ἄριστον. *Creatorem ſolum Deum, quem DEVM DEORVM dixerit aliquis, & Deum ſummum & optimum.*

AD PS. XLIX. 23.

Sacrificium laudis honorificabit me .] *Hinc perfuaſum antiquis fuit, deos ſuis quemque hymnis magis, quam ſacrificiis delectari*, ut ait Auctor ſcholiorum ad Hom. Il. A. 477. Διδασκόμεθα , ὅτι πλέον τῶν θυσιῶν τέρπονται οἱ θεοὶ τοῖς ἰδίοις ἕκαστος ὕμνοις . Hinc vetuſtiſſimus quiſque poëtarum hymnis ſcriptitandis operam dederunt. Homerus, ſi minus omnes qui ſub ejus nomine ambulant, at aliquot certe ſe dignos dedit: Nec negari poteſt, quin *Hymnus in Apollinem* haud dubie ab Homero fuerit: cujus exemplum alii poſtea ſecuti.

AD PS. L. 6.

Vt juſtificeris in ſermonibus tuis & vincas cum judicaris .] Judiciale verbum δικαιοῦσθαι (*juſtificeri*) hîc Graeci uſurparunt, de quo vide quae ad Pſ. CXVIII. 5. Sed & quae ſequuntur, *Vincas cum judicaris*, de foro petita.

AD

AD PS. L. 20.

Benigne fac in bona voluntate tua Sion.] *Benigne facere* alicui, eſt elegans & Latinum. In pervetuſto marmore apud Gudium p. 143. 1. QVAE. SIBI. BENIGNE. FECIT. Terentius Adel. V. 4. 24. *Contra haec quid ego poſſiem Blande dicere aut benigne facere?* Cic. in I. Offic. *Quibus benigne videbitur fieri.* Idem in II. Offic. *Aut operâ benigne ſit indigentibus aut pecunia.*

AD PSALMI LV. TITVLVM.

In finem pro populo, qui a ſanctis longe factus eſt.] Sic Noſter ex Graeca interpretatione hunc titulum tranſtulit. At Hebraea longe aliter ſe habent: אל ינת אלם רחוקים *al jonath elem rechochim*. Quod varie interpretantur. Ac dubium eſt quid *elem* hîc ſignificet, *obmutescentiam* ne, an (quemadmodum Aben Ezra idem vocabulum Pſ. LVII. 2. exponit) *Coetum*. Poſterior interpretatio ſi admittatur, reddi poſſe videbitur: *De columba coetûs remotorum*, ſive *abſentium*. Alludetur autem ad antiquiſſimam orientalium nationum conſuetudinem, quae etiamnum perſeverat, qua columbis pro tabellariis utebantur; de quo praeter dicta a Bocharto initio to. 2. Hierozoici, alia quaedam adnotavi ad Matth. III. 16.

Sed tamen quia Targum vertit לימה שתיקא *lejonah ſchethuka* i. e. *pro columba tacita*, ac R Salomon nomine *columbae mutae* Davidem intelligit; quaerat aliquis quae cauſa ſit, cur hîc columbae tribuatur ſilentium, cum alibi (praeſertim Iſ. XXXVIII. 14. & LIX. 11.) hujus volucris ſuſurrus apprime celebretur. Notavi equidem ad Iſ. XXXVIII. 14. multa fuiſſe columbis cum vatibus ἐγγαστριμύθοις communia, hocque inter cetera, quod ſicut iſtae fatidicae, immoto ore, alvo eloqui credebantur; idem videretur in columbis uſuvenire: Vide ibi dicta. En igitur cauſam, cur columba ſilere dicatur, tum etiam cum maxime ſuſurrat; quia in eâdem avi cum oris taciturnitate ventris aut ingluviei loquacitas jungitur.

AD PS. LV. 7.

Ipſi calcaneum meum obſervabunt.] Id vero πρὸς τὸ ὑποσκελίζειν, *ad ſupplantandum*. De ὑποσκελίζω ſaepe Pollux. Sed σφυρῶν προσπαλαίειν conſueviſſe antiquos, (quod eſt *calce luctari*) Philoſtratus in Arrichione docebit.

AD PS. LVII. 8.

Intendit arcum ſuum, donec infirmentur.] Hebraice *Intendit* (דרך *bitſau*) *ſagittas ſuas*. Sed Graeci interpretes pro βέλεσι i. e. *ſagittis* τόξον, *arcum* poſuerunt, quod intelligerent nomine τόξου etiam ſagittas venire. Heſychius: τόξον, κυρίως αὐτὸ βέλος, δηλοῖ δὲ καὶ τὴν τοξικὴν ἐμπειρίαν, καὶ αὐτὰ τὰ βέλη. Ait τόξον proprie quidem *jacula* notare, tamen & pro jaculandi arte, & pro jaculis uſurpari. Vide & Euſtathium pag. 1248. ubi adnotat, Homerum ejus vocabuli ambitu συμπεριλαμβάνειν καὶ τὸ; ὀϊστὸς καὶ ὅλως πᾶσαν τοξικὴν σκευωρίαν, *comprehendere & ſagittas & omnem ſagittarium apparatum*. Homeri exempla, quibus τόξον pro ſagittis ſumitur, vide apud H. Steph. Infra Pſ. LXIII. 3. pro Hebraico דרך *bitſau* (*ſagittas ſuas*) Graeci itidem τόξον poſuerunt, ut Vulg. interpres *Arcum*. Vide to. I. ad Gen. IX. 13. 14. 15.

AD PS. LXI. 10.

Verumtamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in ſtateris, ut decipiant ipſi de vanitate in idipſum.] Hebraea ad verbum ſic ſonant: *Certe vanitas ſunt filii hominum, mendacium filii viri.* Huc uſque ſunt liquida omnia: quae ſequuntur, obſcuriora: *In ſtatera ad aſcendendum de vanitate pariter.* Sed optima in his tenebris ſententia intermicat, quae talis eſt: *ut in ſtatera prae vanitate aſcendant pariter*: i. e. ſi in una lance ponantur homines univerſi, in altera vero vanitas ipſa, lanx vanitatis deprimetur, uti ponderoſior, at illa altera aſcenſu ſuo levior probabitur. Eſt haec ſane Hebraeorum interpretatio bene vetus, ut quae in Targum reperitur, ubi παραφράζεται locus hic in hunc modum: *Si acceperint homines ſtateram, ponderantes* (מזלידון *mezelehon*) *fata ſua, ipſi quidem prae vanitate ſua leviores erunt.* Nec video cur haec interpretatio minus ſe Calmeto probaverit; quae certe complectitur αἰτιολογίαν ejus, quod in Pſalmo dicitur, in Deo, non in hominibus ſpem eſſe ponendam. Deinde & erudita eſt Chaldaei phraſeologia de ponderatione fatorum, planeque Homerica. Ad ſimilem Jobi VI. 2. 3. locum attulimus Homeri ex Il. Θ. 69. carmina de Jove δύο κῆρε i. e. *duo fata* Trojanorum Graecorumque appendente in ſtatera duarum lancium, quarum quae Trojanorum erat eminuit, Graecorum altera ſubſedit: ſicuti & parem ejuſdem Poëtae locum de ponderatis a Jove Hectoris & Achillis fatis dedimus ad ſimilem hujus ſententiam Dan. V. 27. Hoc tantum diſpar reperio, quod in his omnibus Scripturae locis id quod eſt deterius, ſurgit; quod melius, deprimitur: at contra ſe res in Homero habet.

Si cui tamen argutior haec interpretatio videbitur, quam pro Pſalmographi gravitate ac ſimplicitate; auctor ei ſim, ut τὸ מהבל *mehebel* vertat *propter vanitatem* i. e. *levitatem ſuam*; ut הבל *hebel* non ſit hîc alterius lancis ἀντίρροπον (quod acumen ſophiſticum redoleret) ſed cauſa, cur filii hominum in ſtatera ſurſum leventur. Cum autem contendat hîc Vates, in Deo non in hominibus ſpem nobis eſſe poſitam; non inepte hinc concludas, in una lance Deum a Divino poëta fuiſſe poſitum, homines in altera: hos autem ſimul omnes propter levitatem ſurſum evadere, Deum immenſe ponderoſiorem reperiri. Atque haec verior eſt hujus loci intelligentia. Confer omnino, quae ad laudata Jobi & Danielis loca notavimus.

AD PS. LXVII. 24.

Linguae canum tuorum ex inimicis ab ipſo.] Obſcura ſententia, ſicut & toto ferme hoc Pſalmo. Canes ad praelia priſci homines abhibebant. Hom. initio Iliados:

Πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς Ἄϊδι προΐαψεν
Ἡρώων, αὐτοὺς δὲ ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν.
Multas qui fortes animas praemiſit in Orcum
Heroum, canibus praebens heu dilaniandos.

Haud multo poſt canes cum mulis junguntur. Hinc & Herculei & pleriique heroum canem ſecum ferebant. Pſalm. XXI. verſ. 21. canis & gladius una junguntur. Strabo lib. IV. pag. 200. ineunte: Κελτοὶ δὲ καὶ πρὸς τὰς πολέμους χρῶνται καὶ τύτοις (canibus Britannicis) καὶ τοῖς ἐπιχωρίοις. *Galli cum his,*

bis, tùm ſuis canibus in bello utuntur. Multa olim militiae cum κυνηγεσίᾳ ſimilitudo interceſſit; multa quoque expeditionibus militaribus cum gregum deductione, cum qua confert Iſraëlitarum ἔξοδον alibi Pſalmographus, *deduxiſti ſicut oves populum tuum*. Etiam de canibus gregis mentio eſt Jobi XXX. 1. Vtut eſt, ſive militari, ſive paſtoritio more, canes adhibuiſſe ſecum in illa ἐξόδῳ Iſraëlitas, certiſſimum habeo.

AD PS. LXXIII. 12.

Operatus eſt ſalutem in medio terrae.] Norunt eruditi viri duplicem hîc eſſe, hebraiſmum, unum *in medio* pro ſimplici *In*, alterum quo *Terra* κατ' ἐξοχὴν pro terra Iſraël uſurpatur. Venere ergo licuerit: *Operatus eſt ſalutem in terra Iſraël*. Ceteroqui Judaei Palaeſtinam totius orbis terrarum umbilicum videntur credidiſſe, nihil in hoc Graecis concedentes, qui iſtud idem de Delphis jactabant, uti narrat Strabo. Quare Graeci poëtae commenti fuere, Jovem orbis meditullium inveſtigaturum, duas aquilas (Pindarus cornices, alii cygnos fuiſſe malunt) unam ad orientem ſolem, in occidentem alteram, diverſas ablegaſſe, has vero Delphos conveniſſe. Hinc Delphi ὀμφαλὸς (*umbilicus*) aut μεσόμφαλον γῆς ab Euripide appellati. Quo ſpectant & illa Sophoclis Oedip. Tyr. 908. Οὐκέτι τὸν ἄβικτον εἶμι Γᾶς ἐπ' ὄμφαλον σέβων. *Non amplius ad ſanctum ibo Telluris umbilicum venerabundus*. Alii idem oraculum μεσόμφαλον μαντεῖον nuncuparunt. Hinc etiam Strabone & Pauſania auctoribus inter hujus templi ἀναθήματα (*donaria*) umbilici effigies ex candido lapide, ex duabus ſuperne aquilis in hujus rei memoriam dependebat. Atqui a me ſi quaeras, quid Graecis in mentem venerit Delphos *terrae umbilicum* vocare, non invitus reſponderim, eos Judaeorum imitatores fuiſſe, qui ex Davidicis canticis, aliiſque Scripturae locis Judaeam, & Hieroſolymam in primis, *in medio terrae* geſtiverint conſtituere, craſſius ſcil. iſtud *in medio terrae* accipientes: quod re vera ex Hebraica phraſeologia non erat aliud quam *In terra*, aut ſi mavis, in cultiore habitabilis terrae parte.

Quamquam Lactantius & Phurnutus ὀμφάλῳ appellationem non ab *umbilico*, ſed aliunde Delphis datam malunt; a divinis nempe reſponſis, quae ὄμφαι dicuntur. Non diſpliceret, ſi recte ὄμφαλος ab ὄμφῃ derivari poſſet.

AD PS. LXXIII. 17.

Aeſtatem & ver tu plaſmaſti ea.] In Heb. eſt קַיִץ וְחֹרֶף *kaits vachoreph*, *Aeſtatem & hiemem*: non *Aeſtatem & Ver* ut in LXX. & in Vulg. Nam *Aeſtas* & *Ver* annum non abſolvunt, quia reſtat adhuc ἐξάμηνον alterum ab Hieme & Autumno complendum. At in Hebraica lectione *Aeſtas & hiems* (cum ſingulae adhaerentes ſibi utrinque particulas *Autumni* & *Veris* adglutinent) annum abſolvunt; quia ſic auctae ex vicinia tam aeſtas quam hiems ἐξάμηνα ex τριμήνοις evadent. Haec cum ita ſint, quid ſibi Seniores Alexandrini volunt, dum Ver cum aeſtate ex vicino jungentes, annum fecere ſemeſtrem pro δωδεκαμήνῳ? Sed Moſes cauſam decidet his verbis Gen. VIII. 22. *Cunctis diebus terrae, ſementis & meſſis, frigus & aeſtus, aeſtas & hiems . . . non requieſcent*. Vbi perſpicue vides duo anni tempora & quidem ambo ſemeſtria, diſtingui, nempe Aeſtatem & Hiemem (non ſecus atque in hoc Pſalmo) & quidem Aeſtati *meſſem* & *aeſtum* adcenſeri, Hiemi vero *Sementem* & *frigus*. Nolo hîc plura de bifida antiquitus an-

ni in Aeſtatem Hiememque partitione differere: niſi quod notandum eſt, Perſas etiamnum hoc tempore (ut ex viatorum narrationibus conſtat) non alias anni horas quam aeſtatem hiememque agnoſcere. Nunc jam & illud ex Orphei (1) reliquiis addam, quod in fragmenti alterius fine legitur ea locutione quae huic Davidicae non eſt diſſimilis.

Σὴν μὲν ἔαρ λάμπει νέον ἄνθεσι πορφυρέοισι.
Σὸς χειμὼν ψυχραῖσιν ἐπιρχόμενος νεφέλαισιν.
Seu cum purpureis vernat novus annus in agris,
Aut ubi ſaevit hiems, ſtat legibus omne Tonantis.

Jam non omittam, quod plurimae nationes tres anni *horas* numerabant, ver, aeſtatem, hiemem. Sic Aegyptii, teſte Diodoro Siculo lib. 1. qui & Hermetem, cum tres chordas lyrae ſuperinduceret, totidem anni horas imitatum tradit; nam eodem auctore vetuſtiſſimae gentes annum, uti dixi, trifariam partiebantur, unde & aërem τριτογένειαν appellatum, ob ternas mutationes. Vide Diod. lib. 1. c. 12. & Aeſchylum in Prometheo vincto pag. 31. edit. H. St. Sed & Tacitus cap. 26. veteres Germanos hiemem, ver, aeſtatem agnoviſſe, autumni nomen ignoraſſe tradit. Idem fermè de Abyſſinis notat Jobus Ludolfus hiſt. Aeth. I. 5. Idcirco Horae illae Jovis ac Themidos filiae tres non amplius apud Graecos numerabantur. Sed nolo de tempeſtatibus anni, quas *Horas* Graeci Latinique appellabant, plura ex antiquitate cumulare, quae facile ab aliis peti poſſint.

AD PS. LXXIV. 9.

Calix in manu Domini vini meri plenus miſto &c.] Hebraea loci hujus ita commode reddi queunt. *Calix in manu Domini: & vinum cum* (nimis) *rubrum ſit, redundat faecum retrimentis.* Mitto reliqua aeque obſcura. Apud antiquos vix alia vina quam rubra aut rubella, aut etiam nigra in uſu fuere. Αἴθοπα οἶνον, *vinum nigrum* memorat ſaepe Homerus. In Eudociae Maerembolitiſſae ΙΩΝΙΑ titulus eſt capitis 508. ὅτι παρὰ Χίοις πρώτοις ἐγένετο ὁ μέλας οἶνος. *Apud Chios primos fuiſſe vinum nigrum.* Falluntur qui ſic putarunt: niſi vero ibi *rubrum* a *nigro* vino diſtinguitur. Sed hujus Maerembolitiſſae capita tantum edita habemus, opus vero ipſum in forulis bibliothecarum latet.

AD PS. LXXV. 5.

Illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis.] Ex Hebraeo ſic equidem interpretor: *Luminoſus es, magnificentius paludatus, quam montes virgultis amicti.* Nam cum אדר *eder* & אדרת *addereth* ſint *paludamenti* aut magnifici amictûs nomina;

---

(1) Suidas plures Orpheos ſigillatim recenſet. Horum quem ultimo loco poſuit, Judaeorum Judicibus vult aequalem fuiſſe: quod credat Judaeus Apella. Apud me exſtat liber Genevae editus an. 1629. inſcriptus Τὰ σωζόμενα τῶν παλαιοτάτων ποιητῶν: in quorum parte III. (quae Ὀρφικὰ continet) pag. 178. ubi Suidae ſuperiora illa de mira Orphei vetuſtate recitaſſet, tria Orphei hujus fragmenta lectori offert, ſtyli ſane antiqui & elegantis, ſed procul ab ea ſimplicitate, quae Judicum Hebraeorum aetatem decuiſſet remoti; imo ad tempora Macedonica, aut etiam citeriora declinantis.

Digitized by Google

na ; אדיר *addir* erit *magnifice paludatus*. Rurſus טרף *tereph* ſignificat ſaepe *virgultum* : at *montes virgulti* quid aliud ſunt, quam *montes virgultis veſtiti*, qui magna cum gratia ſpectantur? Nam opponuntur *montibus* ערש *arar* i. e. *glabris*, ſeu φαλάκραις, (de quibus copioſe alibi dixiſſe memini) quibus nihil eſt viſu horridius.

AD PS. LXXV. 11.

Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiae cogitationum diem feſtum agent tibi.] Mihi videntur ex Hebraeo haec ita commodius verti poſſe: *Quoniam ira* (Heb. חמת *chemoth* eſt *fervor irae*) *hominis confitebitur tibi.* Recte: quia iram comprimere eſt confiteri Dominum jubentem, *Iraſcimini & ne peccetis*, h. e. ira veſtra citra peccatum conſiſtat, ac ſimul exorta, comprimatur. Jam vero quod ſequitur, *Et reliquiae* &c. ita reddes: *At reliquias irae borrebis*: h. e. iram permanentem odio habeto. Vltima vox תחגר *tachgor* non ſignificat *praecinges*, quod vulgo putant, ſed *borreſces*, litteris tranſpoſitis pro *tachrog*. Sic Pſ. XVII. 42. ירגו *jachregu* eſt *borreſcunt*: pro quo in eodem Pſalmo 2. Sam. XXII. 46. legitur trajectis litteris *jachgeru*.

AD PS. LXXVI. 3.

In die tribulationis meae Deum exquiſivi, manibus meis nocte contra eum, & non ſum deceptus.] Ex Hebraeo ſic reddidit Hieronymus: *In die tribulationis meae Dominum exquiſivi: manus mea nocte extenditur, & non quieſcit.* In oratione Hebraei manus ſuas ad caelum porrectas jugiter tenebant. Quamquam illud נגרה *niggerah* videtur ſignificare contrarium, nim. *defluxit*, quod accidit manibus, quae ſuapte ſponte ab elevatione ſenſim remittuntur. Itaque ſic vertas licebit: *manus quidem mea noctu defluxit, at non ceſſavit*, h. e. non deſtitit elevari & continenter porrigi, quantum comiti poteram. Confer Moſis factum Ex. XVII. 12. ubi manus Moſis deorſum prae laſſitudine defluentes hinc ab Aarone, illinc ab Hur erectae ſuſtentabantur.

AD PS. LXXVI. 4.

Memor fui Dei & delectatus ſum.] Aeſchyli Scholiaſtes ſane quam vetus, hunc locum affert ad Agamemn. ἐμνήσθην τῶ Θεῶ καὶ εὐφράνθην. Ac ſtatim ſubjicit ſanctiora iſtaec: ταῦτα δ' ἄγαν ἐστὶν εὐσεβῆ, quaſi dicat haec ſanctiora eſſe quam pro vulgari gentilium ingenio, quippe ex corde tanti Prophetae expreſſa.

AD PS. LXXVI. 21.

In manu Moyſi & Aaron.] In manu hebraiſmus eſt, cui ſimile illud apud Homerum Il. H. 104.

Ἔνθ' κέ τοι Μενέλαε φάνη βιότοιο τελευτὴ
Ἕκτορος ὑπ' παλάμηφιν.
Non ibi tunc Menelae ſuper tibi vita fuiſſet
Hectoris in manibus.

AD PS. LXXVII. 23.

Et mandavit nubibus deſuper, & januas caeli aperuit. Et pluit illis manna &c.] Nubes pro caeli januis ſicuti hîc habentur, ſic & apud Homerum Il. Θ. 393. & ſeq.

Αυτό-

Αυτόμαται δὲ πύλαι μύχοι ἠρανῦ, ἃς ἔχον Ὧραι,
Τῆς ἐπιτέτραπται μέγας ὐρανὸς οὔλυμπός τε,
Ἠ μὲν ἀνακλῖναι πυκινὴν νέφος, ἠδ' ἀναθεῖναι.
Sponte ſua crepuere fores bipatentis Olympi,
Quas nempe Horarum cuſtodia fida tenebat,
Quae denſas aperire valent & claudere nubes.

Sic etiam & alibi apud eumdem poëtarum principem.

AD PS. LXXVII. 54.

In funiculo diſtributionis.] Etiam apud veteres Latinos agri funibus finiebantur, unde fines a funibus dicti videntur; quod ex perantiquo cujuſdam Agrimenſoris fragmento diſcitur: *Finis*, inquio, *dicta eo, quod agri funiculis ſint diviſi.*

AD PS. LXXVIII. 2.

Carnes ſanctorum tuorum beſtiis terrae.] Il. Θ. 379.

Ἦ τις καὶ Τρώων κορέει κύνας ἠδ' οἰωνοὺς
Δημῷ καὶ σάρκεσσι . . .
Certe aliquis Troum explebit volucreſque canesque
Carnibus atque adipe.

AD PS. LXXXIV. 9.

Audiam quid loquatur in me Dominus meus.] Per ſcripturarum utique attentam lectionem. Hoc Patres inter orationem lectionemque diſcrimen ſtatuerunt, quod in illa Deum ipſi alloquimur, in hac agit nobiſcum Deus. Cyprianus epiſt. ad Donatum: *Sit tibi vel oratio aſſidua, vel lectio: nunc cum Deo loquere, nunc Deus tecum.*

AD PS. LXXXVII. 6.

Inter mortuos liber.] Κατ' ἐυφημισμὸν *liber* (Heb. חָפְשִׁי *chophshi*) ponitur pro *captivo*: unde apud Latinos eſt vox *Obſes* i. e. captivus. Sequentia, *Sicut vulnerati* &c. eamdem intelligentiam ingerunt. Adhaec *domus chophshit* i. e. *libertatis* 4. Reg. XV. 5. & 2. Paral. XXVI. 21. κατ' ἐυφημισμὸν uſurpatur pro *domo captivitatis*, in qua leproſi durante eo morbo detinentur. Plura de hoc vocis Hebraicae ſignificatu dixi in Originibus Latinarum vocum ex oriente petitarum in OBSES.

AD PS. LXXXVIII. 31. 32. 33.

Ver. 31. *Si autem dereliquerint filii ejus legem meam . . .* Ver. 32. *Si juſtitias meas profanaverint & mandata mea non cuſtodierint*: Ver. 33. *Viſitabo in virga iniquitates eorum . . .*] Vt rata ſanctio ſit, ſequitur hîc comminatio poenae. Non abſimilis locus eſt apud Homerum in fine Hymni in Apoll. v. 542. Eo hymno Cretenſes a patria abſtractos in ſuos ſacerdotes ſuumque populum Apollo adoptavit. Cumque illi de telluris ſterilitate non ſatis neceſſaria ad victum ſuppeditantis

que-

quererentur, mira Apollo de gentium confluxu ad ſuum Oraculum vaticinatur, atque ex eo rerum omnium copiam iis affuturam. Mox ſanctio legis ſequitur. Quod ſi quando, inquit, Cretenſes, aut horum poſteri aliquid temere ac perfide fecerint vixerintve,

Ἄλλοι ἔπειθ' ὑμῖν σημάντορες ἄνδρες ἔσονται,
Τῶν ὑπ' ἀναγκαίην δεδμήσεσθ' ἤματα πάντα.
Rectores tum aderunt alii, qui ſub juga miſſos
Cogant ſervire invitos noctesque dieſque.

AD PS. LXXXVIII. 46.

Minoraſti dies temporis ejus.] *Minoro* verbum in ejuſmodi tantum ſcripturae libris legitur, qui non ſunt ex Hieronymi verſione. Vtitur tamen Scaevola l. cum venderet, D. de ſervo export. *Quos*, inquit, *minorato pretio vendidit*. Vtitur & his Tertullianus.

AD PS. LXXXIX. 4.

Mille anni ante oculos tuos tanquam dies heſterna quae praeteriit.] Ex Etruſco neſcio quo hiſtoriographo refert Suidas, ſex annorum chiliadibus hanc rerum univerſitatem conditam, ita ut prima chiliade caelum & terra, ſecunda firmamentum exſtiterit, & cetera eodem modo atque ſerie, ac Moſes tradit: niſi quod Moſis diurna ſpatia in annorum chiliades convertuntur. Quam narrationem ſtatim ac legi, ad hunc Pſalmi locum reſpexiſſe auctorem illius narrationis Tyrrhenicae, quicumque fuerit, ſuſpicabar. Neque vero me tunc falſum fuiſſe, ex Barnabae epiſtola poſtea comperi: in qua cap. XV. ubi Moſis verba de univerſitate rerum ſpatio ſex dierum creata recitaſſet, ſubjungitur: Προσέχετε, τέκνα, τί λέγει, τὸ Συνετέλεσεν ἐν ἓξ ἡμέραις; τοῦτο λέγει, ὅτι συντελεῖ Κύριος ἐν ἑξακισχιλίοις ἔτεσι τὰ πάντα· ἡ γὰς ἡμέρα παρ' αὐτῷ χίλια ἔτη. αὐτὸς δὲ μαρτυρεῖ λέγων· ἰδοὺ σήμερον ἡμέρα ἔσται ὡς χίλια ἔτη· ἐκεῖν τέκνα, ἐν ἓξ ἡμέραις, ἐν τοῖς ἑξακισχιλίοις ἔτεσι συντελεσθήσεται τὰ πάντα· καὶ (fort. addendum τὰ) κατέπαυσε τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ, τοῦτο λέγει· ὅταν ἐλθὼν ὁ υἱὸς αὐτοῦ καταργήσει (fort. καταρτίσει) τὸν καιρὸν ἀνόμου, καὶ κρινεῖ τοὺς ἀσεβεῖς, καὶ ἀλλάξει τὸν ἥλιον, καὶ τὴν σελήνην, καὶ τοὺς ἀςέρας, τότε καταπαύσεται ὀν ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ. Haec in editione Cotelerii ita redduntur. *Advertite filii quid dicat*, Conſummavit in ſex diebus: *id ait, omnia conſummabit Dominus Deus in ſex millibus annorum. Nam apud illum dies aequabuntur mille annis, ut ipſemet teſtatur dicens*, Ecce hodiernus dies erit, tamquam mille anni. *Itaque, filii, in ſex diebus, h. e. in ſex annorum millibus conſummabuntur univerſa.* Et requievit die ſeptima: *Hoc ait: Quando veniet ejus filius, tempus iniqui abolebit, ac judicabit impios & mutabit ſolem ac lunam ſtellaſque, tunc pulchre requieſcet in die ſeptima.*

Haec Barnabas: cujus locum cum ad Gen. pag. 8. & ſeq. ſtudio brevitatis omiſerim, hîc eum opportune adſcribendum putavi, ut non tantum loco illi Geneſeos, ſed & huic Pſalmo Barnabas lucem affunderet. Cetera quae ex univerſa antiquitate (quae de his Moſaicis Davidiciſque chiliadibus mire ſollicita fuit) ex editis ſcriptiſque libris doctiſs. adnotator in hunc Barnabae locum (praecipue adnot. 65.) prodegit, nolui iis replere chartas, cum Coteleriana opera ſint cupidis omnibus expoſita.

AD

AD PS. LXXXIX. 9. 10.

Ver. 9. *Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur*. Ver. 10. *Dies annorum noſtrorum in ipſis, ſeptuaginta anni. Si autem in potentatibus, octoginta anni: & amplius eorum, labor & dolor.*

Ver. 9. *Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur.*] Iſtud *Meditabuntur* paſſive eſſe accipiendum vulgo volunt. Ne credas. Dumtaxat participium *Meditatus* active & paſſive ſumitur, non praeter morem hujuſmodi participiorum in VS ex deponentibus. At hîc *Meditabuntur* non poteſt non activum eſſe, maxime quia reſpondet LXXvirali ἐμελέτων (*meditabantur*) quod activum. Senes enim ita verterunt: τὰ ἔτη ἡμῶν ὡς ἀράχνη ἐμελέτων, unde hauſta Latina. Verum Hebraea longe meliora: *Conſumpſimus annos noſtros* (כמו הגה *chemo hegeh*) *tamquam ſermonem.* Quae millies imitatus Homerus eſt, quoties ἔπεα πτερόεντα, *verba alata* vocat. Horatius: *ſemel emiſſum, volat irrevocabile verbum*, quod eſt Pſalmographi menti proximius; quia annorum volatus irrevocabilis, non ſecus ac verborum.

Ver. 10. *Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni.*] Non pauci adducti argumento tituli (qui ſupra ita concipitur: *Oratio Moyſi hominis Dei*) hunc Pſalmum a Moſe compoſitum crediderunt. Sed quo pacto Moſes annum ſeptuageſimum aut octogeſimum vitae terminum ſtatuiſſet, cum ipſe annos CXX. vitae ſuae numerarit? Hinc ergo & ex aliis argumentis conſtat, titulis Pſalmorum parum eſſe fidendum, eoſque Pſalmis recentiores eſſe. Nec tamen iis aſſentior, qui ad captivitatis Babylonicae tempora aetatem cantici hujus amandant. Nihil ergo repugnat quo minus a Davide auctore proficiſci potuerit, cujus aevo intra LXX. & octoginta annos aetatum periodus concludebatur.

Atque equidem neſcio cur is error hominum mentibus inſederit, ut quotidie vitam humanam contrahi putent. Equidem, ſi res ad vivum ſit reſecanda, haud dubitem vivaciores nunc eſſe homines quam ante annos biſmille, non quod vegetiores quam antea vires humanum genus acquiſierit, ſed partim ob reſectas Chriſtiana religione noxias cupiditates, partim ob excogitatas exactiores tuendae ſanitatis rationes. Et quidem quam pauci in orbe Romano ſub Hadriano principe ſint inventi μακρόβιοι, Phlegon, qui ſummam init lib. περὶ τῶν μακροβίων docere poteſt. Adde quae to. I. Spicil. pag. 195. ex Fabretti volumine inſcriptionum notavimus.

Si autem in potentatibus octoginta anni.] גבורות *Geburoth* tam vires ſive fortitudinem, quam dominationem ſignificare poteſt. Nunc quia Graeci interpretes tum hîc, tum Pſ. XIX. 7. ἐν δυναστείαις (quo vocabulo fere ſemper Hebraicum *Geburath* reddiderunt) interpretati fuere; merito vetus Pſalmorum interpres Graecos κατὰ πόδα ſecutus, utrobique vocem *potentatus* poſuit: quam vocem pro *dominatu* olim Caeſar atque Livius uſurparant.

AD PS. XCI. 3.

In decachordo Pſalterio.] Duo ſunt inſtrumentorum nomina: prius eſt κινύρα, Hebr. כנור *cinnor* (quam ſcriptores ſacri paſſim cum *Nebel* jungunt, quamque Joſephus in VII. Antiq. 12. decem chordis intentam fuiſſe docet, ſicuti τὸ *Nebel* duodecim) alterum *Nebel*. De his vide omnino dicta to. 1. Spicil. in Exercit. etymologica ad Dan. III. 5. ubi de Pſalterio, Adnot. 8. Eadem duo nomina occur-

occurrunt Pſ. XXXII. 2. & CXLIII. 10.

AD PS. XCI. 11.

Et ſenectus mea in miſericordia uberi.] Hebraea ita ſonant, בלתי בשמן רענן *ballothi beshemen raanan* h. e. *Perfuſus ſum oleo viridi*. Cur ergo in LXX legitur, καὶ τὸ γῆράς μου ἐν ἐλέῳ πίονι, idque Latina vetus, ſicut & Vulgata hodierna retinuit? Nam utrobique legitur *Et ſenectus mea in miſericordia uberi*. Sane fuiſſe Graecis interpretibus cauſae aliquid cur ita verterint, non dubito. Origo prima in penultima voce fuit, quia in proclivi erat pro ἐλαίῳ (i. e. *oleo*, quod in Heb. eſt) ſcribi ἐλέῳ (ut hodie in Graeco eſt) i. e. *miſericordia*. Deinde τὸ *Ballothi* ad thema בלה *balah* Graeci retulerunt, quod eſt *vetuſtate teri*; cum tamen ſit a בלל *balal*, quod eſt *perfundi*.

Ergo vera interpretatio ex Hebraea lectione prodit: quae hujuſmodi eſt *Perfuſus ſum oleo viridi*. Huic interpretationi favet Aldina lectio (in qua apud LXX. ἐλαίῳ *oleo*, non vero ἐλέῳ *miſericordia*, legitur) favent & Graeca ſcholia, quae neſcio quid aliud in LXX. legiſſe videntur, & ex Symmacho ἐλαία εὐθαλὴς h. e. *olea virens*, afferunt. Favet vero potiſſimum Jonathanis Targum, quod ita ſonat, *Vnxiſti me oleo unctionis recentis olivae frondoſae*.

Rogabunt fortaſſe aliqui, quidnam eximii in *oleo viridi* fuerit, ut eo ſe potiſſimum oblectarent. Quibus reſpondeo, in menſa haud dubie *viride* fuiſſe quaeſitum, idque in inſtantem menſae uſum recens expreſſum. Atque huic *oleo viridi oleum candidum* opponebatur. Hoc alterum ita dictum quod totum ſimul tempore olivitatis expreſſum, deinde in cella condebatur in totum annum. Sed in divitum & nobilium caenis oleum illud viride (de quo nunc ſermo) data opera extrahebatur. Exſtat in hanc rem egregius Suetonii locus in Julio Caeſare cap. 53. *Circa victum C. Oppius adeo indifferentem* (Caeſarem) *docet, ut quondam ab hoſpite conditum oleum, pro viridi, appoſitum, aſpernantibus ceteris, ſolum etiam largius dicat appetiſſe: ne hoſpitem aut negligentiae, aut ruſticitatis videretur arguere*. Cum hoc Suetonii loco Caſaubonus alterum Plutarchi comparat: quem quia non adſcripſit, in lectoris commodum inferne (*) ſubjicio.

Ergo res ita ſe habet. Amabant cupediarum ſectatores in oleo, ut & recens eſſet, & viride. Qua viâ id aſſequerentur, docet Apicius lib. 1. cap. 28. *Olivas de arbore ſublatas in muriam mittis & erunt tales, quovis tempore, quaſi mox de arbore demptae, de quibus ſi volueris, OLEVM VIRIDE facias*. Quod ſcil. apponi ſibi delicatiores amabant. Cur viridi delectarentur, non alia cauſa fuit, quam quia in olivis, quae virides,

(*) Plutarchi locus in Caeſare hujuſmodi eſt. Τῆς δὲ περὶ τὸν δεῖπνον εὐτελείας καὶ τὸ παιγνιῶδες ἐνταῦθα θεατέον, ὅτι τῷ δειπνίζοντι αὐτὸν ἐν Μεδιολάνοις ξένῳ Ὀυαλερίῳ Λέοντι, παραθέντος ἀσπάραγον, καὶ μύρον ἀντ' ἐλαίου καταχέαντος, αὐτὸς μὲν ἀφειλῶς ἤσθιεν, τοῖς δὲ φίλοις δυσχεραίνουσι, ἐπέπληξεν. Ἢ μὴ γάρ, ἔφη, τὸ μὴ χρῆσθαι ἀπαιτεῖτε· Ὁ δὲ τὴν τοιαύτην ἀγροικίαν ἐξελέγχων, αὐτὸς ἦν ἄγροικος. *Quam autem indifferens fuerit circa victum hoc indicio demonſtrant, quod invitatus Mediolani ad caenam ab hoſpite Valerio Leone, qui aſparagum appoſuerat, atque olei loco infuderat unguentum, ipſe facile comederit & indignantes increpuerit amicos. Satis enim erat, inquit, abſtinere iis, a quibus abhorrebatis: nunc eam ruſticitatem qui reprehendit, ipſe eſt ruſticus.*

Sane vero utrum Plutarchi, ac Suetonii narratio in eodem facto verſentur, etſi multa ad affirmandum inclinaut, tamen non pauca etiam ſuſpicionem gignunt diverſitatis: ſed his immorari nolo.

eaedem & amarae erant: nec alia de cauſa in pretio *pauſia* habebatur. Servius (ad illud Geor. II. 86. Et amara pauſia bacca) *oliva*, inquit, *a paviendo dicta i. e. tundendo: aliter enim ex ſe oleum non facit. AMARA autem BACCA i. e. viridi: ut alibi .. Apio crines ornatus amaro, ideſt viridi: nam de pauſia viride oleum fit.*

Antequam hinc abeo, non omittendus eſt Philoxeni gloſſographi locus: *Virideolium* (ſic) ὀμφάκινον. Recte *oleum viride*, ὀμφάκινον reddidit: quae vox ὀμφάκινον Dioſcoridi & aliis tam de uvis acerbis, quam de olivis aliiſque baccis adhuc immaturis uſurpatur.

AD PS. CI. 4.

Et oſſa mea ſicut cremium aruerunt.] Vetus translatio: *ſicut in frixorio confrixa ſunt.* Sed prior τοῖς LXX magis reſpondet. De *Cremio* videatur Voſſius, Martinius aliique. Eſt & apud Ambroſium *Cremiorum* mentio ep. (44) ad Horont. num. 9. aut 11. ubi adnotator Benedictinus oſſa ambuſta, quae ex uſtrina ſuperant, interpretatur. Malet quia *cremiorum . . . manipulos*, materiae ad comburendum aptae manipulos intelligit S. Doctor. Vide locum. Columella XII. 19. ruſticos *Cremia* vocare ait Surculos aridos & minutos: etſi in editis antiquioribus *Gremia* ſcribitur; ſicuti & in Pandect. Florent. (l. fructus VII. §. ſi fructus D. ſolut. matr.) *Arbores Gremiales* pro *Cremiales* legitur. In hoc Pſalmi loco praeter Vulgatam lectionem, alia ſatis antiqua lectio habet, *ſicut in frictorium confricta ſunt*. In Hebraeo (a quo incipiendum fuerat) pro *Cremio* legitur מוקד *moked* i. e. *focus*: quae vox eſt a יקד *jakad*, *uſſit*, aut *arſit*.

AD PS. CI. 27.

Ipſi peribunt, tu autem permanes: & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent.] Mundi interitum, qui hîc deſignari videtur, nonnulli veterum, non aliorſum, quam ad ejuſdem fenectutem contulerunt. Columella lib. 1. c. 1. ex Hipparcho, Saſerna, aliiſque *longo aevi ſitu qualitatem caeli ſtatumque mutari*, ſed & cardines mundi motum iri, credidit. Cyprianus ad Demetrianum: *Scire debes ſenuiſſe jam mundum, non illis viribus ſtare, quibus ſteterat . . . Hoc mundus ipſe jam loquitur, & occaſum ſui rerum labentium probatione teſtatur.* Qui non de interitu ſed de ἀλλοιώσει capiendus.

AD PS. CII. 18.

In filios filiorum, his qui ſervant teſtamentum ejus.] Pulchra ſignificatio multitudinis, etiam Platoni uſurpata in X. de legibus παῖδας παίδων καταλιπόντας ἐν τιμαῖς ταῖς μεγίσταις. Nec infrequens in aliis Scripturae locis eadem locutio.

AD PS. CIII. 3.

Qui ponis nubem aſcenſum tuum.] Nubes deorum vehiculum apud poëtas fuit. Apud Virg. Aeneid. XI. 593. Diana loquitur:

Poſt ego nube cava miſerandae corpus & arma
Inſpoliata feram tumulo.

Et ſaepiſſime alias apud poëtas. In Graeca Romanaque ſcaena nubes deorum machina

machina fuit. Lege Ariſtophanis Νεφέλας. In columna Trajana numen neſcio quod nube involutum apparet.

Hic Pſalmus unus ex pulcherrimis & elegantiſſimis Davidicis eſt, quem alicubi illuſtraſſe memini: ſed nunc piguit veteres chartas excutere.

AD PS. CIII. 18.

Petra refugium herinaciis.] Simile dictum Euripidis Supplicibus, quo πέτραν refugium feris eſſe ait, ſicuti ſervis βωμὸς θεῶν, *aras deorum*.

AD PS. CIII. 26.

Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei.] Heb. לשחק בו *liſchok bo* i. e. ut ludas ſive te oblectes cum eo. Quid hoc ſibi velit, vide ad ſequens comma. Figurato enim indulget ſtylo, inducitque Deum cum לויתן *Leviathan* (i. e. *balaena* ſeu piſce portentoſae molis) ludentem, eidemque (quod in piſcinis a magnatibus fieri aſſolebat) eſcas porrigentem. Ergo pulchra hic deſcriptio piſcinarum eſt, quae in oriente a ſummatibus & quidem ſumptibus maximis parabantur: unde & a Romanis etiam totum in occidentem diffuſae, uti mox enarrabimus.

AD PS. CIII. 27.

Omnia a te exſpectant, ut des illis eſcam in tempore. Dante te illis colligent: aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.] Elegans ſane locus, nec hucuſque ſatis illuſtratus. Fiet autem illuſtrior, ſi ſtatuerimus, Romanorum procerum morem, piſces in vivariis magno alentium ſumptu ab Aſiaticis traductum. Nec enim ante devictam Aſiam *piſcinarios* ullos (ut Cicero appellat) legimus, aut & luxus hujus exempla novimus. Lege Plinium IX. 54. & 55. Luxus autem eo evaſit, ut Hirrius, teſte Varrone *duodena millia ſeſtertia* (ea ſunt ducatorum noſtrorum trecenta millia) *eſcis, quas piſcibus* impertiebat, quotannis conſumeret: Hinc illa ejuſdem Varronis de piſcinis expoſtulatio in III. de R. R. 17. *Aedificantur magno, implentur magno, aluntur magno*. Idem ſcriptor: *majorem curam ſibi haberet* (Q. Hortenſius) *ne ejus eſurirent mulli, quam ego habeo, ne mei in Roſea eſuriant aſini*. Oblectabant autem ſe Domini cibaria piſcibus porrigendo, eoſque aſſuefaciendo ut nominibus ſuis citati, ad manus venirent. Cic. II. ad At. 1. *Noſtri viri principes digito ſe caelum putant attingere, ſi mulli barbati in piſcinis ſint qui ad manum accedant*. Plinius X. 70. *Spectatur & in piſcinis Caeſaris, genera piſcium ad nomina venire, quoſdamque ſingulos*. Videatur Idem IX. 54. 55. & Varro lib. III. cap. ult. Ad haec Martialis IV. 30.

Sacris piſcibus hae natantur undae,
Qui norunt Dominum manumque lambunt.
Quid quod nomen habent, & ad magiſtri
Vocem quiſque ſui venit citatus?

Et X. 30.

Piſcina rhombum paſcit, & lupos vernas:
Natat ad magiſtrum delicata muraena,
Nomenculator mugilem citat notum,
Et adeſſe juſſi prodeunt ſenes mulli.

Macrob. in III. Saturn. 5. *Craſſus tamen vir cenſorius, cum ſupra ceteros diſertus haberetur, eſſetque inter clariſſimos cives princeps, tamen muraenam in piſcina domus ſuae mortuam atratus tanquam filiam luxit*. Conſer Donatum Perillum ubi de murena ſexagenaria Vedii Pollionis.

progenie: vocaverunt nomina ſua in terris ſuis.] Prius comma rite translatum fuit a Senioribus & Vulgato; ſive quod legerunt קברם *Kibram, ſepulcrum eorum,* pro eo quod nunc legitur קרבם *Kirbam* i. e. *intimum eorum*: ſive id expoſuerunt per *μετάθεσιν* litterarum, de qua *Kimchius* & Aben Ezra monuerunt. Haec aliter ceteri omnes interpretes (Chaldaeus, Syrus, Aethiops, Arabs) ſunt interpretati. At hos eoſdem interpretes ſi audimus; illud *Tabernacula eorum* erit *ἐπεξήγησις* ſeu iterata inculcatio praecedentis commatis: *ſepulcra*, inquit, *eorum ſunt domus illorum in aeternum, ſuntque habitacula eorum in progenie & progenie*. Proinde auferenda eſt major diſtinctio ante τὸ *Tabernacula*, eaque reſtituenda eſt poſt *progenie*. Sententia hujus loci millies in ſepulcralibus ethnicorum titulis expreſſa reperitur, ut cum ſepulcrum DOMVS AETERNA dicitur, idque paſſim. At notabilis eſt cippus ille inſcriptus HOC (pro *huc*) MANSVM VENI &c.

Jam vero ultimum illud *Vocaverunt nomina ſua in terris ſuis* potes ex Hebraeo ſic interpretari: *Interim dum* (poſteri) *invocant nomina eorum* (quaſi deorum ſcil.) *ſuper terras*. Hanc ſententiam ſecuti ſunt Graeci interpretes (*ἐπεκαλέσαντο*, *invocaverunt*) & horum fidus ſectator Aethiops. Eaque interpretatio vera eſt, quia taxatur hîc mortuorum cultus; ex quo idololatriae origo fuit teſte Auctore Sapientiae. Ceterum non aſpernanda eſt ſententia, quam praeſefert Arabs: *Vocaverunt de nominibus ſuis terras ſuas*; nimirum uti *terra Aſſur*, *terra Chanaan &c.* dicuntur. Verum haec interpretatio non nititur fonti Hebraico, qui ad verbum ſic habet: *vocaverunt in nominibus eorum* (non *terras*, ſed) *ſuper terras*: quod eo recidit, quod modo ex LXX poſui.

AD PS. XLIX. 1.

Deus deorum dominus locutus eſt.] Hebraiſmus in Pſalmis frequentiſſimus ad Θεὸν ὕπατον *Deum ſummum* (eumdemque unum verum Deum) ſignificandum, eâdem forma, qua *Canticum canticorum*, *ſanctum ſanctorum* & cetera in eumdem modum dicuntur. Hierocles in Aurea carmina, ubi de ſummo deo agit, haec ait: τὸν δημιουργὸν μόνον Θεόν, ὃν ΘΕΟΝ ΘΕΩΝ ἄν εἴποι τις, καὶ θεὸν ὕπατον, καὶ ἄριστον. *Creatorem ſolum Deum, quem DEVM DEORVM dixerit aliquis, & Deum ſummum & optimum.*

AD PS. XLIX. 23.

Sacrificium laudis honorificabit me.] *Hinc perſuaſum antiquis fuit, deos ſuis quemque hymnis magis, quam ſacrificiis delectari*, ut ait Auctor ſcholiorum ad Hom. Il. A. 477. Διδασκόμεθα, ὅτι πλέον τῶν θυσιῶν τέρπονται οἱ θεοὶ τοῖς ἰδίοις ἕκαστος ὕμνοις. Hinc vetuſtiſſimus quiſque poëtarum hymnis ſcriptitandis operam dederunt. Homerus, ſi minus omnes qui ſub ejus nomine ambulant, at aliquot certe ſe dignos dedit: Nec negari poteſt, quin *Hymnus in Apollinem* haud dubie ab Homero fuerit: cujus exemplum alii poſtea ſecuti.

AD PS. L. 6.

Vt juſtificeris in ſermonibus tuis & vincas cum judicaris.] Judiciale verbum δικαιωθῇς (*juſtificeris*) hîc Graeci uſurparunt, de quo vide quae ad Pſ. CXVIII. 5. Sed & quae ſequuntur, *Vincas cum judicaris*, de foro petita.

AD

AD PS. L. 20.

Benigne fac in bona voluntate tua Sion.] *Benigne facere* alicui, eſt elegans & Latinum. In perveteſto marmore apud Gudium p. 143. 1. QVAE. SIBI. BENIGNE. FECIT. Terentius Adel. V. 4. 24. *Contra haec quid ego poſſiem Blande dicere aut benigne facere?* Cic. in I. Offic. *Quibus benigne videbitur fieri.* Idem in II. Offic. *Aut operâ benigne fit indigentibus aut pecunia.*

AD PSALMI LV. TITVLVM.

In finem pro populo, qui a ſanctis longe factus eſt.] Sic Noſter ex Graeca interpretatione hunc titulum tranſtulit. At Hebraea longe aliter ſe habent: אל ילת אלם רחוקים *al jonath elem rechochim.* Quod varie interpretantur. Ac dubium eſt quid *elem* hîc ſignificet, *obmuteſcentiam* ne, an (quemadmodum Aben Ezra idem vocabulum Pſ. LVII. 2. exponit) *Coetum*. Poſterior interpretatio ſi admittatur, reddi poſſe videbitur: *De columba coetûs remotorum*, ſive *abſentium*. Alludetur autem ad antiquiſſimam orientalium nationum conſuetudinem, quae etiamnum perſeverat, qua columbis pro tabellariis utebantur; de quo praeter dicta a Bocharto initio to. 2. Hierozoici, alia quaedam adnotavi ad Matth. III. 16.

Sed tamen quia Targum vertit לית שתיקא *lejonah ſchetbuka* i. e. *pro columba tacita*, ac R Salomon nomine *columbae mutae* Davidem intelligit; quaerat aliquis quae cauſa ſit, cur hîc columbae tribuatur ſilentium, cum alibi (praeſertim Iſ. XXXVIII. 14. & LIX. 11.) hujus volucris ſuſurrus apprime celebretur. Notavi equidem ad Iſ. XXXVIII. 14. multa fuiſſe columbis cum vatibus ἐγγαστριμύθοις communia, hocque inter cetera, quod ſicut iſtae fatidicae, immoto ore, alvo eloqui credebantur; idem videretur in columbis uſuvenire: Vide ibi dicta. En igitur cauſam, cur columba ſilere dicatur, tum etiam cum maxime ſuſurrat; quia in eâdem avi cum oris taciturnitate ventris aut ingluviei loquacitas jungitur.

AD PS. LV. 7.

Ipſi calcaneum meum obſervabunt.] Id vero πρὸς τὸ ὑποσκελίζειν, *ad ſupplantandum*. De ὑποσκελίζω ſaepe Pollux. Sed σφυρῷ προσπαλαίειν conſueviſſe antiquos, (quod eſt *calce luctari*) Philoſtratus in Arrichione docebit.

AD PS. LVII. 8.

Intendit arcum ſuum, donec infirmentur.] Hebraice *Intendit* (דרך *bitſau*) *ſagittas ſuas*. Sed Graeci interpretes pro βέλεσι i. e. *ſagittis* τόξον, *arcum* poſuerunt, quod intelligerent nomine τόξου etiam ſagittas venire. Heſychius: τόξον, κυρίως αὐτὸ βέλος, δηλοῖ δὲ καὶ τὴν τοξικὴν ἐμπειρίαν, καὶ αὐτὰ τὰ βέλη. Ait τόξον proprie quidem *jacula* notare, tamen & pro jaculandi arte, & pro jaculis uſurpari. Vide & Euſtathium pag. 1248. ubi adnotat, Homerum ejus vocabuli ambitu συμπεριλαμβάνειν καὶ τὰς ὀϊστοὺς καὶ ὅλως πᾶσαν τοξικὴν σκευωρίαν, *comprehendere & ſagittas & omnem ſagittarium apparatum*. Homeri exempla, quibus τόξον pro ſagittis ſumitur, vide apud H. Steph. Infra Pſ. LXIII. 3. pro Hebraico דרך *bitſau* (*ſagittas ſuas*) Graeci itidem τόξον poſuerunt, ut Vulg. interpres *Arcum*. Vide to. I. ad Gen. IX. 13. 14. 15.

AD PS. LXI. 10.

Verumtamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in statera, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum.] Hebraea ad verbum sic sonant: *Certe vanitas sunt filii hominum, mendacium filii viri.* Huc usque sunt liquida omnia: quae sequuntur, obscuriora: *In statera ad ascendendum de vanitate pariter.* Sed optima in his tenebris sententia intermicat, quae talis est: *ut in statera prae vanitate ascendant pariter*: i. e. si in una lance ponantur homines universi, in altera vero vanitas ipsa, lanx vanitatis deprimetur, uti ponderosior, at illa altera ascensu suo levior probabitur. Est haec sane Hebraeorum interpretatio bene vetus, ut quae in Targum reperitur, ubi παραφράζεται locus hic in hunc modum: *Si acceperint homines stateram, ponderantes* (מאזנין *mezelehon*) *fata sua, ipsi quidem prae vanitate sua leviores erunt.* Nec video cur haec interpretatio minus se Calmeto probaverit; quae certe complectitur αἰτιολογίαν ejus, quod in Psalmo dicitur, in Deo, non in hominibus spem esse ponendam. Deinde & erudita est Chaldaei phraseologia de ponderatione fatorum, planeque Homerica. Ad similem Jobi VI. 2. 3. locum attulimus Homeri ex Il. Θ. 69. carmina de Jove δύο κῆρε i. e. *duo fata* Trojanorum Graecorumque appendente in statera duarum lancium, quarum quae Trojanorum erat eminuit, Graecorum altera subsedit: sicuti & parem ejusdem Poëtae locum de ponderatis a Jove Hectoris & Achillis fatis dedimus ad similem hujus sententiam Dan. V. 27. Hoc tantum dispar reperio, quod in his omnibus Scripturae locis id quod est deterius, surgit; quod melius, deprimitur: at contra se res in Homero habet.

Si cui tamen argutior haec interpretatio videbitur, quam pro Psalmographi gravitate ac simplicitate; auctor ei sim, ut τὸ מהבל *mehebel* vertat *propter vanitatem* i. e. *levitatem suam*; ut הבל *hebel* non sit hic alterius lancis ἀντίρροπος (quod acumen sophisticum redoleret) sed causa, cur filii hominum in statera sursum leventur. Cum autem contendat hic Vates, in Deo non in hominibus spem nobis esse positam; non incpte hinc concludas, in una lance Deum a Divino poëta fuisse positum, homines in altera: hos autem simul omnes propter levitatem sursum evadere, Deum immensae ponderositatem reperiri. Atque haec verior est hujus loci intelligentia. Confer omnino, quae ad laudata Jobi & Danielis loca notavimus.

AD PS. LXVII. 24.

Linguae canum suorum ex inimicis ab ipso.] Obscura sententia, sicut & toto ferme hoc Psalmo. Canes ad praelia prisci homines abhibebant. Hom. initio Iliados:

Πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς Ἄϊδι προΐαψεν
Ἡρώων, αὐτοὺς δὲ ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν
Multas qui fortes animas praemisit in Orcum
Heroum, canibus praebens heu dilaniandos.

Haud multo post canes cum mulis junguntur. Hinc & Hercules & pleriique heroum canem secum ferebant. Psalm. XXI. vers. 21. canis & gladius una junguntur. Strabo lib. IV. pag. 200. ineunte: Κελτοὶ δὲ καὶ πρὸς τὰς πολέμους χρῶνται καὶ τούτοις (canibus Britannicis) καὶ τοῖς ἐπιχωρίοις. *Galli cum hit,*

his, tùm ſuis canibus in bello utuntur. Multa olim militiae cum κυνηγεσίᾳ ſimilitudo interceſſit; multa quoque expeditionibus militaribus cum gregum deductione, cum qua confert Iſraëlitarum ἔξοδον alibi Pſalmographus, *deduxiſti ſicut oves populum tuum*. Etiam de canibus gregis mentio eſt Jobi XXX. 1. Vtut eſt, ſive militari, ſive paſtoritio more, canes adhibuiſſe ſecum in illa ἐξόδῳ Iſraëlitas, certiſſimum habeo.

AD PS. LXXIII. 12.

Operatus eſt ſalutem in medio terrae.] Norunt eruditi viri duplicem hîc eſſe, hebraiſmum, unum *in medio* pro ſimplici *In*, alterum quo *Terra* κατ' ἐξοχὴν pro terra Iſraël uſurpatur. Venere ergo licuerit: *Operatus eſt ſalutem in terra Iſraël*. Ceteroqui Judaei Palaeſtinam totius orbis terrarum umbilicum videntur credidiſſe, nihil in hoc Graecis concedentes, qui iſtud idem de Delphis jactabant, uti narrat Strabo. Quare Graeci poëtae commenti fuere, Jovem orbis meditullium inveſtigaturum, duas aquilas (Pindarus cornices, alii cygnos fuiſſe malunt) unam ad orientem ſolem, in occidentem alteram, diverſas ablegaſſe, has vero Delphos conveniſſe. Hinc Delphi ὀμφαλὸς (*umbilicus*) aut μεσόμφαλον γῆς ab Euripide appellati. Quo ſpectant & illa Sophoclis Oedip. Tyr. 908. Οὐκέτι τὸν ἄβικτον εἶμι Γᾶς ἐπ' ὄμφαλον σέβων. *Non amplius ad ſanctum ibo Telluris umbilicum venerabundus*. Alii idem oraculum μεσόμφαλον μαντεῖον nuncuparunt. Hinc etiam Strabone & Pauſania auctoribus inter hujus templi ἀναθήματα (*donaria*) umbilici effigies ex candido lapide, ex duabus ſuperne aquilis in hujus rei memoriam dependebat. Atqui a me ſi quaeras, quid Graecis in mentem venerit Delphos *terrae umbilicum* vocare, non invitus reſponderim, eos Judaeorum imitatores fuiſſe, qui ex Davidicis canticis, aliiſque Scripturae locis Judaeam, & Hieroſolymam in primis, *in medio terrae* geſtiverint conſtituere, craſſius ſcil. iſtud *in medio terrae* accipientes: quod re vera ex Hebraica phraſeologia non erat aliud quam *In terra*, aut ſi mavis, in cultiore habitabilis terrae parte.

Quamquam Lactantius & Phurnutus ὀμφάλῳ appellationem non ab *umbilico*, ſed aliunde Delphis datam malunt; a divinis nempe reſponſis, quae ὄμφαι dicuntur. Non diſpliceret, ſi recte ὀμφαλὸς ab ὄμφῃ derivari poſſet.

AD PS. LXXIII. 17.

Aeſtatem & ver tu plaſmaſti ea.] In Heb. eſt קַיִץ וְחֹרֶף *kaits vachoreph*, *Aeſtatem & hiemem*: non *Aeſtatem & Ver* ut in LXX. & in Vulg. Nam *Aeſtas* & *Ver* annum non abſolvunt, quia reſtat adhuc ἐξάμηνον alterum ab Hieme & Autumno complendum. At in Hebraica lectione *Aeſtas* & *hiemi* (cum ſingulae adhaerentes ſibi utrinque particulas *Autumni* & *Veris* adglutinent) annum abſolvunt; quia ſic auctae ex vicinia tam aeſtas quam hiems ἐξάμηνα ex τριμήνοις evadent. Haec cum ita ſint, quid ſibi Seniores Alexandrini volunt, dum Ver cum aeſtate ex vicino jungentes, annum fecere ſemeſtrem pro δωδεκαμήνῳ? Sed Moſes cauſam decidet his verbis Gen. VIII. 22. *Cunctis diebus terrae, ſementis & meſſis, frigus & aeſtus, aeſtas & hiems . . . non requieſcent*. Vbi perſpicue vides duo anni tempora & quidem ambo ſemeſtria, diſtingui, nempe Aeſtatem & Hiemem (non ſecus atque in hoc Pſalmo) & quidem Aeſtati *meſſem* & *aeſtum* adcenſeri, Hiemi vero *Sementem* & *frigus*. Nolo hîc plura de biſida antiquitus an-

ni in Aestatem Hiememque partitione differere: nisi quod notandum est, Persas etiamnum hoc tempore (ut ex viatorum narrationibus constat) non alias anni horas quam aestatem hiememque agnoscere. Nunc jam & illud ex Orphei (1) reliquiis addam, quod in fragmenti alterius fine legitur ea locutione quae huic Davidicae non est dissimilis.

Σὺν μὲν ἔαρ λάμπει νέον ἄνθεσι πορφυρέοισι.
Σὸς χειμὼν ψυχραίσιν ἐπερχόμενος νεφέλαισιν.
Seu cum purpureis vernat novus annus in agris,
Aut ubi saevit hiems, flat legibus omne Tonantis.

Jam non omittam, quod plurimae nationes tres anni *horas* numerabant, ver, aestatem, hiemem. Sic Aegyptii, teste Diodoro Siculo lib. I. qui & Hermetem, cum tres chordas lyrae superinduceret, totidem anni horas imitatum tradit; nam eodem auctore vetustissimae gentes annum, uti dixi, trifariam partiebantur, unde & aërem τριτογένειαν appellatum, ob ternas mutationes. Vide Diod. lib. I. c. 12. & Aeschylum in Prometheo vincto pag. 31. edit. H. St. Sed & Tacitus cap. 26. veteres Germanos hiemem, ver, aestatem agnovisse, autumni nomen ignorasse tradit. Idem ferme de Abyssinis notat Jobus Ludolfus hist. Aeth. I. 5. Idcirco Horae illae Jovis ac Themidos filiae tres non amplius apud Graecos numerabantur. Sed nolo de tempestatibus anni, quas *Horas* Graeci Latinique appellabant, plura ex antiquitate cumulare, quae facile ab aliis peti possint.

AD PS. LXXIV. 9.

Calix in manu Domini vini meri plenus misto &c.] Hebraea loci hujus ita commode reddi queunt. *Calix in manu Domini* : *& vinum cum* (nimis) *rubrum sit, redundat faecum retrimentis*. Mitto reliqua aeque obscura. Apud antiquos vix alia vina quam rubra aut rubella, aut etiam nigra in usu fuere. Αἴθοπα οἶνον, *vinum nigrum* memorat saepe Homerus. In Eudociae Maerembolitissae ΙΩΝΙΑ titulus est capitis 508. ὅτι παρὰ Χίοις πρώτοις ἐγένετο ὁ μέλας οἶνος. *Apud Chios primos fuisse vinum nigrum*. Falluntur qui sic putarunt: nisi vero ibi *rubrum* a *nigro* vino distinguitur. Sed hujus Maerembolitissae capita tantum edita habemus, opus vero ipsum in forulis bibliothecarum latet.

AD PS. LXXV. 5.

Illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis.] Ex Hebraeo sic equidem interpretor: *Luminosus es, magnificentius paludatus, quam montes virgultis amicti*. Nam cum אדר *eder* & אדרת *addereth* sint *paludamenti* aut magnifici amictûs nomina;

---

(1) Suidas plures Orpheos figillatim recenset. Horum quem ultimo loco posuit, Judaeorum Judicibus vult aequalem fuisse: quod credat Judaeus Apella. Apud me exstat liber Genevae editus an. 1629. inscriptus Τὰ σωζόμενα τῶν παλαιοτάτων ποιητῶν: in quorum parte III. (quae Γνωμικὰ continet) pag. 178. ubi Suidae superiora illa de mira Orphei vetustate recitasset, tria Orphei hujus fragmenta lectori offert, styli sane antiqui & elegantis, sed procul ab ea simplicitate, quae Judicum Hebraeorum aetatem decuisset remoti; imo ad tempora Macedonica, aut etiam citeriora declinantis.

na; אדיר *addir* erit *magnifice paludatus*. Rurſus טרף *tereph* ſignificat ſaepe *virgultum*: at *montes virgulti* quid aliud ſunt, quam *montes virgultis veſtiti*, qui magna cum gratia ſpectantur? Nam opponuntur *montibus* ערער *arar* i. e. *glabris*, ſeu φαλάκραις, (de quibus copioſe alibi dixiſſe memini) quibus nihil eſt viſu horridius.

AD PS. LXXV. 11.

Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiae cogitationum diem feſtum agent tibi.] Mihi videntur ex Hebraeo haec ita commodius verti poſſe: *Quoniam ira* (Heb. חמת *chemoth* eſt *fervor irae*) *hominis confitebitur tibi*. Recte: quia iram comprimere eſt confiteri Dominum jubentem, *Iraſcimini & ne peccetis*, h. e. ira veſtra citra peccatum conſiſtat, ac ſimul exorta, comprimatur. Jam vero quod ſequitur, *Et reliquiae* &c. ita reddes: *At reliquias irae horrebis*: h. e. iram permanentem odio habeto. Vltima vox תחגר *tachgor* non ſignificat *praecinges*, quod vulgo putant, ſed *horreſces*, litteris tranſpoſitis pro *tachrog*. Sic Pſ. XVII. 42. יזרגו *jachregu* eſt *horreſcunt*: pro quo in eodem Pſalmo 2. Sam. XXII. 46. legitur trajectis litteris *jachgeru*.

AD PS. LXXVI. 3.

In die tribulationis meae Deum exquiſivi, manibus meis nocte contra eum, & non ſum deceptus.] Ex Hebraeo ſic reddidit Hieronymus: *In die tribulationis meae Dominum exquiſivi: manus mea nocte extenditur, & non quieſcit*. In oratione Hebraei manus ſuas ad caelum porrectas jugiter tenebant. Quamquam illud נגרה *niggerah* videtur ſignificare contrarium, nim. *defluxit*, quod accidit manibus, quae ſuapte ſponte ab elevatione ſenſim remittuntur. Itaque ſic vertas licebit: *manus quidem mea nocte defluxit, at non ceſſavit*, h. e. non deſtitit elevari & continenter porrigi, quantum conniti poteram. Confer Moſis factum Ex. XVII. 12. ubi manus Moſis deorſum prae laſſitudine defluentes hinc ab Aarone, illinc ab Hur erectae ſuſtentabantur.

AD PS. LXXVI. 4.

Memor fui Dei & delectatus ſum.] Aeſchyli Scholiaſtes ſane quam vetus, hunc locum affert ad Agamemn. ἐμνήσθην τοῦ Θεοῦ καὶ εὐφράνθην. Ac ſtatim ſubjicit ſanctiora iſtaec: ταῦτα δ' ἅγαν ἐστὶν εὐσεβῆ, quaſi dicat haec ſanctiora eſſe quam pro vulgari gentilium ingenio, quippe ex corde tanti Prophetae expreſſa.

AD PS. LXXVI. 21.

In manu Moyſi & Aaron.] In manu hebraiſmus eſt, cui ſimile illud apud Homerum Il. H. 104.

Ἦλθε κέ τοι Μενέλαε φάνη βιότοιο τελευτὴ
Ἕκτορος ἐν παλάμῃσιν.
Non ibi tunc Menelae ſuper tibi vita fuiſſet
Hectoris in manibus.

AD PS. LXXVII. 23.

Et mandavit nubibus deſuper, & januas caeli aperuit. Et pluit illis manna &c.] Nubes pro caeli januis ſicuti hîc habentur, ſic & apud Homerum Il. Θ. 393. & ſeq.

Αυτὸ-

Αυτόμαται δὲ πύλαι μύκον ἠερίαι, ἃς ἔχον Ὧραι,
Τῆς ἐπιτέτραπται μέγας οὐρανὸς Οὔλυμπός τε,
Ἠ' μὲν ἀνακλῖναι πυκινὸν νέφος, ἠδ' ἀναθεῖναι.
Sponte sua crepuere fores bipatentis Olympi,
Quas nempe Horarum custodia fida tenebat,
Quae densas aperire valent & claudere nubes.

Sic etiam & alibi apud eumdem poëtarum principem.

AD PS. LXXVII. 54.

In funiculo distributionis.] Etiam apud veteres Latinos agri funibus finiebantur, unde fines a funibus dicti videntur; quod ex perantiquo cujusdam Agrimensoris fragmento discitur: *Finis*, inquit, *dicta eo, quod agri funiculis sint divisi.*

AD PS. LXXVIII. 2.

Carnes sanctorum tuorum bestiis terrae.] Il. Θ. 379.

Ἦ τις καὶ Τρώων κορέει κύνας ἠδ' οἰωνούς
Δημῷ καὶ σάρκεσσι . . .
Certe aliquis Troum explebit volucresque canesque
Carnibus atque adipe.

AD PS. LXXXIV. 9.

Audiam quid loquatur in me Dominus meus.] Per scripturarum utique attentam lectionem. Hoc Patres inter orationem lectionemque discrimen statuerunt, quod in illa Deum ipsi alloquimur, in hac agit nobiscum Deus. Cyprianus epist. ad Donatum: *Sit tibi vel oratio assidua, vel lectio: nunc cum Deo loquere, nunc Deus tecum.*

AD PS. LXXXVII. 6.

Inter mortuos liber.] Κατ' εὐφημισμὸν *liber* (Heb. חָפְשִׁי *chophshi*) ponitur pro *captivo*: unde apud Latinos est vox *Obses* i. e. captivus. Sequentia, *Sicut vulnerati* &c. eamdem intelligentiam ingerunt. Adhaec *domus chophshit* i. e. *libertatis* 4. Reg. XV. 5. & 2. Paral. XXVI. 21. κατ' εὐφημισμὸν usurpatur pro *domo captivitatis*, in qua leprosi durante eo morbo detinentur. Plura de hoc vocis Hebraicae significatu dixi in Originibus Latinarum vocum ex oriente petitarum in OBSES.

AD PS. LXXXVIII. 31. 32. 33.

Ver. 31. *Si autem dereliquerint filii ejus legem meam . . .* Ver. 32. *Si justitias meas profanaverint & mandata mea non custodierint*: Ver. 33. *Visitabo in virga iniquitates eorum . . .*] Vt rata sanctio sit, sequitur hîc comminatio poenae. Non absimilis locus est apud Homerum in fine Hymni in Apoll. v. 542. Eo hymno Cretenses a patria abstractos in suos sacerdotes suumque populum Apollo adoptavit. Cumque illi de telluris sterilitate non satis necessaria ad victum suppeditantis que-

quererentur, mira Apollo de gentium confluxu ad ſuum Oraculum vaticinatur, atque ex eo rerum omnium copiam iis affuturam. Mox ſanctio legis ſequitur. Quod ſi quando, inquit, Cretenſes, aut horum poſteri aliquid temere ac perfide fecerint vixerintve,

Ἄλλοι ἔπειθ' ὑμῖν σημάντορες ἄνδρες ἔσονται,
Τῶν ὑπ' ἀναγκαίη δεδμήσεσθ' ἤματα πάντα.
Rectores tum aderunt alii, qui ſub juga miſſos
Cogant ſervire invitos noctesque dieſque.

AD PS. LXXXVIII. 46.

Minoraſti dies temporis ejus.] *Minora* verbum in ejuſmodi tantum ſcripturae libris legitur, qui non ſunt ex Hieronymi verſione. Vtitur tamen Scaevola *l.* cum venderet, D. de ſervo export. *Quos*, inquit, *minorato pretio vendidit*. Vtitur & bis Tertullianus.

AD PS. LXXXIX. 4.

Mille anni ante oculos tuos tanquam dies heſterna quae praeteriit.] Ex Etruſco neſcio quo hiſtoriographo refert Suidas, ſex annorum chiliadibus hanc rerum univerſitatem conditam, ita ut prima chiliade caelum & terra, ſecunda firmamentum exſtiterit, & cetera eodem modo atque ſerie, ac Moſes tradit: niſi quod Moſis diurna ſpatia in annorum chiliades convertuntur. Quam narrationem ſtatim ac legi, ad hunc Pſalmi locum reſpexiſſe auctorem illius narrationis Tyrrhenicae, quicumque fuerit, ſuſpicabar. Neque vero me tunc falſum fuiſſe, ex Barnabae epiſtola poſtea comperi: in qua cap. XV. ubi Moſis verba de univerſitate rerum ſpatio ſex dierum creata recitaſſet, ſubjungitur: Προσέχετε, τέκνα, τί λέγει, τὸ Συνετέλεσεν ἐν ἓξ ἡμέραις; τοῦτο λέγει, ὅτι συντελεῖ Κύριος ἐν ἑξακισχιλίοις ἔτεσι τὰ πάντα· ἡ γὰρ ἡμέρα παρ' αὐτῷ χίλια ἔτη. αὐτὸς δὲ μαρτυρεῖ λέγων· ἰδοὺ σήμερον ἡμέρα ἔσται ὡς χίλια ἔτη· ἐκεῖν τέκνα, ἐν ἓξ ἡμέραις, ἐν τοῖς ἑξακισχιλίοις ἔτεσι συντελεσθήσεται τὰ πάντα· καὶ (fort. addendum τὸ) κατέπαυσε τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ, τοῦτο λέγει· ὅταν ἐλθὼν ὁ υἱὸς αὐτοῦ καταργήσει (fort. καταρτίσει) τὸν καιρὸν τοῦ ἀνόμου, καὶ κρινεῖ τοὺς ἀσεβεῖς, καὶ ἀλλάξει τὸν ἥλιον, καὶ τὴν σελήνην, καὶ τοὺς ἀστέρας, τότε καταπαύσεται ἐν ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ. Haec in editione Cotelerii ita redduntur. *Advertite filii quid dicat*, Conſummavit in ſex diebus: *id ait, omnia conſummabit Dominus Deus in ſex millibus annorum. Nam apud illum dies aequabuntur mille annis, ut ipſemet teſtatur dicens*, Ecce hodiernus dies erit, tamquam mille anni. *Itaque, filii, in ſex diebus, h. e. in ſex annorum millibus conſummabuntur univerſa.* Et requievit die ſeptima: *Hoc ait: Quando veniet ejus Filius, tempus iniqui abolebit, ac judicabit impios & mutabit ſolem ac lunam ſtellaſque, tunc pulchre requieſcet in die ſeptima.*

Haec Barnabas: cujus locum cum ad Gen. pag. 8. & ſeq. ſtudio brevitatis omiſerim, hîc eum opportune adſcribendum putavi, ut non tantum loco illi Geneſeos, ſed & huic Pſalmo Barnabas lucem affunderet. Cetera quae ex univerſa antiquitate (quae de his Moſaicis Davidicisque chiliadibus mire ſollicita fuit) ex editis ſcriptiſque libris doctiſs. adnotator in hunc Barnabae locum (praecipue adnot. 65.) prodegit, nolui iis replere chartas, cum Coteleriana opera ſint cupidis omnibus expoſita.

AD

AD PS. LXXXIX. 9. 10.

Ver. 9. *Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur*. Ver. 10. *Dies annorum noſtrorum in ipſis, ſeptuaginta anni. Si autem in potentatibus, octoginta anni: & amplius eorum, labor & dolor.*

Ver. 9. *Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur.*] Iſtud *Meditabuntur* paſſive eſſe accipiendum vulgo volunt. Ne credas. Dumtaxat participium *Meditatus* active & paſſive ſumitur, non praeter morem hujuſmodi participiorum in VS ex deponentibus. At hîc *Meditabuntur* non poteſt non activum eſſe, maxime quia reſpondet LXXvirali ἐμελέτων (*meditabantur*) quod activum. Senes enim ita verterunt: τὰ ἔτη ἡμῶν ὡς ἀράχνη ἐμελέτων, unde hauſta Latina. Verum Hebraea longe meliora: *Conſumpſimus annos noſtros* (כמו הגה *chemo hegeh*) *tamquam ſermonem*. Quae millies imitatus Homerus eſt, quoties ἔπεα πτερόεντα, *verba alata* vocat. Horatius: *ſemel emiſſum, volat irrevocabile verbum*, quod eſt Pſalmographi menti proximius; quia annorum volatus irrevocabilis, non ſecus ac verborum.

Ver. 10. *Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni.*] Non pauci adducti argumento tituli (qui ſupra ita concipitur: *Oratio Moyſi hominis Dei*) hunc Pſalmum a Moſe compoſitum crediderunt. Sed quo pacto Moſes annum ſeptuageſimum aut octogeſimum vitae terminum ſtatuiſſet, cum ipſe annos CXX. vitae ſuae numerarit? Hinc ergo & ex aliis argumentis conſtat, titulis Pſalmorum parum eſſe fidendum, eoſque Pſalmis recentiores eſſe. Nec tamen iis aſſentior, qui ad captivitatis Babylonicae tempora aetatem cantici hujus amandant. Nihil ergo repugnat quo minus a Davide auctore proficiſci potuerit, cujus aevo intra LXX. & octoginta annos aetatum periodus concludebatur.

Atque equidem neſcio cur is error hominum mentibus inſederit, ut quotidie vitam humanam contrahi putent. Equidem, ſi res ad vivum ſit reſecanda, haud dubitem vivaciores nunc eſſe homines quam ante annos biſmille, non quod vegetiores quam antea vires humanum genus acquiſierit, ſed partim ob reſectas Chriſtiana religione noxias cupiditates, partim ob excogitatas exactiores tuendae ſanitatis rationes. Et quidem quam pauci in orbe Romano ſub Hadriano principe ſint inventi μακρόβιοι, Phlegon, qui ſummam init lib. περὶ τῶν μακροβίων docere poteſt. Adde quae to. I. Spicil. pag. 195. ex Fabretti volumine inſcriptionum notavimus.

Si autem in potentatibus octoginta anni.] גבורות *Geburoth* tam vires ſive fortitudinem, quam dominationem ſignificare poteſt. Nunc quia Graeci interpretes tum hîc, tum Pſ. XIX. 7. ἐν δυναστείαις (quo vocabulo fere ſemper Hebraicum *Geburath* reddiderunt) interpretati ſuere; merito vetus Pſalmorum interpres Graecos κατὰ πόδα ſecutus, utrobique vocem *potentatus* poſuit: quam vocem pro *dominatu* olim Caeſar atque Livius uſurparant.

AD PS. XCI. 3.

In decachordo Pſalterio.] Duo ſunt inſtrumentorum nomina: prius eſt κινύρα, Hebr. כנור *cinnor* (quam ſcriptores ſacri paſſim cum *Nebel* jungunt, quamque Joſephus in VII. Antiq. 12. decem chordis intentam fuiſſe docet, ſicuti τὸ *Nebel* duodecim) alterum *Nebel*. De his vide omnino dicta to. 1. Spicil. in Exercit. etymologica ad Dan. III. 5. ubi de Pſalterio, Adnot. 8. Eadem duo nomina occur-

occurrunt Pſ. XXXII. 2. & CXLIII. 10.

AD PS. XCI. 11.

Et ſenectus mea in miſericordia uberi.] Hebraea ita ſonant, בלתי בשמן רענן *ballothi beshemen raanan* h. e. *Perfuſus ſum oleo viridi*. Cur ergo in LXX legitur, καὶ τὸ γῆρός μου ἐν ἐλέῳ πίονι, idque Latina vetus, ſicut & Vulgata hodierna retinuit? Nam utrobique legitur *Et ſenectus mea in miſericordia uberi*. Sane fuiſſe Graecis interpretibus cauſae aliquid cur ita verterint, non dubito. Origo prima in penultima voce fuit, quia in proclivi erat pro ἐλαίῳ (i. e. *oleo*, quod in Heb. eſt) ſcribi ἐλέῳ (ut hodie in Graeco eſt) i. e. *miſericordia*. Deinde τὸ בלה *balah* Graeci retulerunt, quod eſt *vetuſtate teri*; cum tamen ſit a בלל *balal*, quod eſt *perfundi*.

Ergo vera interpretatio ex Hebraea lectione prodit: quae hujuſmodi eſt *Perfuſus ſum oleo viridi*. Huic interpretationi favet Aldina lectio (in qua apud LXX. ἐλαίῳ *oleo*, non vero ἐλέῳ *miſericordia*, legitur) favent & Graeca ſcholia, quae neſcio quid aliud in LXX. legiſſe videntur, & ex Symmacho ἐλαίᾳ εὐθαλεῖ h. e. *olea virens*, afferunt. Favet vero potiſſimum Jonathanis Targum, quod ita ſonat, *Unxiſti me oleo unctionis recenti olivae frondoſae*.

Rogabunt fortaſſe aliqui, quidnam eximii in *oleo viridi* fuerit, ut eo ſe potiſſimum obleſtarent. Quibus reſpondeo, in menſa haud dubie *viride* fuiſſe quaeſitum, idque in inſtantem menſae uſum recens expreſſum. Atque huic *oleo viridi oleum candidum* opponebatur. Hoc alterum ita dictum quod totum ſimul tempore olivitatis expreſſum, deinde in cella condebatur in totum annum. Sed in divitum & nobilium caenis oleum illud viride (de quo nunc ſermo) data opera extrahebatur. Exſtat in hanc rem egregius Suetonii locus in Julio Caeſare cap. 53. *Circa victum C. Oppius adeo indifferentem* (Caeſarem) *docet, ut quondam ab hoſpite conditum oleum, pro viridi, appoſitum, aſpernantibus ceteris, ſolum etiam largius dicat appetiſſe: ne hoſpitem aut negligentiae, aut ruſticitatis videretur arguere*. Cum hoc Suetonii loco Caſaubonus alterum Plutarchi comparat: quem quia non adſcripſit, in lectoris commodum inſerne (*) ſubjicio.

Ergo res ita ſe habet. Amabant cupediarum ſectatores in oleo, ut & recens eſſet, & viride. Qua viâ id aſſequerentur, docet Apicius lib. 1. cap. 28. *Olivas de arbore ſublatas in muriam mittis & erunt tales, quovis tempore, quaſi mox de arbore demptae, de quibus ſi volueris, OLEVM VIRIDE facias*. Quod ſcil. apponi ſibi delicatiores amabant. Cur viridi delectarentur, non alia cauſa fuit, quam quia in olivis, quae virides,

(*) Plutarchi locus in Caeſare hujuſmodi eſt. Τῆς δὲ περὶ τὴν δίαιταν εὐκολίας καὶ τοῦ συνεστᾶν ἡσυχίοις, ὅτι τῷ διατρίβοντι αὐτῷ ἐν Μεδιολάνῳ ξένῳ Ὀυαλερίῳ Λίστοι, ταριβίντος ἀσπάραγον, καὶ μύρα ἀντ' ἐλαίου καταχέαντος, αὐτὸς μὲν ἀφειλῶς ἔφαγεν, τοῖς δὲ φίλοις δυσχεράνουσιν, ἐπέπληξεν. Ἔχει γάρ, ἔφη, τὸ μὴ χρῆσθαι ἀπαρέσκουσι. Ὁ δὲ τὴν τοιαύτην ἀγροικίαν ἐξελέγχων, αὐτὸς ἦν ἄγροικος. *Quam autem indifferens fuerit circa victum hoc indicio demonſtrant, quod invitatus Mediolani ad caenam ab hoſpite Valerio Leone, qui aſparagum appoſuerat, atque olei loco infuderat unguentum, ipſe facilitter comederis & indignantes increpuerit amicos. Satis enim erat, inquit, abſtinere iis, a quibus abhorrebatis: nunc eam ruſticitatem qui reprehendit, ipſe eſt ruſticus.*

Sane vero utrum Plutarchi, ac Suetonii narratio in eodem facto verſentur, etſi multa ad affirmandum inclinant, tamen non pauca etiam ſuſpicionem gignunt diverſitatis: ſed his immorari nolo.

machina fuit. Lege Ariſtophanis Νεφέλας. In columna Trajana numen neſcio quod nube involutum apparet.

Hic Pſalmus unus ex pulcherrimis & elegantiſſimis Davidicis eſt, quem alicubi illuſtraſſe memini: ſed nunc piguit veteres chartas excutere.

AD PS. CIII. 18.

Petra refugium herinaciis.] Simile dictum Euripidis Supplicibus, quo πέτρας refugium feris eſſe ait, ſicuti ſervis βωμὸς θεῶν, *aras deorum*.

AD PS. CIII. 26.

Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei.] Heb. לשחק בו *liſchok bo* i.e. ut ludas ſive te oblectes cum eo. Quid hoc ſibi velit, vide ad ſequens comma. Figurato enim indulget ſtylo, inducitque Deum cum לויתן *Leviathan* (i. e. *balaena* ſeu piſce portentoſae molis) ludentem, eidemque (quod in piſcinis a magnatibus fieri aſſolebat) eſcas porrigentem. Ergo pulchra hic deſcriptio piſcinarum eſt, quae in oriente a ſummatibus & quidem ſumptibus maximis parabantur: unde & a Romanis etiam totum in occidentem diffuſae, uti mox enarrabimus.

AD PS. CIII. 27.

Omnia a te exſpectant, ut des illis eſcam in tempore. Dante te illis colligent: aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.] Elegans ſane locus, nec hucuſque ſatis illuſtratus. Fiet autem illuſtrior, ſi ſtatuerimus, Romanorum procerum morem, piſces in vivariis magno alentium ſumptu ab Aſiaticis traductum. Nec enim ante devictam Aſiam *piſcinarios* ullos (ut Cicero appellat) legimus, aut & luxus hujus exempla novimus. Lege Plinium IX. 54. & 55. Luxus autem eo evaſit, ut Hirrius, teſte Varrone *duodena millia ſeſtertia* (ea ſunt ducatorum noſtrorum trecenta millia) *eſcis, quas piſcibus* impertiebat, quotannis conſumeret: Hinc illa ejuſdem Varronis de piſcinis expoſtulatio in III. de R. R. 17. *Aedificantur magno, implentur magno, aluntur magno*. Idem ſcriptor: *majorem curam ſibi haberet* (Q. Hortenſius) *ne ejus eſurirent mulli, quam ego habeo, ne mei in Roſea eſuriant aſini*. Oblectabant autem ſe Domini cibaria piſcibus porrigendo, eoſque aſſuefaciendo ut nominibus ſuis citati, ad manus venirent. Cic. II. ad At. 1. *Noſtri viri principes digito ſe caelum putant attingere, ſi mulli barbati in piſcinis ſint qui ad manum accedant*. Plinius X. 70. *Spectatur & in piſcinis Caeſaris, genera piſcium ad nomina venire, quoſdamque ſingulos*. Videatur Idem IX. 54. 55. & Varro lib. III. cap. ult. Ad haec Martialis IV. 30.

Sacris piſcibus hae natantur undae,
Qui norunt Dominum manumque lambunt.
Quid quod nomen habent, & ad magiſtri
Vocem quiſque ſui venit citatus?

Et X. 30.

Piſcina rhombum paſcit, & lupos vernas:
Natat ad magiſtrum delicata muraena,
Nomenculator mugilem citat notum,
Et adeſſe juſſi prodeunt ſenes mulli.

Macrob. in III. Saturn. 5. *Craſſus tamen vir cenſorius, cum ſupra ceteros diſcretus haberetur, eſſetque inter clariſſimos cives princeps, tamen muraenam in piſcina domus ſuae mortuam atratus tanquam filiam luxit*. Confer Donatum Perillum ubi de murena ſexagenaria Vedii Pollionis.

Ea, uti dixi, consuetudo ab Oriente ad Lucullos, Hortensiosque manavit. Nehemiae II. 14. fit mentio *piscinae regis*. Vide quae ad eum locum. Imo hic Psalmus (si Davidicus est) multo antiquiorem & a primis usque Judaeorum regibus morem usurpatum docet. Exhibet enim Deum pisces in mari lacubusque, tamquam in regiis piscinis, sumptu suo alentem, imo se in eo oblectantem, ut escas *leviathani* (quodcumque demum monstri marini genus id fuerit) ceteroque squamigero generi suismet manibus porrigat. Quo quid elegantius a nostro Poëta fingi poterat?

AD PS. CVII. 10.

Alienigenae amici facti sunt.] Antithesis pulchra est; nam molliore *alienigenarum* vocabulo inimici in Scripturis significantur, sicuti & apud veteres Latinos *Hostes* proprie *peregrinos* notabant, & tamen pro inimicis vulgo id vocabulum usurpabatur. Sed audiamus Ambrosium in I. Offic. 29. num. 141. *Adversarios, molli veteres appellatione nominabant, ut PEREGRINOS vocarent: HOSTES enim antiquo ritu peregrini dicebantur. Quod aeque etiam ipsum de nostris adsumptum dicere possumus; adversarios enim suos Hebraei Allophylos, hoc est alienigenas Latino appellant vocabulo.* In loco quem statim Ambrosius citat ex I. Sam. IV. 1. in Heb. est *Philistiim*: at ibi LXX, ut & passim alibi, posuere ἀλλόφυλοι. Hinc saepissime in utroque Machabaico ἀλλόφυλοι (h. e. *alienigenae*) sunt adversarii.

AD PS. CVIII. 8.

Fiant dies ejus pauci & episcopatum ejus accipiat alter.] Non licet hunc Psalmum sine gravi commotione legere, aut, siquando in Episcopis exauctorandis canitur, sine pilorum horrore admittere in animum. Quamquam siquis forte verba cantici hujus, non optativo modo, sed mero indicativi tempore futuro reddidisset (quod per Hebraeam dictionem licebat; quia τὸ יהי *ihju* verbi causa primario est futurum, nempe *Erunt*, quod tamen subjunctivo mutuum datur, ut possit notari τὸ *Sit*) si, inquam, verba per indicativi futurum, non per optativum reddita fuerint, ab horrore incutiendo cessaretur. Veluti in eo quod in Judam canitur, (*Fiant dies ejus pauci & Episc. ejus accipiat alter*) vertatur *Fient & Accipiet* (maxime cum id liceat per Hebraicam litteram, quia hîc verba omnia sunt indicativi modi) nullus jam erit horrori locus. Tamen ubi Graecae Latinaeque versiones omnes in optativum modum consenserunt, utque constet locutio prophetica; imo ubi Apostolus Petrus in sua concione, quae in I. Actorum exstat, *Fiant, & Accipiat* usurpavit: nulli jam dubitare licebit, quin ea prorsus interpretatio sit amplectenda. Ac debemus Apostolorum principi plurimum, qui in Actis lumen loci hujus intelligentiae plurimum intulit.

AD PS. CVIII. 11.

Scrutetur foenerator omnem substantiam ejus.] Vt eam centesimis, & anatocismis diripiat. *Quia* (inquit Ambros. de Tobia num. 12. ad haec Psalmi verba) *quod proscriptio tyrannorum, aut latronum manus operari solet, hoc sola foeneratoris nequitia convenit inferre.*

AD PS. CVIII. 24.

Genua mea infirmata sunt a jejunio.] Nusquam alibi quam in genibus corporis

poris universi languor imbecillitasque sentitur. Homerus Od. XX. 118.

Οἱ δή μοι καμάτῳ θυμάλγεϊ γύατ' ἔλυσαν.
Genua mihi qui solverunt animumque labore.

Virg. Aen. V. 432.

Genua labant, vastos quatit aeger anhelitus artus.

Quae locutio in hoc poëta frequens, sicut & lib. V. v. 468. *Trahens genua aegra.*

AD PS. CVIII. 29.

Induantur sicut diploide confusione sua.] Nulla expressior animi vehementer erubescentis mihi videtur imago, quam pannis involutum artissime corpus, Diogenis instar duplicato se pallio constringentis. Genus istud vestimenti *diploïda* Graeci nuncupabant: de qua plura non satis explicata ex adytis antiquitatis depromere me monebat hic locus. Verum inter breviora adnotata longiores istas admiscere digressiones nunc saltem non decet, quando breviores in ceteris fuimus. Ergo ad finem potius Psalmorum admodum brevem de *Diploide* dissertationem reservamus.

AD PS. CIX. 1.

Sede a dextris meis.] Hic sessionis locus convenit Deo homini, eidemque Filio: qui sedet loco proximo post cathedram primam quae Patri convenit; ita ut post sublimiorem Deo Patri debitum thronum, locus proximus, qui a dextris est, Filio suo Deo homini debeatur. Ergo sedere a dextris ejus, qui in medio sedeat, locum potius inferiorem designat, humanitati Filii debitum. Ac tamen nemo non videt, haec non nisi ad humanae intelligentiae sulciendam infirmitatem isto modo pronuntiari. Ceterum plura de majore aut minore in stando aut sedendo dignitate ex veteribus monumentis acturatissimus observator Phil. Bonarrotius collegit in *Vitris coemeter.* pag. 160. 161. quae forsitan huc lucem afferre queant.

AD PS. CXIII. 16.

Caelum caeli Domino, terram autem dedit filiis hominum.] Imitatur hoc loquendi genus Ezechiel vetustus poëta Hellenista in ἐξαγωγῇ v. 89. ubi Raguel Mosi somnium interpretatur.

Τὸ δέ σε τεθεᾶσθαι γῆν ὅλην οἰκουμένην,
Τάδ' ὑπένερθε, τάθ' ὑπὲρ οὐρανὸν Θεοῦ.
Quod humum universam habitabilem conspexeris,
Infraque quae sunt, quae & supra caelum Dei.

Vbi *caelum Dei* dixit eam caeli partem, quae pro Dei sede habetur: quam partem *Caelum caeli* appellat eadem locutione, qua Hebraeis *sanctum sanctorum*, *vanitas vanitatum*, & alia in eamdem modum dicuntur. Id caelum empyreum nostri appellant: quod barbarum Martinio, Petavioque videtur in *De opificio sex dierum* pro eo quod ἔμπυρον dici debuerit. Atqui non ab ἔμπυρος sed ab ἐμπύριος (etsi hoc frustra quaeras in lexicis) arcessendum fuerat: *Empireum* autem pro *empyrium* non magis σόλοικον putem, quam *aethereus* ab αἰθέριος, *aëreus* ab ἀέριος.

Vnde autem caeli *empyrii* aut *empyrei* appellatio fluxerit, rimari operae fuerit. Ajo ab Hermetica id theologia manasse, quae sequiore aetate in pretio fuit.

Iam-

Iamblichus *de myſteriis* ſect. VIII. cap. 2. Hermetem reliquiſſe ait centum de diis *Empyriis* libros, totidemque de diis *aetheriis*, at mille de diis caeleſtibus. Αὗται μὲν ἐν εἰσιν ἀρχαὶ πρεσβύταται πάντων, ἃς Ερμῆς πρὸ τῶν αἰθερίων καὶ ἐμπυρίων Θεῶν προτάττει καὶ τῶν ἐπουρανίων· ἑκατὸν μὲν περὶ τῆς ἱστορίας τῶν ἐμπυρίων, καὶ ἀριθμὰ τούτοις περὶ τῶν αἰθερίων συγγράμματα παραδὸς, χίλια δὲ περὶ τῶν ἐπουρανίων. Vides hinc, vocem Εμπύριος (unde Latinis recentioribus *Empyrius* aut *Empyreus*) non eſſe barbaram (quod Martinius, Petavius aliique poſt hos crediderunt) ſed Iamblichi ſaltem (qui Porphyrii diſcipulus ſub Conſtantino M. fuit) ſe auctoritate tueri.

Caelum caeli Domino, Terram autem dedit filiis hominum.] Plinius II. 65. de Tellure ſic loquitur, quaſi ſi hunc Pſalmi hujus locum ob oculum habuiſſet. *Cui uni rerum naturae partium, eximia propter merita, cognomen indidimus maternae veneratienis. Sic hominum illa, ut caelum Dei: quae nos naſcentes excipit, natos alit, ſemelque editos ſuſtinet ſemper: noviſſime complexa gremio jam a reliqua natura abdicatos, tum maxime ut mater operiens.*

AD PS. CXV. 15.

Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus.] Sanctorum mors mundo plerumque ignominioſa, ſed *pretioſa* in conſpectu Domini: at illa, quam meditabatur Heliogabalus, nec Deo nec, opinor, hominibus, ſibi tantum pretioſa videbatur. De iſto vitiorum omnium barathro ſic Lampridius cap. 33. *Praedictum eidem erat . . . biothanatum ſe futurum. Paraverat igitur funes blatta & ſerico, & cocco intortos . . . paraverat & gladios aureos, quibus ſe occideret, ſi aliqua vis urgeret. Paraverat & in cerauneis & hyacinthis & in ſmaragdis venena, quibus ſe interimeret . . . fecerat & altiſſimam turrim, ſubſtratis aureis gemmatiſque ante tabulis, ex qua ſe praecipitaret, dicens, etiam MORTEM ſuam PRETIOSAM eſſe debere, & ad ſpeciem luxuriae, ut diceretur nemo ſic periſſe. Sed nihil iſta valuerunt. Nam . . . & occiſus eſt per ſcurras, & per plateas tractus eſt ſordidiſſime, per cloacas ductus, & in Tiberim ſubmiſſus eſt.*

AD PS. CXVIII.

Perpetuam hic Hymnus & excellentiſſimam legis aeternae laudationem praeconiumque complectitur. Quam legem (ſive Rationem vocare malis) hominibus innaſci, ne gentiles quidem ipſos ignoraſſe, excellentiſſimus M. Tullii locus declarat in tertio de Republica. Quem locum Lactantii nobis ſervavit diligentia in VI. Inſtit. 8. Atque hoc Tullii fragmentum huc adſcripſiſſe non poenitebit. *Eſt quidem Vera Lex recta ratio naturae congruens, diffuſa in omnes, conſtans, ſempiterna; quae vocet ad officium jubendo: vetando a fraude deterreat: quae tamen neque probos fruſtra jubet aut vetat, nec improbos jubendo aut vetando movet. Huic legi nec obrogari fas eſt, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari poteſt. Nec vero aut per ſenatum aut per populum ſolvi hac lege poſſumus. Neque eſt quaerendus explanator aut interpres ejus alius. Nec erit alia lex Romae, alia Athenis, alia nunc, alia poſthac: ſed & omnes gentes, & omni tempore una lex & ſempiterna, & immutabilis continebit: unuſque erit communis quaſi magiſter & imperator*

imperator omnium Deus: ille legis hujus inventor, disceptator, lator: cui qui non parebit, ipse se fugiet, ac naturam hominis aspernabitur: hoc ipso luet maximas poenas, etiam si cetera supplicia, quae putantur, effugerit. Atque huic tam luculentae Tullii disputationi sic applaudit Lactantius, ut tamquam θεόπνευστον vatem ea scripsisse imprudentem Ciceronem putet: postremo universe subjiciens gentiles eos, qui talia *imprudenter loquuntur, sic habendos, tamquam divinent spiritu aliquo instincti.* Tametsi nullo instinctu opus fuit ad internam hanc legem in omnium (qui quidem secum habitent) animis assidue garrientem persentiscendam.

AD PS. CXVIII. 5.

Justificationes tuas custodiam.] Frequens vocabuli *Justificationis* ac similium usus est in libris sacris: in Psalmis autem, & in hoc in primis frequentissimus. Ea vox respondet Hebraeo חק *chok*, ejusque feminino חקה *chukkab*. Quae vox apud Graecos interpretes non raro νόμιμον, saepe etiam πρόσταγμα; saepissime vero δικαίωμα, ut hîc ac toto ferme hoc omnium longissimo cantico redditur. Ex quo docemur, Graeca modo dicta vocabula in idem ferme recidere: uti constat ex 1. Mac. I. 13. ubi δικαιώματα τῶν ἐθνῶν haud aliud sunt, quam quae v. seq. νόμιμα τῶν ἐθνῶν dicuntur.

Ergo ex Judaeorum Hellenistarum mente etsi δικαιώματα plerumq. Divina mandata significant; non raro tamen paullum diversa notione sunt νόμιμα i. e. mores sive instituta tam populi Dei, quam gentium exterarum. De profanorum δικαιώμασιν adiri possunt lexicographi veteres, ac praeterea Budaeus, H. Stephanus, alii. De biblicis autem δικαιώμασι consulatur Suiceri Thesaurus aliique complures, quibus hîc pauca adspergimus.

Ac prodest a profanis incipere. Δικαίωμα in vetere Graecia fuit praeter cetera forense vocabulum significans praesidia causae (vulgo Itali *giustificazioni, pruove, documenti* dicimus) uti sunt leges, tabulae, instrumenta (1) quae Aristoteles in 1. de caelo τὰ τῶν ἀμφισβητούντων δικαιώματα dixit, & Thucydides lib. 1. Δικαιώματα μὲν οὖν τάδε πρὸς ὑμᾶς ἔχομεν ἱκανὰ κατὰ τοὺς Ἑλλήνων νόμους. Apud Suidam pulchre legitur: οὐδὲν δικαίωμα τῶν ὅπλων ἰσχυρότερον: quod nos vulgo dicimus, jus in armis principes viros statuere, quibus sit nihil fortius. Atque hinc sane intelligitur, quid sibi velit vox δικαιώματα in inscriptione Aristotelicorum librorum duorum apud Laërtium V. 26. & apud Harpocrationem in δρυμός. Sed & Eustathius ad Il. H. p. 559. & Anonymus vitae Aristotelis scriptor Menagianus τὰ δικαιώματα πόλεων (librum nempe Aristotelis ita inscriptum) memorant: quod quemadmodum sit accipiendum alter Aristotelicae vitae scriptor Nunnesianus, ex Graeco antiquitus Latine redditus, exponit in hunc modum: *Justificationes Graecarum civitatum, quibus lites Graecorum determinabat. Scripta autem est ab eo* (Aristotele) *posterius historia politiarum.* Ita biographus ille Nunnesianus (2).

Ex

(1) Graeci posterioris aetatis instrumenta vocant δικαιώματα. Ad calcem Codicis Colbertini 912. (apud Montfaucon) Palaeogr. pag. 78. ad ann. 1435.) inter cetera legitur, ενὶ δικαιώματι καὶ χρυσοβούλλῳ, *cum instrumentis, & Chrysobullis.* Haec posteriora tantumdem quod *instrumenta.*

(2) Apud Ammonium tamen grammaticum δικαιώματα πολέμων Aristotelis hic liber inscribitur: mendose, uti viris doctis videtur, Eustathii

Ex his ergo liquet, non receſſiſſe Judaeos Helleniſtas ab uſu veteris Graeciae in hujus biblici vocabuli notione. Nam ſive vocabulo Δικαιώματος intellexere Διαθήκην, h. e. *Inſtrumentum vetus*: jam olim antiquior Graecia tabulas & inſtrumenta ſic nuncupabat. Sive praecepta divina capias, ſic quoque antiquior Graecia, modulo ſuo uſurpabat, quia δικαιώμασιν h. e. legibus judicia finiebantur. Hinc vero factum ut κρίματα & δικαιώματα tam ſaepe apud LXX. συνωνύμως accipiantur. Atque hinc poteſt non paucis ſcripturae locis affundi lux. Vt Pſ. L. 6. *Vt juſtificeris* (δικαιωθῇς) *in ſermonibus tuis, & vincas, cum judicaris*. Patetque hinc, δικαιόω (unde δικαίωμα) pro forenſi verbo recte a Graecis interpretibus fuiſſe uſurpatum, ut etiam Luc. VII. 35. XVIII. 14. ubi vide notata.

AD PS. CXXXV. 1.

Quoniam in aeternum miſericordia ejus.] Ex uno hoc pſalmo, cujus verſus iſto intercalari hemiſtichio perpetuo finiuntur, quid in reliquis pleriſque, dum canerentur, fieret, licet conjicere. Sic enim ſuſpicor, clauſulam illam perpetuo repetitam alterius chori compleſſe partes; unumque hoc nobis exemplum relictum eſſe ad ſpecimen rationis ejus, qua pſalmi ab Judaeis alternatim canerentur. Euſebius ſane in II. hiſt. 17. Therapeutarum ex Philone mores deſcribens, ait, de illorum pſalmodia ſcriptum a Philone fuiſſe, ὡς ἑνὸς μετὰ ῥυθμῶ κοσμίως ἐπιψάλλοντος, οἱ λοιποὶ καθ' ἡσυχίαν ἀκροώμενοι, τῶν ὕμνων τὰ ἀκροτελεύτια συνεξηχῶσιν: *Quo pacto uno quopiam modulate ac decenter pſallentibus praecinente, ceteri cum ſilentio auſcultantes, extremas hymnorum clauſulas ſimul concinant*. Sane quid ſit ἀκροτελεύτιον (vox Thucididi uſurpata, & Ciceroni) vide Suidam & Thucydidis Scholiaſten: ſed & vox ipſa per ſe admonet, clauſulam videri ſignificare. Sed Suidae verba huc adſcribere non erit alienum. Ἀκροτελεύτιον ἔπος· κυρίως τὸ ἔσχατον κεφαλαίω τινὸς ποιητικῶ. *Proprie* ſic vocari tradit *Poëticae alicujus periochae extremam partem*. Pergit vero: χρῶνται δὲ καὶ ἐπὶ τῆ πεζῆ. Ac ſane quod de oratione quoque ſoluta uſurpetur, teſtis eſt locuples Cicero V. ad Att. 21. *Etſi bellum ἀκροτελεύτιον habet illa tua epiſtola, quam dediſti nauſeans Buthroto*. Poſtremo addit Suidas: καὶ παρὰ Θουκυδίδῃ (Thucydidis locum infero ex lib. 2. in hunc modum: καὶ τι καὶ Πυθικῆ μαντείω ἀκροτελεύτιον τοῖσδε διεκώλυε, λέγον ὡς = Τὸ Πελασγικὸν ἀργὸν ἄμεινον. Haec Thucydides) τὸ ἄκρον τῆ τέλους τῆ τοίχου· καλεῖται δὲ ἄκρον καὶ ἡ ἀρχὴ τῆ τοίχου. quae totidem verbis apud Thucydidis Scholiaſten leguntur. Non dicit autem ſignificare extremam παιάματος partem ſed τοίχου. Et ceteroqui cum ἄκρον tum initium tum etiam finem τοίχου ſignificare queat; ſuſpicari licet, antiquorum ἀκροτελεύτιον tale aliquid notaſſe, cujuſmodi iſta eſt pſalmi hujus clauſula intercalaris quae ſingulis verſibus revocatur.

ſtathii duorumque Βιογράφων, (quî πόλεων habent) auctoritate adductis. At Grotius (in praef. de jure B. & pacis) & Valeſius ad Harpocrationem malunt cum Ammonio πολέμων. Equidem ſic litem iſtam tranſigi poſſe crediderim, ut cum Ariſtoteles ex Laërtio & Harpocratione δικαιώματα ά β' (h. e. libris duobus) ſcripſerit; eorum alter δικαιώματα πόλεων, alter δικαιώματα πολέμων inſcriptus fuerit. Ad hunc alterum πολέμων fort. referri poſſit Suidae ἀλόητον ſupra poſitum. ἀλόητον δικαίωμα τῶν ἄλλων ἰσχυρότερον. *Nullum cauſſae firmamentum bello fortius*.

tur. Quae quidem clauſula, Philone teſte, a choro altero concinebatur, dum praecinenti reſponderet; prorſus ut in hoc cantico factum videmus, itaut intercalare illud perpetuo repetitum potius notet conſuetudinem qua hoc canticum caneretur, quam quid Pſalmographus ſcripſerit; qui ſatis, opinor, habuerit ſemel eam clauſulam adſcribere, quo cantores admonerentur, quidnam ſemper eſſet praecinenti reſpondendum: omnino ut factum videmus Pſ. CV. CVI. quibus pſalmis primo tantum commate iſtud *quoniam in aeternum* &c. ſic adjungitur, ut in fine cetcrorum verſuum nihilo minus canendum fuiſſe videatur. Nec interim diffiteor, alias praeterea fuiſſe clauſularum rationes. Nonnunquam enim primus cantici verſus ab altero choro ſingulis verſibus accinebatur, uti factum animadvertimus Ex. XV. 21. in quem locum illud ותען *vattaan* ſic exponendum eſſe dixi *Et reſpondebat*. Non enim notatur quid toto abſoluto cantico Maria reſponderit, ſed quid ſingulis verſibus ſubnecteret. In eumdem modum Pſ. VIII. illud *Domine Dominus noſter &c.* intercalare fuit, itaut non fini tantum hymni canendum fuiſſe videatur, ſed poſt ſingulos verſiculos repetendum.

AD PS. CXXXVIII. 9.

Si ſumpſero pennas meas diluculo.] Noſter interpres in Graeco legit κατ' ὄρθρον. At Auguſtinus, Victor Vitenſis III. 15. & Vetus pſalterium habent *In directum* ſecuti vulgatam alicubi Graeci Codicis lectionem κατ' ὀρθὸν. Pauca haec olim corraſeram. At longe plura a Sabbaterio producta nunc video. Ad ſummam Vulgata verſio ſequenda, quippe cum Heb. שחר *ſhachar* cohaerens.

AD PS. CXL. 2.

Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.] Hinc orti videntur καπνοβάται illi Poſidonii apud Strabonem lib. VII. Quae ne hîc infercirem, ea ad Brevium Diſſertat. bigam, quam in fine Pſalterii dabimus, nunc reſervo.

AD PS. CXLVI. 4.

Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat.] De Hipparcho, qui primus fixarum catalogum ſcripſerit, Plinius II. 26. eleganter ait: *Auſus REM ETIAM DEO IMPROBAM, annumerare poſteris ſtellas, ac ſidera ad nomen expungere.* Adde quae ad Gen. XV. 5. notavimus.

AD PS. CXLVII. 16.

Qui dat nivem ſicut lanam.] Buxtorfius in Grammat. Heb. interpretatur *nivem albam ſicut lanam*. Non: ſed niveos floccos ſimiles facit lanae velleribus. Martialis lib. 2. nivem ſic graphice deſcripſit:

Aſpice quam denſum tacitarum VELLVS aquarum
Defluat in vultus Caeſaris, inque ſinus.

Arnobius II. 11. *nives plumeas* dixit.

Nebulam ſicut cinerem ſpargit.] Ex Heb. Hieronymus: *Pruinam quaſi cinerem ſpargit.*

ſpargit. Aptiſſima comparatio, qua vividis coloribus campos pruina albeſcentes, ſic tamquam cinere conſperſos, ob oculos ponit. Verum in Hebraeo pulchra eſt alliteratio, quam nemo interpretando poſſit aſſequi; nam *pruina* Hebraeis כפור *cephor* (ut & Chaldaeis) dicitur: *Cinis* autem אפר *epher*, & (praefixo *caph ſimilitudinis*) *Cæpher*. Ergo *Pruinam ſicut cinerem* Hebraice dicitur *Cephor caëpher*. Et prius quidem vocabulum poſſit eſſe a radice כפר *caphar*, quatenus eſt *tegere*, quia pruina eſt veluti telluris tectorium. At Pſalmographus hîc veluti grammaticum atque ἐτυμολόγον agens; videtur ſecutus etymologiam quamdam alteram, qua *cephor* contractum ſit ex *caph ſimilitudinis* & *epher cinis*. Itaque ſi hoc ſequimur, Hebraeum *pruinae* nomen כפור *cephor* ex veterum Hebraeorum ſententia ſonabit *quaſi cinis*. Verum de his ſatis: quae ſiquis forte ſubtilius quam verius hîc enucleata cauſabitur, non gravate feram, modo meliora afferat.

AD PS. CXLVIII. 5.

Ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandavit & creata ſunt.] Agraetius vetus grammaticus ait: *IPSE pronomen dignitatis: ISTE abjectionis*. Hinc *ipſe*, & αὐτὸς de magiſtro uſurpabatur (cujuſmodi eſt Pythagoreorum illud, αὐτὸς ἔφα, *Ipſe dixit*) itemque de hero aut hera. In Plauti Caſina IV. Sc. 2. v. 11. ancilla interrogata, *Quid tu hic agis?* reſpondet, *Ego eo, quo me IPSA miſit*. Ter. Hec. *Sed Pamphilum ipſum video*; ubi τὸ *Ipſum* Donatus ſic interpretatur: *Vel DOMINVM, ut Graeci* αὐτὸν. Videatur & Aſconius ad Verrinas, & Scholiaſtes Ariſtophanis ad Nebulas, & Servius ad III. Geor. v. 387. In his ergo locutionibus IPSE & AYTOS loco proprii nominis uſurpantur.

AD PS. CXLVIII. 9.

Ligna fructifera & omnes cedri.] Optima diviſio arborum univerſarum, ut aliae ſint fructiferae, aliae ad opus materiarium deſtinatae. Poſteriores plantas *Cedri* nomine complectitur: nam Hebraei τῦ ארז *erez* nomine non unam decantatam illam Libani *cedrum* intelligebant, ſed 24. arborum picearum genera; quae omnia τῦ *Erez* nomine veniebant. Vide & Arabicum hujus nominis uſum ad plurima genera pertinentem; ſicut & Graecis & Latinis Κέδρος *Cedrus*, plurima genera complectebatur. Itaque non immerito 3. Reg. V. 6. Hebraico ארז *erez* Graece ξύλον reſpondet. Κόψάτωσάν μοι ξύλα ἐκ τῦ Λιβάνυ. In quinque aliis locis eidem Heb. nomini Graece κυπάρισσος reſpondet.

Atque huc ea omnia pertinent, quae in Diſſert. de Tyrrhenorum origine diſputata de *Eridani* etymologia mihi fuere. Nam quia Padus per medium ſubalpinae Tyrrheniae fluit; non immerito rex ille amnium aliter vocabatur *Eridanus*, quaſi *Cedrinum* dixeris. Etenim ab voce ארז *Erez* i. e. *cedrus*, fit *Ered* (uſitatiſſima Hebraeis τῦ *Zain* in *Daleth* converſione) at ab *Ered* Pado nomen alterum conciliatum: ut quia tota regio cedrorum genera plurima alit, ab eo is fluvius *Eridanus* vocaretur. Sane ſi eam Diſſert. adieris, haud poteris non manus dare.

BRE-

BREVIORVM DISSERTATIONVM
IN PSALMOS BIGA

DISSERTATIO I.
DE DIPLOIDE.

AD PS. CVIII. 29. Promiſſa ſup. pag. 197.

INduantur ſicut diploide confuſione ſua.] Pro *diploide* Heb. eſt מְעִיל *Meil* quod pallium aut laenam, aliudve exterius indumentum ſignificat. Id vocabulum tum hîc tûm alibi ſexies Graeci interpp. διπλοΐδα reddiderunt. Quocirca rem non ingratam lectori fore exiſtimo, ſi quid proprie ſit *Diplois* (de quo apud rei veſtiariae ſcriptores nihil memini reperiſſe eliquatum) ex antiquorum auctoritate ſtatuam.

Διπλοὶς, Ἁπλοὶς, & ſiqua ſunt alia hujus formae videntur χλαίνης (*laenae*) epitheta fuiſſe. Homerus Il. Ω. 230.

Δύδεκα δ' ἁπλοΐδας χλαίνας, τόσσους δὲ τάπητας.

Laenas haploidas bis ſex, totidemque tapetas.

Idem Il. Κ & Od. Τ. Χλαῖναν . . . διπλῆν dixit h. e. διπλοΐδα. Ergo ubi *Diploidem* aut *Haploidem* audis, *laenam* ſubaudire decet. Atqui χλαῖνα (*laena*) exterius indumentum erat quod tunicae injiciebatur ad arcendum frigus. Hoc notum jam omnibus. Id vero indumenti genus plerumque ſimplex, non duplicatum uſui erat: tunc vero Ἁπλοὶς aut ἁπλαγὶς vocabatur. Erat etiam cum tali ratione fiebat, ut, ſi opus eſſet, duplicaretur; idque tunc Διπλοὶς & Διπλαγὶς dicebatur. Ac nequis meram hanc conjecturam putet, audiat Heſychium, qui unus ex omnibus *Diploidis* naturam nobis expoſitam reliquit. Διπλοΐδα· Διπλωμένην χλαινίδα ἐν τῷ φορεῖσθαι. Parum eſt, quod *Diploidem* interpretatur *Duplicatam laenam*, niſi etiam addidiſſet ἐν τῷ φορεῖσθαι; *dum fertur*. Non enim laena a conſarcinatore duplicata fiebat (uti apud nos *Il veſtito foderato*) ſed inter ferendum, ſi procella ſaeviret, duplicabatur. Hinc intelligis, quid ſit, cur eadem indumenta Ἁπλαγίδας, καὶ Διπλαγίδας appellaverint Attici (ταύτας δὲ οἱ Ἀττικοὶ ἁπλαγίδας καὶ διπλαγίδας . . ὀνόμαζον, ait Pollux VII. 47. ubi male antea διπλοΐδας legebatur, refragantibus libris) quas reddere poſſis *duplicabiles* aut *non duplicabiles*. Διπλαγίδες autem quo duplicarentur, multo ampliores fiebant, quam Ἁπλαγίδες, quae numquam duplicabantur. Suidas in Ἁπλαγίς ſic habet: Καὶ ἁπλαγὶς ἱματίδιον σύμμετρον. Ἀναγύρῳ Ἀριστοφάνης· Ἐκ δὲ τῆς ἐμῆς χλανίδος τρεῖς ἁπλαγίδας ποιῶν. Hoc eſt: *Et ἁπλαγὶς eſt anguſtius indumentum. Ariſtoph. Anagyro: Ex mea laena tres haplegidas faciens.* Ergo Διπλαγὶς ita ampla erat, ut & duplicari, ſi uſus poſceret, imo & eadem in duas treſve haploidas reſingi poſſet. At ἁπλαγὶς duplicari nequibat. Heſychius: Ἁπλῆτις (jamdudum monuit Henr. Steph. corrigi debere ἁπλαγὶς) σύμμετρος χλαῖνα, ἡ δυναμὴν διπλωθῆναι· i. e. *quae duplicari nequit, quippe mediocris moduli.*

Dixi de *diploide*, quateuus haec ex duplicata laenâ conſtabat. At ſi pallium duplicaretur, eratne *Diploisꝰ* Id quidem Porphyrion Horatii interpres affirmat. Verum de hoc univerſo negotio videbis in ſubjecta (t) adnotatione.

(t) *Quis primus ex pallio diploidem fecerit.* Pallii duplicatio a Cynica Philoſophia primum invecta fuit; nam primum Diogenem, ſive, quod magis probo, ſectae conditorem Antiſthenem pallium duplicaſſe reperio.

Ac de Antiſthene Laërtius VI. 13. narrat in hunc modum: Πρῶτος Ἤλλαττε τὸν τρίβωνα (κατὰ φησι Διοκλῆς) καὶ μόνῳ αὐτῷ ἐχρῆτο· βάκτρον τε ἀείλαβε καὶ πήραν· πρῶτος δὲ καὶ Νεάνθης φησὶ διπλῶσαι τὸ ἱμάτιον. Quae ſic interpres reddit: *Primus pallium, ut ait Diocles, duplicavit, ipſoque ſolo utebatur: baculumque ſumpſit ac peram. Primus quoque ut Neanthes tradit, pallium duplicavit.* Peſſima in ultimis translatio; ex qua novi aliquid a Neanthe expectes, qui tamen idem dicit ac Diocles. Ei incommodo ut mederentur alii, pro διπλῶσαι legi jubent ἁπλῶσαι, quaſi hoc novi Neanthes dicat, *primum Antiſthenem explè-*

Ceterum, cur hîc & alibi ſexies Graeci interpretes διπλοΐδι vocabulo Hebraicum לבש *Meil* (quod tamen alibi pluries modo ὑποδύτῃ, *tunicam*, modo aliud interpretantur) expreſſerint; non alia commodior ratio afferri poteſt, quam parum nota Hebraicae vocis proprietas; ut pro loco varie ſint interpretati. Et hîc certe (ut & in ſimili loco Job. XXIX. 14.) *diploidis* vox vim atque elegantiam miram habet.

---

explicaſſe pallium. At deterius eſt remedium. Certe ſi ille primus duplicavit, explicatum reperit; ergo non potuit ſimul idem explicaſſe primus. At quanti erat laboris ſic reddere? *Primum vero duplicaſſe pallium* (non tantum Dioeles modo laudatus, ſed) *etiam Neanthes tradit*. Aut vero totum hunc locum ſic brevius interpretare: *Primum hunc duplicaſſe pallium* (*quo ſolo utebatur, cum baculo & pera*) *Dioeles, adhaec & Neanthes prodiderunt*. Quid vero ſibi vult, καὶ μόνῳ αὐτῷ ἐχρῶτο, *quo ſolo utebatur?* quia opinor, vult ſine tunica, ac ſolo pallio Antiſthenem ſuper nudo indutum: qui ſic certe Diogenem docuit: quem petentem ab eo tunicam juſſit πτύξαι τοιμάτιον, *duplicare pallium* (vide Laërt. ibid. num. 6.) ut utriuſque veſtis uſum praeſtaret. At de his ſilent Laërtii adnotatores; ſicuti nec de eo quod huc attinet ſunt ſolliciti, quid ſit *Duplicare pallium*. Non aliud certe eſt, quam *feciſſe diploidem*. Et erant quidem diploides Homeri tempore, ſed ex laena. At ex pallio primus Antiſthenes fecit diploidem. Ac certe jamdudum docuerat Porphyrion ad Horatii I. Ep. 17. *Contra quem duplici panno* (Antiſthenem deſignat; cujus *duplex pannus* non eſt aliud, quam Laërtii *pallium duplicatum*) *patientia volat*: Vbi vetus interpres Porphyrion *duplicem pannum* diſerte interpretatur *Diploidem*.

At idem Laërtius VI. 22. de Diogene ſic habet: τρίβωνα διπλώσας πρῶτος, κατά τινας, διὰ τὸ ἀνάγκην ἔχειν, καὶ ὑπόδυσιν αὐτῷ. Interpres vertit: *Pallium, ut quidam volunt, primus duplicatum in uſu habuit, ob neceſſarium uſum, ut ſe illo dormiens obvolveret*. Sed poſteriora malo ſic: *quia neceſſitatem haberet* i. e. inoplae cauſa (ſimile eſt illud in I. Jo. III. 17. χρείαν ἔχειν, *neceſſitatem habere*) *& quod cum eo ſomnum caperet*. Ad ſuſtinam vult, duplicaſſe pallium, quia tunica carebat; atque id ſignificat διὰ τὸ ἀνάγκην ἔχειν. Supra Laërtius de Antiſthene VI. num. 6. ſic narrabat: Διογένει χιτῶνα αἰτοῦντι, πτύξας προέτεινε τοιμάτιον *Diogenem, cum tunicam peteret, pallium duplicare juſſit*. Ita etiamſi primus duplicaverit Diogenes, at Antiſthene auctore id fecit. Ad eamdem ἀνάγκην (*neceſſitatem*) refer illud Satyri apud Hieron. in II. contra Jovinianum. *Refert* (inquit) *Satyrus, qui illuſtrium virorum ſcripſit hiſtoriam, quod Diogenes palliolo duplici uſus ſit propter frigus*. Etiam Crates duplicavit. Tert. de pallio. *At enim pallio nihil expeditius, etiam ſi duplex, quod Cratetis*. Tam autem in Satyro apud Hieron. quam in Tertulliano *Pallium duplex* eſt *Pallium duplicatum*.

DISSERTATIO II.

DE CAPNOBATIS.

AD PS. CXL. 2. Promiſſa ſup. pag. 201.

Dirigatur oratio mea ſicut incenſum (Heb. קטרת *ketoreth*, quod ad omne ſuffumigiorum genus pertinet) *in conſpectu tuo: elevatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum*.] Congruit hoc cum Apoc. V. 8. ubi Divinus Apoſtolus Seniores illos in manibus habuiſſe tradit *phialas aureas plenas odoramentorum*, additque interpretans, *Quae ſunt orationes Sanctorum*. Videtur ergo fumus ille in ſublime elatus, ſuamet glomeratione raptus & convolutus, in hoc fuiſſe adhibitus, ut tamquam precationum vicarius, ſeſe ad Deum uſque extolleret. Atque ea mens Hebraeis erat in adolendo ture ceteriſque ſuffitibus.

Imo non alius ab initio ſenſus antiquis omnibus gentibus ſuffientibus fuerat, iis quidem certe, apud quas aut Noachidarum traditiones purae ac defecatae duraverant, aut quibus aliquid conſuetudinis cum gente Palaeſtina, ſive per colonias illiuc deductas, ſive per legislatorum ſuorum in Orientem peregrinationes, aut quoquo modo interceſſerat.

Inter

Inter eas gentes praecipue Myſi ſeu Getae qui utramque Iſtri ripam accolebant ſunt numerandi: qui δικαιότατοι ἀνδρῶν (*juſtiſſimorum hominum*) elogium Homero praecone meruerunt: in cujus plura loca Strabo accurate commentatur tum lib. XIII. (ubi oſtendit, a Poëta non Aſiaticos Myſos ibi deſignari, ſed Europeos Iſtri accolas) tum maxime lib. VII. Atque ex Strabonianis dicti loci, quae Poſidonio auctore nituntur, pauca hîc adſcribamus. *Adhaec* (inquit) *Poſidonius tradit Myſos*, (κατ' εὐσέβειαν) *pietatis ergo cum animatis* (ceteris) *tum ea propter pecudibus potiſſimum abſtinere, ac vitam quietam degentes, melle & lacte & caſeo veſci*: (διὰ δὲ τοῦτο καλεῖσθαι θεοσεβεῖς τε καὶ καπνοβάτας) *ob eam vero cauſam Deicolas & fumi ſcanſores appellari*. Deinde haec addit: εἶναι δέ τινας τῶν Θρακῶν, οἱ χωρὶς γυναικὸς ζῶσι &c. quae ſic vertit interpres, quaſi hi alii ab iis ſint, quos proxime Καπνοβάτας vocatos tradidit. At hos Thraces mulierum oſores eoſdem fuiſſe ac illos Myſos καπνοβάτας, quos proxime nominaverat, ea declarant, quae mox Strabo pag. ſeq. in reprehenſione iſtius mulierum στρατιᾶς affert. Nam Myſos iſtos Thracii generis fuiſſe, pluries ſcripſit Geographus: ac ante Herodotus non ſemel: cui Muſa IV. 93. ii, de quibus loquimur Θρήϊκων . . . . . δικαιότατοι (*Thracum juſtiſſimi*) nuncupantur non ſine alluſione ad hunc Homericum locum.

Sed ad Strabonem redeo quem ita vertas, cenſeo. *Hos autem* Myſos Capnobatas *eſſe Thracum genus quoddam, qui ſine uxoribus vivant, & honoris gratia ſacros haberi*. Mox addit, de his intelligi oportere illud Homeri ubi Myſos *juſtiſſimos hominum* nuncupat. Myſi ergo ſive ex Thracibus orti fuere, ſive iis utcumque congeneres.

Atque hos ipſos Myſos antiquitus θεοσεβεῖς τε καὶ καπνοβάτας h. e. *Deicolas & fumi ſcanſores*, fuiſſe vocatos Strabo animadvertens, tamen cur ita dicti (1) addubitavit, itemque egregio Geographi adnotatori (2) Caſaubono aqua hoc loco haeſit. At mihi videtur amborum praeconiorum unum cum altero aptiſſime cohaerere. Nam ſi θεοσεβεῖς h. e. *deorum cultores*, ſed heroico ritu fuere, nae ii non tam victimis aras cruentabant (qui mos videtur ſerius apud Myſos invaluiſſe) quam ſuffumigiis herbarum ac fruticum odoriferorum colebant numina: qui mos antiquis uſitatiſſimus fuit, ac prae ritibus ceteris frequentatus. Atque is fumus quia ſurſum uſque una cum congruis precationibus ad caeleſte Numen evolare credebatur; precatores ipſi junctim cum

---

(1) Strabo lib. VII. p. 299. 300. ex Poſidonio hoſce verſus Homero tribuit, qui exſtant Il. N. 5. 6.

Μυσῶν' ἀγχεμάχων, καὶ ἀγαυῶν ἱππημολγῶν,
Γλακτοφάγων, Ἀβίων τε, δικαιοτάτων ἀνθρώπων.

Fortibus & Myſis, nec non claris Hippemolgis,
Glactophagiſq; Abiiſq; quibus NON IVSTIOR VLLVS.

Mox pag. 302. ex eodem Homero Jovem reſpexiſſe ait αὐτὸν Γλακτοφάγων, Ἀβίων τε, δικαιοτάτων ἀνθρώπων.

(2) Strabo lib. VII. pag. 296. memorato Poſidonii in Homerum commentantis loco plures difficultates ſubjicit; inter cetera illud miratus, cur Homerus Myſos ob abſtinentiam ab animatis θεοσεβεῖς τε καὶ καπνοβάτας (*deicolas & fumi ſcanſores*) vocet. Cui difficultati non plane ſatisfacit. At facile potuiſſet, ſi non ea mens Homero fuiſſe dicatur, ut θεοσεβεῖς ab abſtinentia animatorum colligeret: Sed potius ex eo fuiſſe *deicolas* vult, quia καπνοβάτας h. e. fumi religioſos *ſcanſores*, eique fumo veluti ſurſum inequitantes.

Poſt pauca Strabo ibidem haec poſuit: *Idem Poſidonius ait Myſos* (κατ' εὐσέβειαν) *pietatis ergo animatis abſtinere, & ea propter etiam pecudibus . . .* (διὰ δὲ τοῦτο καλεῖσθαι καὶ καπνοβάτας) *ideoque eos & Deum cultores nominari, & Capnobatas* h. e. fumi ſcanſores.

Ad quae ita Caſaubonus adnotat, ut de ſcriptura (καπνοβάτας) dubitari vetet tum propter librorum conſenſum hic & mox infra, tum ob Euſtathium ita quoque ſcribentem: ſed tamen hanc vocem fatetur non eſſe intelligere, quid hîc ſibi velit. Quid enim ſibi vult *fumi ſcanſor* aut potius *fumo inequitans*?

Verum Poſidonius ipſe ecquid καπνοβάτας ſibi velint ſatis declaraverat, ubi hanc vocem eum θεοσεβεῖς junxerat: θεοσεβεῖς τε, inquit, καὶ καπνοβάτας. Quo pacto haec jungebantur? Quia Myſorum gens in colendo Numine ſuffimentis votorum vectoribus utebatur, quibus precationes veluti inequitantes ad ſupremum Numen perveniret; proſus ut hîc David Deum alloquitur: *Dirigatur Domine oratio mea, ſicut incenſi ſuffitus in conſpectu tuo*. Quibus verbis Propheta ſe tamquam Myſorum (gentis ſatis cum populo Dei conſentientis) unus, dum in terra adolere & ſuffire ſatagit, ſimul ejus oratio veluti ſuffitui inequitans (id illud καπνοβάτης eſt, quod Myſi cum θεοσεβεῖς jungebant) ad Deum uſque conſcenderet.

cum suffitibus illuc scandere putabantur ac dicebantur; atque hinc θυσιβῶται, illi aptissime καπνοβάται, (h. e. *fumei* aut *fumifici ascensores*) vocati. Haec vero Mysi, itemque Thraces aliique populorum antiquissimi ex Hebraeis (a quibus aut antiquitus prodierant, aut illic peregrinando didicerant) habuere communia; ac veluti si comma hoc Hymni Davidici Mysorum animis obversaretur, ita se gentis Hebraicae suffitibus conformabant, ut per fumum preces ac vota sursum dirigerent, atque ab eo ritu καπνοβάται (*fumei ascensores*) vocabantur. In eo ergo Mysi θυσιβώμοι h. e. divinum cultum constituebant, ut per καπνοβασίαν cum superno Numine versarentur, unde bona omnia sperari poterant. Atque haec eo latius & accuratius notanda duxi, ut intelligatur, ecqua mens antiquissimis gentium suffitionibus fuerit, quippe ab Hebraeis si minus profectarum, at certe antiquitus edoctarum.

Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.] Supra scriptus hic Psalmi versus duas more solito partes complectitur: priore καπνοβασίαν (h. e. *fumi scansionem*, de qua modo dixi) perfolutam arguit, per *incensi* scil. suffumigium (quasi precationum suarum vehiculum de quo supra dictum) ad supremam Dei sedem directum: hac vero parte altera, quasi depolito turibulo, Propheta manus ad Deum extollit, sic perpetuo mansuras, quoad absolvatur oratio psalmi hujus. Erectio manuum gestus orantium fuit, etiam si ope aliorum brachia sustineri interdum necesse esset, uti constat ex historia Mosaica. Sacrificium ergo precum, quae hoc Psalmo continentur, est hic loco sacrificii vespertini.

AD PROVERBIA SALOMONIS.

DE INSCRIPTIONE LIBRI HVJVS.

IN Bibliis Vulgatis praefcribitur: Liber Proverbiorum, quem Hebraei Misle appellant. *Recte quia textus Hebraeus ita orditur*: משלי שלמה Misle Shelomoh *&c.* Parabolae Salomonis filii David regis Israël. *Vox* משל mashal (*cujus plurale conſtructum eſt* Mishle) *a Graecis tum* παροιμία, Paroemia *ſeu proverbium, tum & παραβολὴ* (*i. e.* collatio, comparatio) *vertitur. Inter Ariſtotelis deperdita fuit* Παραβολαὶ *allegatum Laërtio V.* 26. *& Anonymo vitae ſcriptori Menagiano. Sed & παροιμία á. eſt apud eumdem Laërtium ibidem. Non omittenda hîc παροιμίας definitio, quam ex Ariſtotele, & ex eodem libro, ut opinor, paroemiarum affert Syneſius in Calvitii encomio. Cui παροιμία eſt* Παλαίας φιλοσοφίας ἐγκατάλειμμα περισωθὲν διὰ συντομίαν καὶ δεξιότητα, Veteris philoſophiae monumentum, brevitatis & dexteritatis gratia ſervatum.

Ac ſane nullus toto oriente fuit mos pervagatior quam ut graves ſententias aut ſimilitudines brevibus dictis complecterentur, quae proverbia appellabantur. Nec alio modo moralis philoſophia, politica, aliaeque ſimiles artes in Perſia & toto oriente, quam verſibus paroemialibus docentur. Tales erant & Theognidis, Phocylidis aliorumque talium γνῶμαι, ſicuti & aurea Pythagorae carmina.

AD PROV. I. 6.

Et aenigmata eorum.] חידות *chidoth* Salomoni ſunt genus poëſeos aenigmaticum, cujusmodi in multis iſtud eſt, quod ad manus eſt & *Proverbia* inſcribitur. Id genus Graecorum vetuſtiſſimi γρῖφος appellitabant. Cleobulus Mindius verbi cauſa *griphos* verſibus hexametris ſcripſit, teſte Laërtio, qui & ejuſdem aenigma de anno refert. Sed & Eumetis hujus Cleobuli filia, quae & Cleobulina dicta fuit, hoc poëſeos genere inclaruit; nam ἑξαμέτρων αἰνιγμάτων ποιήτρια Laërtio

tio dicitur; cujus γρίφους Plutarchus, Athenaeus, Suidas, celebrarunt. Quin & aenigma de cucurbitae appellatione in balneo (quod Ariſt. III. Rhet. 2. ac Demetrius de Eloc. §. 102. tangunt) ejuſdem Cleobulinae eſſe ex Plutarchi convivio evincit Menagius ad Laërtium. Verum qui de γρίφοις ſcire avebit, adeat Pollucem, Heſychium, Euſtathium, Ariſtophanis Scholiaſten, & cum primis Athenaeum, qui multa hujuſmodi aenigmata affert in medium. In primis autem adeat, cui curae fuerit, Caſauboni animadverſiones ad Athenaeum lib. X. cap. 15. & ſequentibus, ubi accuratiſſime res tota tractatur.

AD PROV. V. 6.

Per ſemitam vitae non ambulant: vagi ſunt greſſus ejus & inveſtigabiles.] Hebraea ſic vertunt: *Semitam vitae ne forte ponderes* (aut *ponderet* ut referatur ad meretricem) *moventur greſſus ejus*. Sed ego quovis pignore contenderim Hebraicum מֹּרְיוֹן פֶּן *phen* hîc non valere *Ne forte* aut quidvis ſimile, ſed idem plane quod *Antequam*. Eſt autem non a פֶּן *phun* ſed a פָּנָה *phanah*. Vide omnino quae dixi ad Gen. XI. 4. ubi pro *phen* Senes poſuerunt πρὸ τοῦ: *Antequam diſpergamur* h. e. *Ne forte diſpergamur*. Ergo & hîc verte ſic: *ſemitam vitae antequam ponderet* (illa meretrix) *moventur greſſus ejus* (meretricis). Hoc illud eſt quod alibi dicitur: *Neſciunt ubi corruunt*: cur? quia antequam expendant, caeco impetu rapiuntur.

AD PROV. VII. 10.

Et ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio.] Apud gentiles floridae veſtes meretricum peculiares fuere. Clemens Alex. Paedag. III. 2. ὡς τὸν δραπέτην τὰ στίγματα, ὕτω τὴν μοιχαλίδα δείκνυσι τὰ ἀνθίσματα. *Vt ſervum fugitivum ſtigmata, ſic meretricem floridae veſtes arguunt.* Athenaeus lib. XII. capitis quarti initio, ἀνθινα i. e. *floridas veſtes*, purpurae aſſumenta, & ornamenta aurea diſcrimen inter honeſtas feminas & quaeſtum meretricium profeſſas fuiſſe apud Syracuſios, auctore Phylarcho, tradit. Eamdem legem Zaleucus Locrenſibus poſuit, teſte Diodoro Siculo.

AD PROV. IX. 1. 2. 3. 4. 5.

Sapientia aedificavit ſibi domum &c.] Priora quinque hujus capitis commata ſic exhibet Cyprianus ep. (63.) ad Caecilium: *Sapientia aedificavit ſibi domum, & ſubdidit columnas ſeptem. Mactavit ſuas hoſtias, miſcuit in cratera vinum ſuum, & paravit menſam ſuam. Et miſit ſervos ſuos, convocans cum excelſa praedicatione ad craterem dicens: Qui eſt inſipiens, declinet ad me. Et egentibus ſenſu dixit: venite edite de meis panibus & bibite vinum, quod miſcui vobis.*

Subdidit columnas ſeptem.] Sic in omnibus MSS. & editionibus Cypriani, (nam quod in uno MS. Baluzius reperit, *excidit*, id ex vulgata interpolatum) ut & lib. III. Teſtim. Sic etiam poſuit Proſper, ſeu quivis eſt auctor, lib. 2. de promiſ. & praedict. Dei c. 2. At Auguſtinus VII. de civ. 20. *ſuffulſit*, & in c. 2. ep. ad Gal. *ſubſtituit*. Graeci interpretes, a quibus vetus Latina manavit

vit (qui hîc poſuerunt ὑπήρωσι) videntur in Hebraeo legiſſe יצבה *jatſebah*, *ſtatuit*, pro eo quod nunc legitur חצבה *chatſebah*, *excidit*: quam lectionem jam tum Aquila & Symmachus agnoverunt, quippe ἐλατόμησι interpretati.

AD PROV. IX. 6.

Relinquite infantiam & vivite.] Saepe hoc libro, ut ſupra IV. 4. VII. 2. ſic etiam Luc. X. 28. & alibi *vivere* eſt recte vivere. Martialis lib. 2. ad Quinctilianum:

VIVERE quod propero pauper nec inutilis annis;
Da veniam: properat VIVERE nemo ſatis.
Differat hoc, patrios optat qui vincere cenſus,
Atriaque immodicis artat imaginibus.
Me focus, & nigros non indignantia fumos
Tecta juvant, & fons vivus & herba rudis. &c.

AD PROV. X. 4.

Manus autem fortium divitias parat.] Heb. ויד חרוצים *vejad charutſim*, & *manus induſtriorum ditat*. Nam חרוץ *charuts* proprie *mobilem* ſignificare videtur, quia חרץ *charats* eſt *movere*, *agitare*. *Mobiles* autem iidem ſunt induſtrii. Vitruvius V. 7. *Si architectus erit uſu peritus, practereaque ingenio mobili*. At Latina vox *fortium* ex Graeca interpretatione manavit, quae habet: χεῖρες δὲ ἀνδρείων πλουτίζουσι. Quo autem hic ἀνδρεία? Ea ſic Philoſopho 1. Rhet. definitur, δι' ἣν πρακτικοί εἰσι τῶν καλῶν ἔργων ἐν τοῖς κινδύνοις, &c. Quare non inepte ἀνδρείων LXX hîc & alibi reddiderunt; nam ſimilis prorſus eſt locus Strabonis lib. XVI. pag. 757. ubi de Tyro loquens, Καὶ δυσδιάγωγον μὲν, ait, ποιεῖ τὴν πόλιν ἡ πολυπληθία τῶν βαφείων, ΠΛΟΥΣΙΑΝ δὲ διὰ τὴν τοιαύτην ΑΝΔΡΙΑΝ. Tyrum incommode habitari ait propter tot officinarum tinctoriarum graveolentiam, viciſſim autem ex illa ἀνδρίᾳ h. e. induſtria mire ditari. Vides induſtrios eoſdem & fortes eſſe & quo ſenſu χεῖρες ἀνδρείων πλουτίζουσι. Nec aliter idem Strabo lib. III. pag. 140. ubi Gaditanam inſulam nulla re alia ſupra ceteras praeſtare, narrat, ΑΝΔΡΕΙΑΙ δὲ τῶν ἐνοικούντων τῇ περὶ τὰς ναυτιλίας h. e. *ſedulitate vero & induſtria navigationum* ad id fortunae evectam fuiſſe. Hinc Graeci iidem interpretes Prov. XIII. 4. eodem pacto eamdem vocem חרוצים *harutſim* interpretantur in hunc modum: χεῖρες δὲ ἀνδρείων ἐν ἐπιμελείᾳ. Adhaec Prov. XXI. 30. pro תבונה *thebunah*, *intelligentia* ἀνδρείαν habent, ferme eâdem notione, Οὐκ ἔστι σοφία, ajunt, οὐκ ἔστιν ἀνδρεία *contra Dominum*. Vbi ἀνδρεία ut Hebraeo reſpondeat, uſu comparatam prudentiam ſeu ἐμπειρίαν ſignificat. Eccleſiaſtici XXVI. 2. γυνὴ ἀνδρεία i. e. *induſtria* opponitur ebrioſae &c. Ejuſdem libri cap. XXVIII. 19. *Lingua tertia mulieres viratas* (Graece γυναῖκας ἀνδρείας) *ejecit, & privavit illas LABORIBVS ſuis*.

Quid quod eodem ſenſu Hebraicum חיל *chail* (quod *robur* & *fortitudinem* ſignificat) accipitur Prov. XXXI. 10. *Mulierem fortem quis inveniet?* Ibi Heb. אשת חיל *eſcheth chail*, *mulierem fortitudinis*: Graeci autem interpretes, γυναῖκα ἀνδρείαν. Sedula autem & induſtria mulier ibi ſignificatur, quae, ut ſequitur, *quaeſivit lanam & linum . . . manum ſuam miſit ad fortia* (Hebraice כישור *chiſcior*, *verticillum*: en fortia mulierum) *& digiti ejus apprehenderunt fuſum*. Eâdem notione & חיל & ἀνδρεία Prov. XII. 4. uſurpantur.

AD

AD PROV. XII. 9.

Melior eſt pauper & ſufficiens ſibi, quam glorioſus & indigens pane.] Graeci interpretes ſic poſuerunt: κρείσσων ἀνὴρ ἐν ἀτιμίᾳ δουλεύων ἑαυτῷ, ἢ τιμὴν ἑαυτῷ περιτιθεὶς καὶ προσδεόμενος ἄρτου. Haec de veſtitu eos intellexiſſe notavimus ad 1. Cor. XII. 23. ubi eadem phraſis occurrit: τούτοις (μέλεσιν) τιμὴν περισσοτέραν περιτίθεμεν. Accedit quod Gen. XX. 16. apud LXX. τιμὴ reſpondet τῷ כסות *cheſuth, operimento*. Eàdem notione in Graeco Eſdr. V. 11. καὶ τὴν δόξαν, ἣν ἑαυτῷ ὁ βασιλεὺς περιέθηκε. Ezech. XXVII. 3. περίθηκα ἐμαυτῇ τὸ κάλλος μου. Sed tamen, quia Eſther I. 20. περιτιθέναι τιμὴν eſt tantum *honorem deferre*; plane fit poſſe hîc Graecos interpretes non aliud ſibi voluiſſe, quam quae vis eſt Hebraei מתכבד *mithcabbed, ſeſe honorans*.

AD PROV. XII. 19.

Qui autem teſtis eſt repentinus, linguam concinnat mendacii.] Hebraea ab aliis aliter verti ſolent: quae nos omittimus. LXX (ex quibus Latina Proverbior. verſio prodiit) in fine tantum diſcedunt a Vulg. at in ceteris conſentiunt. Μάρτυς δὲ ταχὺς γλῶσσαν ἔχει ἄδικον. Syrus & Arabs etiam ad Vulgatam accedunt. Vox *Repentinus* varios uſus habet. Cicero in Bruto c. 69. *Ignoti homines & repentini, quaeſtores celeriter facti ſunt*. Quod imitatur & Ammianus Marcellinus XIV. 6. *Vt incognitus haerebis & repentinus*. Ex quibus liquet, in hoc Proverbio, *Repentinum* eum intelligi, cujus mores & ſinceritas nondum uſu probata fuerit.

AD PROV. XIII. 1.

Filius ſapiens doctrina patris:] In Graeca interpretatione παιδεγος hîc dicitur qui Heb. eſt חכם *chacam, ſapiens*. Saepe autem in Graeca hujus libri interpretatione παιδεία in laude ponitur, ſicut & in Sirachidis libro; cum tamen οἱ ἔξω i. e. *profani* (uti notatur in catena in Proverbia a Peltano verſa pag. 28.) vocabulum παιδεγος ſemper in deteriorem partem accipiant. Nam etſi Ariſtoteles in VI. Ethicor. ſine diſcrimine dixit: διὸ καὶ τοὺς φρονίμους, δεινοὺς καὶ παιδεγους φαμὲν εἶναι. attamen ab eodem παιδεία dicitur δεινότης, ſed οὐκ ἐπαινετή. Etſi Demoſthenes pro Corona in meliorem partem uſurpavit, παιδεγος πράγμασι χρῆσθαι. Παιδεία laudabilem ex Baſilio citat Budaeus in com. pag. 126. Ad ſummam παιδεία ſaepe eſt vafritia ſubdola, at non raro eſt quaedam laudanda calliditas. Vide rurſus infra ad XIV. 8.

AD PROV. XIII. 4.

Vult & non vult piger.] Simile eſt τὸ *Volonolo* Auſonii.

Quae jungat quod volonolo vocet.

Eſt & Graecorum οὐκ ἐκὼν, ἐκὼν.

AD PROV. XIV. 8.

Sapientia callidi eſt intelligere viam ſuam:] Vt ערום *arum* Hebraeis hîc & alibi medium eſt vocabulum; ſic & παιδεγος ſupra XIII. 1. Et *callidus* hîc in laude ponitur; quod & ab optimis eſt Latinitatis auctoribus. Etenim callidos Cicero in III. de Nat. deor. interpretatur, *quorum tanquam manus opere, ſic animus uſu concalluit*. Tacitus II. Hiſt. 31. *Quo nemo ea tempeſtate callidior rei militaris.*

Apud Latinos etiam *Dolus* interdum, imo & *Malitia* in laude ponuntur.

AD PROV. XV. 12.

Non amat peſtilens eum qui ſe corripit: nec ad ſapientes graditur.] Cyprianus ep. 62. ſic exhibet hunc locum: *Non diligit indiſciplinatus caſtigantem ſe. Qui autem oderunt correptiones, conſumentur turpiter.* Prius membrum ad hunc ℣. 12. pertinet: poſterius autem verſui 10. reſpondet: ubique vero Graeca interpretatio exprimitur.

AD PROV. XVI. 27.

Vir impius fodit malum, & in labiis ejus ignis ardeſcit.] At Cypr. ep. 55 ſic citat: *Perverſus in ore ſuo portat perditionem, & in labiis ſuis ignem condit.* Vulgata verſio cum fonte convenit: at Graeci interpretes quaedam de ſuo admetiuntur: quo fit, ut & cum vulgato & cum Cyprianico interprete conſentiant. Sic enim habent: ὁ μέντοι σκολιὸς ἐπὶ τῷ ἑαυτῦ στόματι φορεῖ τὴν ἀπώλειαν (quae tamen videntur ad v. 26. ut hebraice exſtant pertinere) ἀνὴρ ἄργων ὀρύσσει ἑαυτῷ κακὰ, ἐπὶ δὲ τῶν ἑαυτῦ χειλέων θησαυρίζει πῦρ.

AD PROV. XVII. 1.

Melior eſt buccella ficca cum gaudio, quam domus plena victimis cum jurgio.] In hujus explicatione commatis a vero aberrant interpretes. Nos ergo primum ſimpliciter ſententiam exponemus, mox eam intimae Proverbii phraſeologiae aptabimus. *Buccella* (ait Sapiens) *ficca* h. e. opſonio carens, ſed gaudio condîta, *praeſtat prandio opimo apparato, cui tamen jurgia non deſint.*

Buccella ficca (Heb. פת חרבה *phath charebah*) non eſt aliud quam *Panis ficcus*, qui fuit Antonini Pii Aug. jentaculum. *Panis* autem *ficcus* non eſt panis arefactus, ſed μόνος ἄρτος, aut ἄρτος μεμονωμένος i. e. *panis ſolitarius* ac ſine opſonio. Servant adhuc hanc Itali locutionem, quibus panis opſonio carens, *Pane ASCIVTTO* vocatur. *De pane ficco* infra plenius. Ergo *buccella ficca cum gaudio melior eſt, quam domus plena victimis*, ſed tamen turbata *jurgio*. Ac ſane *Victimae* hîc non ad ſacra pertinent (nec enim hîc ulla mentio foci & altarium) ſed ad menſae lautitiam referuntur. Nam *Domus plena victimis* non aliud quam delicatorum domos ſignificat opipare epulantium. Etenim melioris Graeciae temporibus ſicuti animalia ad litandum mactata ἱερεῖα (*victimae*) dicebantur, ſic e converſo epulis quamlibet profanis *Victimarum* indidere nomen. In eo vero Graeci ſunt Hebraeos imitati, apud quos זבח *zabach* eſt quidem *ſacrificare*, & *zebachim* ſunt *ſacrificia*, tamen Lev. XVII. 5. & Ezech. XXXIV. 3. in Latino non eſt aliud id verbum quam *Occido*, ubi & Graeci interpretes σφάττω uſurparunt. Nec porro mirum eſt (ut alibi pluries notaſſe memini) *epulas* pro ſacrificiis, & e converſo *ſacrificia* (ἱερεῖα & Hebraicum זבחים *zebachim*) pro animalibus ad epulandum mactatis uſurpari; quia antiquîtus & de animalibus ſacrificatis epulabantur, & epularum ἀπαρχὰς (*primitias*) Deo offerebant. Ex qua rerum vocumque tam in re ſacrificali quam convivali permixtione orta eſt hîc & alibi ſaepe promiſcua vocabulorum uſurpatio.

Nunc

Nunc porro videndum quid ſit פת חרבה *phath charebah*, h. e. *buccella* (ſive *fruſtum*, *panis* ſcilicet non *aliarum rerum*) *ficca*. Tam *Buccellam ficcam*, quam *panem ſiccum* eſſe ajo quod nos vulgo dicimus *pane aſciutto* (nam τὸ *Aſciutto* Italis idem eſt quod Latine *ſiccus*) h. e. panem ſine opſonio. Sic enim antiquitus tam profani, quam Chriſtiani loquebantur. De profanis protuli alibi illuſtrem Julii Capitolini locum in Antonino Pio, ubi hunc principem *panis ſicci* fragmento ruentem ſtomachum mane fulciviſſe narrat. *Panem*, inquit, *ſiccum comedit ad ſuſtentandas vires*. Vbi *Panem ſiccum*, μόνον τὸν ἄρτον (*ſolum panem*) ex Galeno Salmaſius interpretatur. Facete Seneca ep. 83. *Panis deinde ſiccus*, & *ſine menſa prandium: poſt quod non ſunt lavandae manus*. Vides profecto quid hoc loco ſit *Buccella ficca*, quam Salomon *victimis* (i. e. animalibus quamvis opimis) anteponit.

Non tantum autem antiqui ſed & multo magis Chriſtiani id obſervabant, & ea φρασεολογίᾳ utebantur. Lucianus in inventione S. Steph. Protom. ait, *Comedebat panem ſiccum*. Epiphanius in Compendio Doctr. Cathol. ξηροφαγίαν uſitato apud Chriſtianos nomine eam nuncupat, qua Fideles tota quadrageſima utebantur, Sabbatis ac Dominicis exceptis. In Canone Laodicenô quinquageſimo, Δεῖ πᾶσαν τὴν τεσσαρακοςὴν νηςεύειν ξηροφαγοῦντας. Vbi ξηροφαγεῖν Balſamon cum Graecorum ceteris canoniſtis *pane uti ſolo* ſive *ficco* interpretantur.

Proinde *Buccella ficca* in ſupraſcripto Proverbiorum loco non eſt panis ex vetuſtate exſiccatus (quod Arabs in hoc Prov. loco eſt interpretatus) ſed eſt panis ſolus ac ſine opſonio. Sicuti & Hebraeum חרבה *charebah* eamdem prorſus ſignificationem obtinet, quam hîc in Latino monſtravimus. Hinc Hebraeis חרבה non tantum de buccella dicitur, ubi fraudatur opſonio, ſed etiam de ſolitudinibus, non quod aquis careant (nam has nec amnibus, nec lacubus carere ſcimus) ſed quod μεμονωμέναι ſive deſolatae ſint: unde *loca SOLA* Latinis dicuntur, quae cultura privantur. Quocirca Iſ. LXI. 4. *civitates ſiccitatis* (in Heb. חרבה *charebah*) ſunt *civitates ſolae*, ſive ad infrequentiam redactae, aliter *loca ſola*: quae Latinis ab eadem rad. חרב *charab* vocabantur *Arva*, i.e. *loca ſola*, ut alibi in etymologiis oſtendimus.

AD PROV. XVII. 4.

Malus obedit linguae iniquae, & fallax obtemperat labiis mendacibus.] In verſione vetere legebatur *obaudit*, quod verbum aevo Cyprianico familiare fuit. Cypr. ep. 55. ſic citat hunc locum: *Malus* (*) *obaudit linguae iniquorum*. At ſequentia longius a Vulgata recedunt, quae habet: *Juſtus autem non intendit labiis mendacibus*; quae verſio etiam cum Graecis interpretibus convenit. Tamen cum Cyprianica verſione conſentit Hebraeus fons, qui ſic ſonat: *mendax auſcultat linguam pravam*.

(*) Et quidem *Obaudio* apud Feſtum uſitatius quam *Obedio* fuit, quia hoc per illud exponit. *OBEDIRE* (inquit) *Obaudire*. Adhaec non raro ab Apuleio & Tertulliano uſurpatum fuit, ut omittam veterem Vulgatam. Nam hodieque in Eccleſiaſte & Barucho (qui libri ſunt antiquioris verſionis) legitur: nec raro in Bibliis Sabbaterianis occurrit, nempe ante Hieronymum Latine verſis. In Cyrilli Gloſſis πείθομαι, & ὑπακούω vertitur *Obaudio*, & ὑπακοὴ redditur *Obaudicio*. Abſtineo pluribus.

AD PROV. XXI. 1.

Sicut diviſiones aquarum, ita cor regis in manu Domini: quocunque voluerit, inclinabit illud.] Animos hominum in quamcunque partem ciere ſemper divinum eſt habitum, vel ab ipſis gentilibus; unde eſt Ciceronis illud in Catil. *Vtinam hanc mentem tibi dii immortales darent*, & ſexcenta hujuſmodi. Homero in ſecundo Iliados, cum Achaei in patrias reverti ſuas perditiſſime cuperent, dignus vindice tunc nodus hic incidiſſe viſus eſt, quare Poëta Minervam, tamquam ex machina deum, in ſcaenam demitteret. Has enim partes non alteri, quam Palladi dedit, ut ſingulorum animos potentiſſime concitaret, efficeretque ut multo dulcius Achaeis bellum, quam domum itio ſaperet. Nec aliter accidit, agente Minerva. Sic enim concludit ver. 453.

Τοισι δ' ἄφαρ πόλεμος γλυκίων γένετ', ἠὲ νέεσθαι
Ἐν νηυσὶ γλαφυρῇσι φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν.
Nec mora Grajugenis bellum dulceſcere: prae quo
Sordet amor patriae; atque cavas conſcendere naves.

Nec aliter Il. XI. 13.

AD PROV. XXII. 6.

Proverbium eſt: Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea.] Hic verſus a LXX. (praeterquam in Aldina) abeſt. Adhaec in Hebraeo, in Onkelo & Syro deeſt initio illud, *Proverbium eſt*, quod in Hieronymo legitur. Praeterea in Hebraeo verbo חנך *chanoch* mira proprietas eſt de initiando a teneris unguiculis puero ſecundum illi propoſitum vitae inſtitutum. Apte Seniores Εγκαίνισον h. e. illuc paullisper *flectito* puerum, quo verſus dirigendus eſt. Permagni enim refert, quo quis primum imbuatur, eorum quae ſunt prima diſciplinae rudimenta. Nam *quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem Teſta diu.* Eurip. Suppl. 916.

Α' δ' ἄν μάθοι τις, ταῦτα σώζεσθαι φιλεῖ
Πρὸς γῆρας· ὥτω παῖδας εὖ παιδεύετε.
Quae quis puer didicerit, haec eadem ſenex
Retinebit. Ergo bene imbuantur liberi.

AD PROV. XXVI. 8.

Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii, ita qui tribuit inſipienti honores.] Locus eſt, ſiquis alius, difficillimus, ſed tamen plura ſcitu digna ſub obſcuro verborum ambitu continens. Hebraicum fontem ante omnia adibimus, mox & Seniores, ac veterem Italicam ex LXX. expreſſam, praeterea Syriacâ & Caldaicâ translationibus deguſtatis, ad extremum in Vulgata Hieronymiana tamquam ſolidiore ac veriore conſiſtemus.

§. I. *In Hebraeo ac verſionibus quo pacto hic locus ſe habeat.*

In Hebraeo haec ita habent. כצרור אבן במרגמה *chitſror eben bemargemah* h. e. *Sicut ligare lapidem in margema*: (quod in *balliſta* vulgo interpretantur) *ſic qui dat ſtulto gloriam.*

Quae

Digitized by Google

Quae LXX. ita interpretantur: Ὃς ἀποδεσμεύει λίθον ἐν σφενδόνῃ, ὅμοιός ἐστι τῷ διδόντι ἄφρονι δόξαν. *Qui ligat in funda lapidem, similis eſt ei qui dat ſtulto gloriam.* At vetus Verſio Italica loci hujus apud Ambroſium (ep. ad Simplicianum num. 40.) hujuſmodi ſupereſt. *Quoniam qui deligat lapidem in* (1) *fundibalo, ſimilis eſt ei, qui dat imprudenti claritatem.* Idem Ambroſius in Exjoſippo ſuo (ſic enim vocabatur is liber, quia ex Joſepho *de bello Jud.* tranſlatus ab Ambroſio adoleſcente fuerat) lib. V. c. 44. pro σφενδόνη (2) *fundibalum* poſuit, dum Salomonici hujus Proverbii verba uſurparet.

In Syro non aliter ferme quam in LXX. & in Italica interpretatione Ambroſiana redditur in hunc modum: *Vt lapis in funda, ſic qui laudat ſtultum.* In Targum ita: *Sicut parum laminae* (aut bracteae) *in funda* (aut balliſta) *Sic* &c. ut in LXX.

§. II. *Quid vox* מרגמה margemah *ſibi velit in hoc proverbio.*

Kimchius τὸ *margemah* pro ארגמן *argeman* (i. e. *purpura*) accipiebat. *Sicuti*, (inquit) *eſt qui vulgarem lapidem aſſuit purpurae, ita* &c. At ex Aben Eſra *Margemah* eſt *lapidum acervus* hoc ſenſu: Sicuti indignum eſſet, ſi pretioſus lapis in auro devinctus in acervo vulgarium lapidum confuſus lateret, ſic &c. Adhaec LXX. cum Ambroſio, ac Syro interprete τὸ *Margema* pro *balliſta*, ſive *Funda* aut *Fundibalo*, uti vidimus, intellexerunt. Vide ſupra §. 1. Itaque ſi מרגמה *margemah* ſit ſive purpura, ſive aliud quidvis pretio dignum, fluet apte ſententia. Sed videamus quid Hieronymum impulerit, ut *Acervum Mercurii* hîc agnoverit.

§. III. *Quod ex Heb.* Margemah *ortum ſit Cald.* Markolis, *hinc vero Etruſcum* Mercurii *nomen.*

Jam ut ordine ſuo procedam, inde uſque incipiam, nim. a Salomonis ſaltem temporibus jacta fuiſſe Ερμαϊκὴς (*Mercurialis*) idololatriae ſemina, vel ex hoc ejus Proverbio conſtare. Nam ex *Margema* loci hujus converſo G in C factum *Markolis* (Chaldaeum ſive Thalmudicum Mercurii nomen, de quo infra) a *Markolis* vero (L in R mutato) ortum Latinorum *Mercurium*, veriſimillimum eſt: maxime cum utriuſque Mercurii gratia jactos a viatoribus in acervum lapides animadvertamus. Non ergo a Graecia Latium (uti vulgo putant) ſed utrique ab Oriente & quidem a Salomonis uſque temporibus hauſerunt tum hoc tum alia non pauca idololatriae ſemina. Hinc enim conſtat, ex *Margemah* Salomonico G in K verſo factum Chaldaeorum *Markolis*, ex hoc vero (L in R abeunte) ortum Latinum *Mercurii* nomen (ut in additamentis ad Voſſii Etymologicum nuper oſtendi)

---

(1) Hibrida vox eſt, ex Latino *Funda* & ex Gr. βάλλω compoſita, ſicuti *Monoculus*, aliaque ſimilia. Aevo verſionis Italicae ea vox in uſu erat, ut alia quaedam loca demonſtrant. In Cyrilli Gloſſis: Λιθοβόλοι. *Fundibali.*

(2) Accurate olim (in to. 3. Kalendar. vet. marmorei Eccleſiae Neap. pag. 795.) hunc locum ex Ambroſio protuli & illuſtravi, quippe qui Sabbaterianam Italicae verſionis collectionem (a qua is pulcherrimus locus abeſt) ditare potuiſſet.

oſtendi) nec ſolum nomen, ſed & ritum, quo lapides in honorem Mercurii a praetereuntibus in acervum ei numini ſacrum jactabantur, indidem fuiſſe acceptum. Ritui jactationis ejus non immorabor, ne futilia perſequar, quales ſunt Magiſtrorum narrationes. Sed tamen qui his delectatur, adeat *Buxtorfium* in Lex. Chald. in rad. מרק in fine, ubi de *Markolis* & ipſe abunde agit, & ad alios in his verſatiſſimos amandat.

Ergo ſi Salomonis huic Parabolae creditur, jam ante ipſius tempora Mercurii cultus per jactum lapidum in uſu fuerat, quippe cum is tamquam de more uſitato hîc loquatur. Adde quod hujus tantae antiquitatis ſatis idoneus auctor Hieronymus videri debet, (quippe non in Hebraicis ſolum, ſed & Chaldaicis originibus abunde volutatus) de jactu lapidum *in acervum Mercurii* mentionem apertam faciens.

§. IV. *Homerus aliique Graeci vetuſtiores in teſtimonium* Mercurialis λιθοβολίας *producuntur.*

Ad ultimum Homerus mihi teſtis accedat, utpote non multo plus poſterior Salomone rege: apud quem ritus hic ſatis aperte deſignatur in Odyſſea Π. 471. in hunc modum:

Ἤδη ὑπὲρ πόλιος, ὅθι Ἑρμαῖος λόφος ἐστὶν — Ἧα χιὼν.
Vrbe ſuper, qua parte eſt Mercurialis acervus, — *Forte ibam.*

Ecquis vero alius in Homero eſt *Mercurialis acervus*, quam qui hîc Salomoni *Acervus Mercurii* Hieronymo interprete dictus, & a Chaldaeis atque Thalmudicis *Markolis* (h. e. *Mercurii acervus*) vocatur? Videatur Didymus Homeri ſcholiaſtes: nam Euſtathius ad laudatum Homeri locum plane enecat inutili πολυλογίᾳ. Atque hujuſmodi Mercuriales acervi Nicandro Ἑρμακες dicti fuerunt, quos ejus Scholiaſtes ita deſcribit, Λίθοις σεσωρευμένοις εἰς τιμὴν τῦ Ἑρμῦ, *Lapidibus in Mercurii honorem congeſtis*. Ab Heſychio etiam Ἑρμαιον affertur, eaque vox σωρὸς λίθων (*lapidum acervus*) exponitur. Sicuti apud eumdem exſtat & illud copioſius: Ἑρμαῖος λόφος· Τὰς σωρὰς τῶν λίθων Ἑρμᾶς, τὰς ἐν τοῖς (ταῖς) ὁδοῖς γινομένας εἰς τιμὴν τῦ θεῦ· ἐνόδιος γάρ. H. e. Ἑρμαῖος λόφος eſt *Mercurialis tumulus. Sicuti & ſtrues lapidum* ἑρμᾶς *vocant, quae ſtrues in viis fiunt in dei illius honorem. Nam is Vialis deus eſt.*

§. V. *Quibus gradibus Tuſcum Mercurii nomen ex Oriente ortum.*

De *Mercurii* etymologia in Additamentis Voſſiani Etymologici quae loco illi ſatis eſſent, expoſui. Ergo quin a מרקולים *Markolis* ortum ſit, quod apud Chaldaeos atque Thalmudicos Mercurii nomen eſt, numquam dubitavi. Cultus utrobique idem, maxime quae ad lapidum ſtruem pertinent: quae cum non niſi ab Oriente in Etruriam Graeciamque manarint, cur non indidem derivarit & nomen? niſi vero haec omnia contraria (3) derivatione acciderunt. Ceterum diſcrimen

(3) Tyrrhenis, dum adhuc in Oriente vagarentur, deberi Mercurii nomen atque religionem a ſe excogitatam ac propagatam, vix eſt quod dubitem: de quo videndi Thalmudici

crimen illud liquidarum duarum L & R, ſaepiſſime alternantium, non ejuſmodi eſt, ut ſcrupulum viris doctis injiciat. De MERKOLE alicubi ſubſcripto ſive ſtatuae ſive inſcriptioni Mercuriali (quod alibi attigi) nihil praeſtare audeo poſt plurium annorum intervallum, ex quo illud vidiſſe videor.

Ita qui tribuit inſipienti honorem.] Quam pulchra comparatio iſta ſit λιθοβολίας Mercurialis cum iis, qui inſipientibus adulantur (cum interim ipſi turpiter deſipiant) nemo non videt.

AD PROV. XXVI. 23.

Quomodo ſi argento ſordido ornare velis vas fictile; ſic labia tumentia cum peſſimo corde ſociata.] Illud *tumentia* Heb. eſt דלקים *dolekim*, quod Graeci interpretes vertunt λεῖα i. e. *levigata*, at alii interpretantur *blandientia*: mihi placet vertere *dulcia*. Nam a rad. דלק videtur naſci Latina vox *Dulcis*; uti dixi in meis Etymologiis. Ceteroqui Hebraeum verbum alibi *ardere* aut *ſuccendi* ſignificat. Sed eſt quoque *inſectari*, occulte ſcil. & ſub ſpecie *dulcoris*. Atque in primis hic Salomonis locus oſtendit, cur id verbum nonnumquam *inſectari* ſignificet, maxime ſub ſtudii & benevolentiae ſpecie: quo pertinet Hebraeum *delekim* i. e. *dulcia* aut *levigata*.

AD PROV. XXVII. 1.

Noli gloriari in craſtinum, ignorans quid ſuperventura pariat dies.] Varro: *Neſcis quid veſper ſerus vehat*. Nam a veſpera procedebant apud antiquos dies: unde & νυχθήμερα (quaſi *Nottidua*) dicebantur.

AD PROV. XXIX. 13.

Pauper & creditor obviaverunt ſibi: utriuſque illuminator eſt Dominus.] Haec diverſis affert verbis Ambroſ. *de Tobia* num. 25. in hunc modum: *Foeneratoris & debitoris ſibi occurrentium, proſpectum amborum facit Dominus*. Videnda quae ibi pulchre & eleganter idem Ambr. affert. In Hęb. praeit רש *ras* i. e. *pauper*, ſequitur vero איש תכבים *ish thecachim*, h. e. *vir induſtriae* ac fort. *fraudulentae*, ſi Buxtorfio credimus. Ordinem Hebraei textus recte ſervavit Hieronymus.

AD PROV. XXIX. 20.

Vidiſti hominem velocem ad loquendum? ſtultitia magis ſperanda eſt quam illius correptio.] Celebris fuit apud profanos ἐχεμυθία Pythagorica, de qua ſchola fuere viri juxta ac feminae, qui obſirmato animo ſilentium obſervarent. Certe loquacitas vacuitatis animi ſignum ſemper eſt habitum: unde & celebratur illa apud Rabbinos paroemia qua dicunt, Staterem in lagena inani perpetuo edere hunc ſonum *Kiſc Kiſc*: nam contra ubi arca ad ſummum plena eſt nummis, quantumvis agitata

dici ubi de *Markolis*. Ac Tyrrheni poſtquam omnes ferme orientis oras percurriſſent, etiam maximam Italiae partem ſua religione imbuerunt: quae tum pluribus aliis in locis a me demonſtrata, tum etiam to. 1. Spicilegii hujus. Ergo nihil prohibet quin Orientalem hunc *Markolis* Tuſci aliique Italiae populi in *Mercurium* cuderint. Ceterum eaedem utriuſque litterae radicales, par in utroque λιθοβολία, quae hoc numen diſtinguit a ceteris.

agitata filet. Spintharus Tarentinus (quem Iamblichus cap. 31. Pythagoreis accenſet) hoc in Epaminondae laude praecipue ponebat (uti refert Plutarchus de Genio Socratis) μηδενί πω τῶν καθ' ἑαυτὸν ἀνθρώπων ἐντετυχηκέναι μήτε πλείονα γινώσκοντι, μήτε ἐλάττονα φθεγγομένῳ. *In neminem ſuae aetatis hominem ſe incidiſſe, qui plura noſſet & pauciora loqueretur.*

AD PROV. XXX. 25. 26.

Formicae populus infirmus, qui praeparat in meſſe cibum ſibi. Lepuſculus, plebs invalida, qui collocat in petra cubile ſuum.] Vti a Salomone jure poëtico עם *am populus* de formicis leporibuſque aut cuniculis uſurpatur; ſic & eodem jure Homerus Il. B. 459. cecinit:

. . . Ὀρνίθων πετεηνῶν ἔθνεα πολλά.
. . . *Avium gens multa volucrum.*

& Ibidem v. 469.

Ἠΰτε μυιάων ἀδινάων ἔθνεα πολλά.
Muſcarum veluti multae ſpiſſo agmine gentes.

Pari etiam elegantia Joël I. 6. & II. 2. de locuſtis גוי *goi* i. e. *gens* uſurpavit. Et apud alios ſimiliter ſunt paria exempla. Velut Columella de apibus: *Duo populi conjungendi ſunt.* Manilius de avibus: *Aërei populi.* Idem de piſcibus: *Populos exponere captos.* Sed ad Salomonem redeo.

Formicae populus infirmus, qui praeparat in meſſe cibum ſibi.] Appoſite formicarum populum dicit, quae ſollertia cum hominum genere quaſi decertant ac pleraque faciunt ſic quaſi de concilii ſententia, ſicque in commune laborant quaeruntque, ut earum videatur eſſe quaedam bene ordinata reſpublica. Adde quod iſtam ipſam φιλοπονίαν (ex qua pigro exemplum proponitur ſupra VI. 6. 7.) ſic tamen feſtorum dierum religione temperant ut & neomeniis & ſabbatis feriatae tectis ſe contineant; ſiqua modo fides antiquis eſt. Aelianus I. hiſt. anim. 22. τῇ γὰρ ἡμέρᾳ τῆ μηνὸς τῇ νέᾳ εἴσω τῆς ἑαυτῶν στέγης οἰκουρῶσι, τὴν ὀπὴν οὐχ ὑπερβαίνοντες, ἀλλὰ ἀτρεμοῦντες. Propius fidem eſt, quod narrat Plinius X. 30. *Operantur & noctu plena luna, eaedem interlunio ceſſant.* Ex eo factum ut Aeliano neomeniis, & Tzetzae (infra allegando) triceſimo die lunae vacare dicantur; uterque enim dies ad interlunium pertinet. Jam vero de ſabbato fidem facit vetus auctor, cujus opuſculum de ſympathia & antipathia Fabricius to. IV. bibl. Graecae pag. 296. & ſeq. ſub Anatolii nomine inſeruit cum notis Rendtorfii, quas videſis. Eo in opuſculo pag. 299. legitur: φασὶ δὲ αὐτοὺς (μύρμηκας) τὸ σάββατον ἡσυχάζειν καὶ σχολὴν ἄγειν. At Tzetzes non ſabbato ſolum, ſed & triceſimo die lunae quieſcere tradidit: ἐν σαββάτῳ καὶ ἁ τῆ μηνὸς τῆς σελήνης οὐκ ἐργάζονται. Niſi triceſimus lunae dies idem ac neomenia: nam illud Horatii *triceſima ſabbata* neomeniam interpretari ſolent. Verum abutar otio ſi ſimplici veterum credulitati amplius immorer.

AD PROV. XXXI. 4. 5.

Noli regibus, o Lamuel, noli regibus dare vinum: quia nullum ſecretum eſt, ubi regnat ebrietas.] Per hoc *lene tormentum*, uti appellat Horatius, & legatis & aliis arcana

arcana eliciebat Aurelianus, referente Vopiſco in Bonoſo cap. 14. *Nam ſiquando legati Barbarorum undecunque gentium veniſſent, ipſis propinabat, ut eos inebriaret, atque ab his per vinum cuncta cognoſceret.* Exemplum elicitae per vinum veritatis habetur in excerptis legationum ex hiſtoria Eunapii. Ambroſius de jejunio cap. 17. *Plerique vino utuntur pro equuleo: & quibus tormenta non eliciunt vocem proditionis, eos tentant bibendo, ut patriae ſtatum, ſalutem civium, defenſionis ſuae prodant conſilia.*

Verſ. 5. *Et ne forte bibant, & obliviſcantur judiciorum.*] Heb. *ſtatuti.* Spectatur ne ad gentium mores, inter pocula conſultantium? Nam quis non videt quanto hoc praeceptum ſalubrius ſit Perſarum finitimorum inſtituto, qui auctore Herodoto I. 133. *Inter pocula de rebus maxime ſeriis conſultare conſueverunt* (μεθυσκόμενοι ἐώθασι βουλεύεσθαι τὰ σπουδαιότατα τῶν πρηγμάτων) *quod autem tunc ipſis placuerit, id poſtridie proponit Dominus illius domus, in qua deliberaverint: & ſiquid placuerit etiam ſobriis, eo utuntur; ſin minus, relinquunt. De quibuſcunque autem ſobrii conſultaverunt, ea vino madentes in diſquiſitionem revocant.* Strabo de iiſdem lib. XV. pag. 734. ἐν οἴνῳ τὰ μέγιστα βουλεύονται, καὶ βεβαιότερα τῶν ἐν νήφει τίθενται. *De rebus quibuſque maximis inter vina conſultant, eaque decreta firmiora habent, quam quae ſobrii ſtatuunt.* Eadem de Perſis referunt Athenaeus V. 4. Ammianus XVIII. 5. qui *Grajorum more veterum* id Perſas facere dicit: quae eſt & Plutarchi Obſervatio VII. Sympoſ. 9. qui hujus moris exemplum ab Agamemnone arceſſit, cui auctor eſt Neſtor apud Homerum in hunc modum:

Δαίνυ δαῖτα γέρουσιν· ἔοικέ τοι ὔ τοι ἀεικές . . . .
Πολλῶν δ' ἀγορμένων, τῷ πίσεαι, ὅς κεν ἀρίστῃ
Βουλὴν βουλεύσῃ.
Par eſt principibus lautam te apponere menſam . . .
Conſilia elicies ſic conveniente ſenatu in
Optima quaeque.

Vide & Euſtathium in hunc locum.

Sed & Ariſtophanea illa non ſunt omittenda; ut appareat quid inter gentilium praecepta & Salomonica interſit. Nam Demoſtheni merum ſibi afferri jubenti ad optima quaeque conſilia excogitanda, reſpondet Nicias (Equitibus 88.)

Πῶς δ' ἂν μεθύων χρηστόν τι βουλεύσαιτ' ἀνήρ;

Rurſus Demoſthenes:

Οἶνον σὺ τολμᾷς εἰς ἐπίνοιαν λοιδορεῖν;
Οἴνῳ γὰρ εὕροις ἄν τι πραχτικώτερον;
Ὁρᾷς; ὅταν πίνωσιν ἄνθρωποι, τότε
Πλουτοῦσι, διαπράττουσι, νικῶσιν δίκας &c.
Ἢν γὰρ μεθυσθῶ, πάντα ταυτὶ καταπάσω
Βουλευμάτιον, καὶ γνωμιδίων καὶ νοϊδίων.

Interpres Ariſtophanis ſic libere more ſuo tranſtulit.

At quid queat ebrius conſultare utile?
Dem. *Quid? tune vinum audes calumniarier?*
Quaſi ad conſultandum nihil afferat boni?
An vino aliquid reperias ad agendum aptius?
Viden' quando bibunt vinum homines, ibi admodum
Diteſcunt, cauſſas vincunt, lites obtinent . . . . .

Nam inebriatus ſpargam undique ratiunculas,
Sententiolas, & conſultatiunculas.

Tacitus lib. de mor. Germ. *De reconciliandis invicem inimicis, & jungendis affinitatibus, & adſciſcendis principibus, de pace denique ac bello plerumque in conviviis conſultant; tamquam nullo magis tempore aut ad ſimplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incaleſcat.* Poſtremo Cretenſium & Laconum συσσίτια, in eum potiſſimum finem inſtituta, ut de rebus gerendis in commune conſulerent, ſcriptores antiqui teſtantur. Nec diſſimilia de Rhodiis aliiſque reperiuntur. Ac vera haec, dum ne in conviviis & poculis excedatur modus.

AD PROV. XXXI. 21.

Omnes domeſtici ejus veſtiti ſunt duplicibus.] Haec verſio placet magis, quam quod alii τὸ שנים *ſchanim*, quod eſt in fonte, *purpuram* interpretantur; ſequitur enim *Non timebit domui ſuae a frigoribus nivis*. Nec inuſitatas temporibus heroicis veſtes duplicatas fuiſſe, Homerus docere poteſt Od. XIX. ubi in deſcriptione veſtium Vlyſſis v. 226. laenam διπλῆν memorat, & v. 241. δίπλακα χιτῶνα. Vide ſup. in Diſſert. *De Diploide* ad Pſ. CVIII. 29.

AD SALOMONIS ECCLESIASTEN.

AD ECCLE. I. 1. 2.

1. VErba Eccleſiaſtae filii David, regis Jeruſalem. Vet. 2. *Vanitas vanitatum, dixit Eccleſiaſtes: vanitas vanitatum & omnia vanitas.*] Τὸ *Dixit Eccleſiaſtes* in Graeco & verſionibus eſt gen. maſc. cujuſmodi ſunt Graeca in ΗΣ deſinentia: at in Heb. eſt קהלת feminino genere, *Dixit concionatrix*, anima ſcil. Salomonis.

Vanitas vanitatum & omnia vanitas.] Hoc idem initium Perſii Satyrarum eſt, quaſi ex imitatione Regis hujus.

O curas hominum! o quantum eſt in rebus inane!

Cujus initii vim Caſaubonus (ſpiſſi in hunc Satyricum commentarii auctor) numquam admirari deſiſtit, quaſi Satyricus aut imitatus Salomonem fuiſſet aut in eadem veſtigia incurriſſet.

AD ECCLE. I. 4.

Generatio praeterit & generatio advenit.] Saepe hoc libro & quidem elegantibus ſententiarum formis iſtud inculcatur, nimirum nihil ſtare, omnia perenni fluxu cieri. Hoc illud eſt quod Heraclitus apud Platonem Cratylo dixit, τὰ ὄντα εἶναι τὰ πάντα, καὶ μένειν οὐδέν: cui & ſimile eſt Socratis apud eumdem dictum: μεταπίπτειν πάντα χρήματα, καὶ μηδὲν μένειν.

Generatio praeterit & generatio advenit: terra autem &c.] Simile eſt illud Homericum Il. Z. 146.

Οἵη περ φύλλων γενεὴ, τοίηδε καὶ ἀνδρῶν.
Φύλλα τὰ μέν τ' ἄνεμος χαμάδις χέει, ἄλλα δέ θ' ὕλη
Τηλεθόωσα φύει, ἔαρος δ' ἐπιγίγνεται ὥρη·
Ὡς δ' ἀνδρῶν γενεὴ, ἣ μὲν φύει, ἣ δ' ἀπολήγει.
Vt comae in arboribus, ſic ferme humana propago.

Nam

Nam poſtquam bortas foliorum excuſſit bonorem,
Decidui nova ſubnaſci facit Arietis bora:
Sic hominum aetates: abit haec, ſubit altera ſuppar.

Generatio praeterit & generatio advenit: terra autem in aeternum ſtat.] Navis illa Θωρὶς ſive Δηλιὰς appellata, qua olim in Cretam Theſeus cum ſociis appulit, quaque deinceps per plura ſaecula θεωροὶ ſeu Δηλιασταὶ Athenis in inſulam Delum quotannis vehebantur θεώρια feſta celebraturi, ea, inquam, navis reficiebatur aſſidue, dum carioſis tabulis recentes ſubſtituebantur. Id philoſophis obtulit garriendi materiam, & inquirendi, eadem necne individua navis dicenda eſſet, quando poſt tot refectiones nullus jam ex antiquis aſſeribus reſtaverat. Alii ſimiliter plures eo exemplo putarunt, eamdem numericam humani corporis ſubſtantiam ſemper manere, quamvis per totum vitae curriculum aliis quotidie partibus diſſipatis aliae novae ſuccederent. Callimachus certe hymno in Delum ἀειζώοντα, *ſempiterni aevi* Delum appellavit. Idem ferme eſt, quod de tellure a Sapiente hîc dicitur, cui quotidianae ἀλλοιώσεις nihil admodum obſtant, quin eadem ſemper perſeveret.

AD ECCLE. I. 8.

Non ſaturatur oculus viſu, nec auris auditu.] In Theophylacti Simocattae hiſtoriis (pag. 179. edit. Pariſ.) hoc affertur adagium ἄπληστος ὀφθαλμός. At in ejuſdem quaeſtionibus phyſicis pag. 14. hoc aliud dictum vetus uſurpatur, ἀτὰ ὀφθαλμῶν ἀπληστότερα, *aures magis inexplebiles oculis.*

AD ECCLE. I. 9. 10. 11.

Quid eſt quod fuit? ipſum quod futurum eſt. Quid eſt quod factum eſt? ipſum quod faciendum eſt. Ver. 10. *Nihil ſub ſole novum, nec valet quiſquam dicere, Ecce hoc recens eſt; jam enim praeceſſit in ſaeculis quae fuerunt ante nos.* Ver. 11. *Non eſt priorum memoria: ſed nec eorum quidem quae poſtea futura ſunt, erit recordatio apud eos, qui futuri ſunt in noviſſimo.* Aureliani temporibus haſce Salomonis ſententias vulgo innotuiſſe, credibile eſt, ut ex Victore Schotti in Aureliano conſtat, ex Salomonicis enim hic quaedam decerpſit, quae in Victore ſunt hujuſmodi. *Quod factum praecipue edocuit, cuncta in orbis modo verti: nihilque accidere, quod rurſus naturae vis ferre nequeat aevi ſpatio.* Vide & adnotata ſequentia ad Eccle. I. 12. 13. 14.

AD ECCLE. I. 12. 13. 14.

Ego Eccleſiaſtes fui rex Iſrael in Jeruſalem. Ver. 13. *Et propoſui in animo meo quaerere & inveſtigare ſapienter de omnibus, quae fiunt ſub ſole: Hanc occupationem peſſimam dedit Deus filiis hominum ut occuparentur in ea.* Ver. 14. *Vidi cuncta quae fiunt ſub ſole, & ecce univerſa vanitas, & afflictio ſpiritus.*] Geminum eſt Severi Aug. dictum apud Spartianum cap. 18. *Hujus* (Imperatoris) *dictum eſt, cum eum ex humili per litterarum & militiae officia ad imperium plurimis gradibus fortuna duxiſſet; Omnia, inquit, fui, & nihil expedit.* Eadem fic affert Aurelius Victor: *Dum tentat aut exquirit varia melioraque, conſcendit imperium. Ibi graviora expertus, laborem, curas, metum, & incerta prorſus omnia, quaſi teſtis vitae mortalium, cuncta, inquit, fui, conducit nihil.*

Et quae ibi plura graviter addidit: *Quibus ſtatim acclamatum eſt, OMNES OMNES.*

AD ECCLE. X. 18.

In pigritiis humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perſtillabit domus.] Pro *pigritiis* Hebraice eſt עצלתים *atſaltaim* (ab עצל *atſel*, quod *pigrum* ſignificat, unde eſt עצלה *atsla*, *pigritia*) de quo vocabulo, cur hîc duali forma ponatur, critici litigant; eoque rationes redeunt, quaſi ſit *pigritia* duplex i. e. ambarum manuum. Mihi contra videtur hujus vocabuli primaria notio non ad *pigritiam* pertinere, ſed ad *curvitatem*, *tortuoſitatem*, *luxaturamve*. Patet ex Arabica lingua, in qua עצל *atala* eſt *intorquendi* ſive *flectendi* verbum, a quo plurima manant vocabula, quae eamdem *tortuoſi* notionem complectuntur, quae vide in Arabicis lexicis. Atqui ea ſignificatio ab Hebraeo manaſſe mihi videtur: id quod ex hoc loco patet, ubi *Atſaltaim* non aliud quam *curvaturam* contignationis notat. Ab ea vero propria verbi עצל *atſel* notione planiſſime illa altera *pigritiae* fluit. Nam quia piger *complicat manus ſuas* (uti dicitur Eccle. IV. 5.) & *abſcondit piger manum ſuam ſub aſcella* Proverb. XIX. 24. XXVI. 15. hinc factum eſt ut *piger* a contorquendis in eum modum brachiis (qui eſt proprius ſegnitiae geſtus) Hebraeis עצל *atſel* diceretur. Ac memini de hoc proprio hujus radicis ſignificatu in Etymologiis in voce *Italus* diſſeruiſſe. Ergo vox *Atſaltaim* hîc trabium, ex quibus contignatio conſtat, diſtortionem ac depravationem ſignificat. Nam ſi paullum modo *cantherii* verbi cauſa (idemque judicium de *tranſtris*, de *culmine*, de *arrectariis*, de *capreolis* erit) inflectantur; ſtatim (niſi prompte ei incommodo medeare) ea parte inclinabit ſe contignatio, ac domus deinde perpluet. Quaeres, cur *Atſaltaim* hîc forma duali ſcribatur. Quia, inquam, in tecto pectinato in duas partes cantheriorum ordines devexi reperiuntur. Quare *Atſaltaim* erit cantheriorum utriuſque partis depravatio. In eo quod ſequitur: *Et in infirmitate manuum*, Hebraice eſt *In* שפלות ידים *ſiphlus jadaim* i. e. *depreſſione utriuſque manus* ſive potius *utriuſque partis* aut *lateris* in quod inclinat ſe contignatio. Ac ſignificatio תּוֹ יד *jad* pro *latere* tam eſt obvia, quam quod maxime. His intellectis; nunc tota ſententia de contignatione eſt; ſed ita ut eo involucro ſupinitatis mala atque incommoda *συμβολικῶς* deſignentur. Verte ergo ſic: *Ex depravatione* (tignorum) *deprimetur contignatio; & ex depreſſione porro, utriuſque lateris* (contignationis) *perſtillabit domus.*

Dixi modo ſub hujus ſententiae velo contineri *μυστικωτέρας* alteram intelligentiam de damnis, quae a ſocordia inferuntur. Nunc ipſe me reprehendo. Nam dedita opera videtur hîc Sapiens ſic in duarum vocum (eae ſunt *Atſaltaim* & *jadaim*) ancipiti ſignificatu luſiſſe, ut ancipitem ſententiam efficeret, & utroque ſenſu veriſſimam. Nam initio ſi ea vocabula, qua modo dixi, notione, accipies; erit pulcherrima compatio, ſed ſine *ἀποδόσει*, quam omittere Salomon aſſolet: at vero ſi *Atſaltaim* pro pigritia, *Jadaim* vero pro utraque manu capias; etiam *ἀπόδοσις* exſiſtet, non ſine artificio, quod in verborum duorum ambiguitate poſitum eſt. Atque haec de hujus pulcherrimae ſententiae intelligentia, de qua parum ſe, quod ſciam, ſollicitos praebuere interpretes.

AD

AD ECCLE. XII. 3.

Et otiosae erunt molentes in minuto numero.] Eodem recidit interpretatio Graeca: καὶ ἠργήσαι αἱ ἀλήθουσαι ὅτι ὠλιγώθησαι. Apud Graecos αἱ ἀλήθουσαι sunt feminae molitrices, participio (quod saepe fit) pro verbali nomine usurpato. Vt Matth. XXIV. 41. Δύο ἀλήθουσαι ἐν τῷ μύλωνι· μία παραλαμβάνεται, καὶ μία ἀφίεται. Sic etiam Luc. 17. 35. Ceterum molere triticum fuit ancillare officium, uti constat ex Ex. XI. 5. & Is. XLVII. 2. Apud Homerum Od. VII. 103. ex quinquaginta Alcinoi ancillis aliae frumentum mola pinsebant, aliae texebant, netrices aliae.

Πεντήκοντα δέ οἱ δμωαὶ κατὰ δῶμα γυναῖκες·
Αἱ μὲν ἀλετρεύουσι μύλης ἔπι μήλοπα καρπὸν,
Αἱ δ' ἰστοὺς ὑφόωσι, καὶ ἠλάκατα στρωφῶσιν.
Quinquaginta olli ancillae per tecta laborant:
Quarum aliae verſantque molas, Cereremque miniſtrant,
Pectine telam aliae texunt, penſumque volutant.

Sed & Theophraſtus ubi de Ruſticitate ancillam mola frumentum contundentem facit; & Pollux III. 3. inter Graecos nuptiarum ritus refert *piſtillum* nuptae obiacum, ſicut & *cribrum*: ὕπτιον δὲ ἐξέδουσι πρὸ τῆ θαλάμε, ὥσπερ καὶ κόσκινον ἡ παῖς ἔφερε, σημεῖα ὡς εἰκὸς αὐτουργίας. Haec eo dixi, ut appareat, inſcite facere, quicunque illud *molentes* non ad feminas, ſed ad dentes (heb. fem. טחנות *ſcinnajim*) referunt, aut vero haec aliter interpretantur.

AD ECCLE. XII. 4.

Et claudent oſtia in platea, in humilitate vocis molentis.] Ex molitricis voce omen captaſſe antiquos, patet ex Homero pluribus locis. Videatur prae ceteris Od. Y. ab vers. 98. ad 120. Petierat ab Jove Vlyſſes omen duplex, de caelo unum, a terra alterum. Vtrumque praeſtitit Jupiter. Nam ubi Vlyſſis gratia Jupiter tonuiſſet, mox ſtatim molitrix una ſollertior ceteris e vicino cantavit, in hanc ſententiam, *Jupiter pater, quandoquidem vehementer intonuiſti, & quidem ſereno caelo, haud dubie aliquid portenti monſtras. Perfice quaeſo quod rogo: Proci nunc ultimum in Vlyſſis aedibus prandeant: qui mihi labore diuturno facienti farinam jamdiu genua diſſolverunt.*

DIS-

DISSERTATIO

SEV COLLECTANEA AD ECCLESIASTAE VI. 2.

Vbi dies mortis die nativitatis melior dicitur.

§. I. *Quo pacto Vox Natalis uſurpari de interitu coeperit.*

ECcle. VII. 2. Sic ſcriptum eſt: *Melius eſt nomen bonum, quam unguenta pretioſa, & DIES MORTIS DIE NATIVITATIS*. In eamdem ſententiam haec ſupra cap. IV. 2. ſcripſerat idem vates: *Et laudavi magis mortuos quam viventes*. His conſentanei ſunt veterum populorum mores, qui natos lugerent, extinctos autem omnibus laetitiae ſignificationibus proſequerentur. Atque huc ſpectant Euripidis in Creſphonte ſenarii pulcherrimi apud Tullium Tuſc. I. *de contemn. morte* circa finem (1).

Nam nos decebat coetus celebrantis domum
Lugere, ubi eſſet aliquis in lucem editus,
Humanae vitae varia reputantis mala:
At, qui labores morte finiſſet graveis,
Omnes amicos laude & laetitia exſequi.

Ac de Thracibus etiam hoc narrant Pompon. Mela lib. 2. Solinus cap. 10. Valer. Maxim. I. 6. 12. Atqui Thraces (notante Grotio lib. 1. de V. R. C.) hauſerant haec & alia ex Hebraeis decem tribuum, quas Salmanaſar transtulit. Nam quoſdam horum Judaeorum ex Colchide in Thraciam perreptaſſe, ſuadet id quod Scholiaſtes ad Ariſtophanis Acharnenſes v. 155. 156. 157. adnotat: Ὀδόμαντον ἔθνος Θρᾳκικόν· φασὶ δὲ αὐτοὺς Ἰουδαίους εἶναι. *Odomantes gens eſt Thracica. Dicuntur autem* (ortu) *Judaei eſſe*. Haec de Thracibus ex Judaea advenis.

Adhaec & Indiarum Brachmanes dogmata ejuſmodi de ſanioris philoſophiae capitibus, ac praecipue de mortis contemptu diſſeminabant, quae non niſi ex Judaeis diſcere potuiſſent: ita illorum placita cum Judaicis & Salomonicis conſentiebant. Ac praeſtabit de his Strabonem (2) qui multus in his narrandis eſt, adire. Qui lib. XI. recitatos ſuperiores Euripidis verſus, τοῖς περὶ τὸν Καύκασον tribuit.

Atque ex his barbarorum quidem, ſed tamen ſanae originis fontibus, Graecos ſe poſtea potaſſe non poenituit: quorum etſi opera partem maximam deperierunt; adhuc tamen Platonis ſcripta ſuperſunt, ex quibus, ſi nihil aliud, contemptus mortis Socraticus conſtat: qui & Tullio librum elegantiſſimum ſimilis argumenti extorſit. Et hi quidem adhuc impura potabant. Quid mirum ſi poſtea Chriſti doctri-

(1) Qui quidem graece a pluribus veterum recitantur, ut a Strabone, Sex. Empirico l. III. Theodoreto Therap. l. V. Clemente Alex. in Strom. III. Sed eos ab hoc ultimo, in quo emendatiores proſtant, proderit huc afferre.

Ἐδει γὰρ ἡμᾶς τοὺλλογον ποιεῖσθαι
Τὸν φύντα θνητῶν εἰς ὃν ἵξεται κακά.
Τὸν δ' αὖ θανόντα καὶ πόνων πεπαυμένον
Χαίροντας, εὐφημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων.

(2) Strabo lib. XV. in India de *Brachmanibus* talia narrat, quae ſuſpicari cogant, eos ex Judaea vi aliqua in Indiam fuiſſe translatos non diu poſt Salomonica tempora. Atque horum ſuperſtites nunc eſſe creduntur ii qui hodie in Indiis *Bramines* nuncupantur. Mira vero de veterum illorum Brachmanum, philoſophorum nobilium, dogmatibus Strabo narrat, quae dogmata vix excogitare ſua ſponte potuiſſent ſine Judaica origine: quorum nonnulla huc afferam ex Strabonis lib. XV. pag. 713. Πλείους δ' αὐτοῖς εἶναι λόγους περὶ θανάτου &c. In his λόγους reperias, vitam ad tempus homini ad probandum datam, mortem vero recte philoſophantis aditum ad beatitatem eſſe, ac propterea eos multâ exercitatione ad mortem ſe praeparare: ac plura ibid. ſequuntur in hanc ſententiam. Mox addit, de capitibus pluribus Brachmanas cum Graecis ſentire: ut quod mundus non ab aeterno ſit, ſed in tempore ortus, quod caducus, quod ſphaericus: quod ejus conditor & adminiſtrator Deus, ejuſque mundi primordia *Aquam* fuiſſe, ac praeter quatuor elementa, quintam quamdam fuiſſe naturam, ex qua caelum & aſtra exſtiterint, terram vero in medio univerſi poſitam: ac plura ibid. ſunt generis hujus, quae Plato aliique videntur hinc poſtea arripuiſſe. Haec e Strabonis ſupra citato loco contraxi.

doctrinâ & exemplo noſtri heroës animati tam mira ſpernendae mortis ac tormentorum ſpecimina oſtentarint?

§. II. Chriſtianorum antiqui hunc Salomonis locum ob oculos habuiſſe videntur, quando tranſitum ex hac vita vocarunt Natalem aut γενέθλια ſeu γενέσια.

NIhil antiquitus anceps aut aequivocum in voce *Natalis* erat, quippe diem illum omnes accipiebant, ex quo procedentes anni numerabantur. Ita Flaccus Natalem pulchre definit in IV. 11. 17.

Jure ſollemnis mihi ſanctiorque
Paene natali proprio, quod ex hac
Luce Maecenas meus affluentes
Ordinat annos.

Et hunc tantum natalem antiqui celebrabant, antequam natales imperii principum, ſive tale aliud, aut aſſentatio celebrandum proponeret, aut ipſi mortui juſſiſſent, ut apud Spartianum Hadrianus *III. Id. Aug. natalem imperii inſtituit celebrandum*: quod poſtea & ad alios proſperos eventus traductum non ſine *Natalis* appellatione fuit.

At alius plane ſenſus tum Hebraeis ad hunc Salomonis locum aciem intendentibus, tum multo plus Chriſtianis, teſte Origene, fuit, quibus (praeter Evangelicam lucem) jam olim ex hoc tam vetuſto Eccleſiaſtae oraculo mira affulſerat claritas circa mortem (verum Chriſtianorum natalem) nativitati praeferendam. Hinc merito diem τελειώτεως martyrum olim Chriſtiani γενέθλια aut γενέσια nuncupabant. Si cauſam quaeris, reſpondebit Caeſarius hom. 50. de S. Geneſio: *Martyrum paſſiones, NATALES vocamus dies; quando eos martyrii vita & Gloriae fides dum ingerit morti, gennit aeternitati, & perpetua gaudia brevi dolore parturiit.* Paulinus Natali III. S. Felicis

Venit feſta dies caelo, celeberrima terris,
Natalem Felicis agens, qua corpore terris
Occidit, & Chriſto ſuperis eſt NATUS in aſtris.

Auguſtinus Serm. 10. de ſanctis: *Digne Natalem iſtorum colimus, quos beatius aeternae vitae mundus edidit, quam mundo maternorum viſcerum partus effudit.* Chryſologus Serm. 129. *Natalem ſanctorum cum auditis, cariſſimi, nolite putare illum dici, quo naſcuntur in terram de carne, ſed de terra in caelum, de labore in requiem, de cruciatibus ad delicias.* Eamdem poſtea appellationis rationem diſerte & conceptis verbis tradiderunt Divinor. officiorum ſcriptores Amalarius, Rabanus, aliique plures.

Ergo ex eo quod anniverſarius nativitatis dies quotannis in orbem rediret; hinc ad quoſlibet anniverſarios dies vox *Natalis* traduci ſolebat. Hinc *Natalis urbis* apud Cic. pro Flac. c. 40. legitur. Et l. 2. C. de fer. occurrunt *Natalitii dies urbium maximarum Romae & Conſtantinopolis*; & *Natalis adoptionis* exſtat apud Spartianum in Hadriano c. 4. his verbis: *quinto idus . . . litteras adoptionis accepit, quando & natalem adoptionis celebrari juſſit. Natalis imperii* occurrit apud Capitolinum Pertinace, Eumenium in paneg. 9. & Lactantium de mort. perſec. cap. 46. & alios. *Natalis reditus* apud Cic. III. ad Att. 20. *Diemque* (inquit) *natalem reditus mei cura . . . ut agam tecum.* Apud eumdem IV. ad Att. 1. *Natalis Brundiſinae Coloniae & . . . . Salutis* eſt anniverſarius dies Coloniae deductae, & dedicationis templi Salutis Romae in colle Quirinali. Adhaec *Natales navigationis* ait Vegetius IV. 39. *ſollemni certamine publicoque ſpectaculo*, id tempus celebratum intelligens, quo poſt menſes hibernos navigatio aperiebatur. Feſta deorum anniverſaria Lactantio VI. 20. *Natales* appellantur. Apud Clementem Strom. III. p. 428. γενέθλιος (i.e. *natalis*) ἀναθήματος Epiphanis, eſt anniverſaria ejuſdem inter Deos relatio. Atque id facile ad Chriſtianos traductum, apud quos *Natalis pontificis*, eſt quo inauguratus, qui & *natalis cathedrae*. In quadam charta apud Cangium, quatuor praecipuae anni feſtivitates quotannis redeuntes, *quatuor Natales* appellantur; & apud eumdem *Natalis Calicis* dies eſt anniverſarius caenae Domini. Eaque obſervatio etiam in rerum triſtium memoriis obtinebat; ut ecce ab Alexandrinis ſub Valentiniano γενέθλια σεισμοῦ celebrabantur h. e. *Natalis* ſive anniverſaria terraemotus cujuſdam magni memoria. Quem locum miror quod parum concoquere ſibi videbatur Valeſius, γενέθλια martyrum ſe legiſſe teſtatus, non item terraemotus aliuſve rei calamitoſae. At quid morte calamitoſius uſquam reputabatur? Et ultimus dies tamen quotannis rediens vocabatur γενέθλια uti ex dictis conſtat, ac maxime ex Ammonii celebri loco: quem hic omittere nefas putaverim. Ergo Ammonius (3) inter γενέθλια & γενέσια

(3) Ille, inquam, Ammonius, cujus libellum περὶ ὁμοίων καὶ διαφόρων λέξεων II. Stephanus in Graeci Theſ. Appendicem intulit a pag. 45. In quo libello col. 51. in γενέθλια, exſtat hic Ammonii locus.

γενέσια hoc intereſſe teſtatur, quod illud de nativitate, hoc de morte uſurparetur: Γενέθλια καὶ γενέσια διαφέρει· ἔστι μὲν γὰρ γενέθλια τάσσεται ἐπὶ τῶν ζώντων, καὶ ἐν ᾗ ἕκαστος ἡμέρᾳ ἐγεννήθη, αὕτη καλεῖται γενέθλιος ἡμέρα· Γενέσια (4) δὲ ἐπὶ τῶν τεθνηκότων, ἐν ᾗ ἕκαστος ἡμέρᾳ τετελεύτηκεν· ὁ ὃν λέγων ἐπὶ τῶν ζώντων γενέσια, ἀκυρολογεῖ. Tamen fallitur: etenim teſtes inſcripti lapides erunt in quibus aut legata in id quaedam heredibus relinquuntur, aut alioqui iiſdem negotium datur, ut NATALI ſuo (diem emortualem non diem nativitatis intelligens) caena aut ludi celebrentur, aut aliqua ſumma viritim diſtribuatur. Vt apud Fleetwood pag. 189. 3. ubi *Dies Natalis* pro die depoſitionis (ut Chriſtiani loquuntur) accipitur. VT . QVODANN . IN . PERPET . DIE . NATAL . QVADRati. V. ID. APR. QVA . RELIQVIAE . EIVS. CONDITAE . SVNT . SACRIFICIVM. FACERENT . &c. Eâdem notione NATALI MEO . accipias velim apud eumdem pag 206. n. 3. Item pag. 214 2. & 278.

Ergo γενέθλιος ſicuti apud ethnicos de emortuali die intelligebatur, ſic etiam apud Chriſtianos: apud quos γενέθλιος ſaepe de paſſione uſurpabatur. Ergo dum veteres Chriſtiani diem paſſionis martyrum γενέθλιον h. e. *natalem* appellarunt, non novam ei vocabulo notionem ſubjecerunt (quaſi ſcil. is vere dies natalis habendus eſſet, quo caelo naſcerentur) ſed uſitatam jam a gentilibus ipſis locutionem amplexi fuere. Sic Eccleſia Smyrnenſis apud Euſebium IV. hiſt. Eccl. 15. agere ſe quotannis τὴν τοῦ μαρτυρίου αὐτοῦ (Polycarpi) ἡμέραν γενέθλιον affirmat. Quod Rufinus quidem *diem paſſionis* eſt interpretatus; at verbis totidem *Martyrii ipſius diem natalem* & anniverſarium vertere licuiſſet. Nam ſi γενέθλιον (*natalem*) ea notione Smyrnenſes uſurpare voluiſſent, quod eo die Polycarpus caelo natus eſſet, non μαρτυρίου γενέθλιον, ſed πολυκάρπου dixiſſent: nunc μαρτυρίου additamentum lueulenter evincit γενέθλιον ſive *natalem* tantundem valere quod *anniverſarium martyrii diem*. Idem de ſerecntis aliis ſimilibus locis eſto judicium. Niſi quod non eſt omittendum, quod Canon LI. Laodicenus (qui ſic concipitur, ὅτι οὐ δεῖ ἐν τεσσαρακοστῇ μαρτύρων γενέθλια ἑορτὰς) is canon eodem ſenſu ſed non iisdem verbis a Symeone Logotheta Can. Carthag. XLVII. recitatur in hunc modum, ἐτησίους μαρτύρων ἡμέρας ἑορτάζειν. Vides opinor, hoc Graece γενέθλιον, quod ἐτήσιον ſive *anniverſarium* fuiſſe.

§. III. *Aliae quaepiam de Natali obſervationes.*

INcredibile dictu eſt, quot in partes *Natalis* vox accipiatur, ita ut ex multiplici acceptione eo demum ventum ſit, ut NATALIS vox pro qualibet celebritate uſurpata inveniatur. Veluti in Sacramentario, quem edidit Cl. Blanchinus junior to. 4. Anaſtaſii menſe Junio pag. XXIII. fin. ſic legitur. *Apud quem cum beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli continuata feſtivitas, aeterna celebritat, & triumphi caeleſtis perpetuus ſit NATALIS.*

Sed tamen ſub Caeſaribus ita vox NATALIS conſtanter pro anniverſario die obitus accipi vulgo coepit, maxime in inſcriptis marmoribus (ut ſupra pluries oſtendiſſe videor) ut ea rariſſime pro *nativitate* ſumeretur. Ac niſi equidem fallor vix quarto quintoque ſaeculo *Natalis* pro natali genuino ſive Nativitate interdum uſurpabatur, ſic certe Aelius Lampridius (qui ſub Conſtantino M. vitas aliquot Caeſarum ſcripſit) *Natalis* vocem uſurpavit in Alexandro Severo cap. V. his verbis: *Alexandri nomen accepit* (Mammaeae filius) *quod in templo dicato apud Areenam urbem Alexandro Magno* (quippe inter deos poſt obitum relato) *natus eſſet, cum caſu illue die feſto Alexandri* (Magni, jam ſcil. θεοῦντος) *pater eum uxore, patriae ſollemnitatis implendae cauſſa, veniſſet. Cui rei argumentum eſt, quod eâdem die natalem* (5) *habet hic Mammaeae Alexander, qua ille Magnus exceſſit e vita.* Nec dubito quin de genuino hoc natali intelligenda ſit feſtivitas *Natalis* Alexandri imp. de qua idem Lampridius cap. 63. *Dati ſunt & ſodales . . . adiita & feſtivitas matris nomine atque ipſius, quae hodieque Romae religioſiſſime celebratur natali ejus die.* Natali opinor genuino, non quo indigne peremptus.

(4) Quod γενέθλια de nativitate, γενέσια de morte uſurpari ait, is diſtinguendi mos utut Alexandriae (ubi Saccas ſcribebat) tunc temporis in uſu fuerit, non alibi tamen Graecos hanc loquendi legem ſecutos, & ſcriptorum & marmorum exempla teſtantur, in quibus γενέθλια & γενέσια promiſcua conſuetudine adhiberi conſtat.

(5) Hic *Natalis* genuinus filii Mammaeae fuit: at ille *Natalis*, quo Alex. Magnus exceſſerat (de quo in fine vitae loquitur) item Natalis erat, ſed emortualis: qui ſollemnior poſtea factus & abſolute *Natalis* vocatus, Graecis γενέθλιος aut γενέσιος.

§. IV. Reliqua nonnulla de Natali ſumpto pro exitûs aut ſepulturae anniverſario die, tam in ecbnicorum memoriis, quam in ſacris.

NE in ſuperiorem Diſſertationem jam abſolutam quedam locis ſuis in fine infarcirem, ea junctim huc, ne lectori depereant, conjeci. Ac primum Lapis Niciae exſtat apud Sponium Sect. II. art. XI. pag. 62; ubi inter cetera legitur: VT. QVODANN. IN. PERPET . DIE .. NATAL .. QVADR . (is eſt P. Petreius Quadratus) V. ID.. APR. QVA .. RELIQVIAE . EIVS . CONDITAE . SVNT .. SACRIFICIVM . FACERENT . AN (i. e. anniverſarium) FARE . ET . LIBO . ET . IN . TEMPLO . EX . MORE . EPVLARENTVR . &c. Haec ex Fleetwodo paullo ante retuleram, ſed minus integra.

Apud eumdem Sponium pag. 161. in fine ſic legitur, VT . EX . VSVRIS . EORVM. QVODANNIS . VII. IDVS . APRILES. NATALE . FILIAE . MEAE . EPVLANTES . CONFREQVENTETIS.

Nec ſacrae memoriae eodem facientes deſunt. In lib. II. ſacramentorum S. R. Eccleſiae Gelaſiano, quem edidit Thomaſius pag. 144. *In Natale S. Aghetis Virginis de Paſſione ſua. XII. Kal. Februarias.* Deinde pag. 145. ſequens miſſa inſcribitur: *Item in Natale ejuſdem de Nativitate. V. Kal. Febr.* Vides, *Natale de Nativitate* idem eſſe, quod lib. III. pag. 223. *Natale genuinum* appellatur. Sic enim ibi inſcribitur Miſſa LIII. *Oratio in Natale genuinum* (6). Et in Miſſae contextu anniverſario nativitatis die agitur.

In Sacramentario vetuſtiſſimo quod edidit Joſeph Blanchinus tom. IV. Anaſtaſii, pag. XXXIX. fin. legitur: NATALE BASILICAE ANGELI IN SALARIA. i. e. *Feſtum Dedicationis Baſilicae* &c.

(6) *Genuini* vox in Martyrol. Rhabani ſic uſurpatur: *Romae S. Agnetis Virg. GENVINVM* i. e. *de Nativitate*. In Cod. Theod. lib. II. & 17. *Genuinus Natalis dies* eſt, quo quis in lucem editus eſt.

CANTI-

CANTICVM CANTICORVM SALOMONIS.

Quod Hebraice dicitur SIR HASIRIM.

AD TITVLVM CANTICORVM.

Canticum canticorum .] Hebraicum *ſcir haſcirim* LXX verterunt Ἄσμα ᾀσμάτων, credo quod animadvertiſſent haec Salomonis cantica ad Lyricae poëſeos naturam quam proxime accedere. Certe apud Graecos ᾄσματα dici quae nos *Lyrica* carmina appellamus, ex Lyricorum poëtarum (quorum catalogum adire potes apud Fabricium lib. II. Bibl. Graecae c. 15.) inſcriptionibus lucubrationum ſuarum facile conſtabit. Sic Simonidis Lyricorum praeſtantiſſimi ᾆσμα ad Scopam Creontis F. memorat Plato Protagorâ. Cleobulum ᾄσματά h. e. Lyrica ſcripſiſſe tradit Laërtius lib. 1. Sect. 89. Sic & Teleſillae Lyricae poëtriae ᾄσματα veteribus memorantur. Adhaec Diagoras Melius ſcripſit ᾄσματα i.e. lyrica, ex Heſychio & Suida. Tum quod Cleobulus Lindius elucubraſſe ᾄσματα, & Griphos verſibus hexametris Laërtio dicitur, id in eam partem eſt accipiendum, ut illa Lyricis, hos autem heroicis verſibus texuerit.

AD CANT. I. 9.

Collum tuum ſicut monilia .] Erudite Caſaubonus (ad Capitolini Maximinum juniorem cap. 1. ubi de arrhis ſponſalibus regiis) legendum hîc monet *monolina*. Nam *monolina* fuiſſe vocata fila, quibus uniones inſerebantur, probant ibi viri doctiſſ. Caſaubonus atque Salmaſius: idque hîc proprie eſt חרוזים *charuzim*. Vide ibi plurima.

AD CANT. II. 5.

Fulcite me floribus .] Heb. *lagenis*. At Latinus noſter interpres Symmachum ſecutus, ita reddidit. Niſi ſic vertere libuit, quia homines delicatiores lectos floribus inſternebant. Spartianus Aelio Vero cap. 5. *Eumque* (lectum) *foliis roſae, quibus demptum eſſet album, replebat*. Mox de eodem Caeſare narrat, *Quod & accubitationes ac menſas de roſis ac liliis fecerit, & quidem purgatis*. Trebellius Gallieno: *Veris tempore cubicula de roſis fecit*. Lampridius Alagabalo: *Stravit & triclinia de roſa & lectos*. Claudianus de lecto geniali,

. . . . *Roſeiſque cubilia ſurgunt*
Floribus.

Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo .] Pro *floribus* hebraice eſt אשישות *aſchiſchoth* i. e. *lagenis* ſive vaſis vinariis. At Graeci interpretes ἐν μύροις h. e. *unguentis* poſuerunt; ſed Symmachus ἐν ἄνθει, unde vulgata lectio manavit. Vtut eſt in Eudociae Maerembolitiſſae ἰωνιᾶ i. e. *violario* (cujus operis indicem capitum Pandurius & poſtea Fabricius vol. VI. bibl. Gr. pag. 588. edi-

dit) caput 794. sic inscribitur: διὰ τί οἱ ἐρῶντες μετὰ χεῖρας ἄνθη καὶ μῆλα φέρουσιν. *Cur amantes habeant ad manus flores & mala ferant.*

AD CANT. III. 10.

Reclinatorium aureum.] Heb. רפידה *rephidah* significat *stratum*, sed ἀνάκλιτον (quod est apud Graecos interpretes) idem quod ἀνακλιντήριον. Et quia quae Graece in ήριον, eadem latine in *orium* exire solent; eo factum puto, ut Latinus hîc *reclinatorium* reddiderit. Ambrosius lib. 3. de virginibus *adclinatorium* posuit. Vtut est; ἀνακλιντήριον quod & ἀνάκλιτον, est ea lecti pars, quam nos caput lecti dicimus, at veteres *pluteum* appellabant. *Pluteum* autem dixere quod ea pars, cui cervical applicabatur, eminente assere, eoque plerunque eleganter caelato, muniretur. Illud ἀνάκλιτον hic Graeci interpretes intellexerunt, quod aureum fecit sibi Salomon. Porro de lecto ejusque partibus vide Julium Pollucem, ac vide quoque Salmasium ad Spartiani Aelium Verum cap. 5.

AD CANT. V. 13.

Genae illius sicut areolae aromatum consitae a pigmentariis.] Hebraicum לחי *lechai* maxillas proprie notat, in quibus sic dentes ordine implantantur, ut in sulcorum lineis arbores. Nam ערוגה *arugah* sive *areolas* notet secundum Latinum Interpretem (qui ex Aquila id sumpsit, qui πρασιὰς hîc & cap. seq. posuit) sive potius sulcos seu strigas quibus plantae in quincuncem disponuntur, significet; optima semper erit hujus loci interpretatio, *maxillae ejus sicut sulci aromaticarum arborum* &c.

Cur autem divinus Poëta noster maxillarum sulcis plantas aromaticas potius, quam alterius generis, conseverit; ea promptissima est ratio, quod sicut nihil magis, quam oris graveolentia offendit; sic ejusdem suaveolentiam arbusculis istis aromaticis notari placuit. Mira erat in Palaestina saltuum aromaticorum fragrantia, quae vel eminus persentiebatur.

AD CANT. VII. 2. *& seq.*

Vmbilicus tuus crater tornatilis . . . Venter tuus sicut acervus tritici . . . Collum tuum sicut turris eburnea. Oculi tui sicut piscinae . . . Nasus tuus sicut turris Libani . . . Caput tuum ut Carmelus . . . Statura tua assimilata est palmae, &c.] Heroicis temporibus praecipua formae laus in proceritate ac mole corporis sita erat. Ex nemine hoc magis quam ex Salomonicae aetati propemodum suppare Homero licet intelligere; qui feminarum pulchritudinem descripturus, nusquam μέγεθος praetermittit. Od. XVIII. 194. cum Pallas Penelopen procos allocuturam efficere pulchriorem studeret,

. . . μὶν μακροτέρην καὶ πάσσονα θῆκεν ἰδέσθαι.
Crassior ut solito aspiceretur & altior esset --- *Fecit.*

Eodem lib. 248. Eurymachus Penelopen in hunc modum commendat:

. . . . . Ἐπεὶ περέεσσι γυναιξῶν
Εἶδός τε μέγεθός τε.
Et mole & specie vincis sola ipsa puellas.

Hymno

Hymno in Apoll. v. 104. Deae ut Ilithyam ſeu Lucinam illicerent, novem cubitorum monile illi promittunt:

. . . . . Μέγαν ὅρμον,
Χρυσείοισι λίνοισιν ἐϱγμένον, ἐπτάπηχυν.

Hymno in Venerem v. 82.

Παρθένῳ ἀδμήτῃ μέγεθος καὶ εἶδος ὁμοίη,

Venus dicitur: cujus etiam Anchiſes miratur v. 85.

Εἶδός τε μέγεθός τε καὶ εἵματα σιγαλόεντα.
Formamque & molem ingentem veſteſque ſtupendas.

Virgilius 1. Aen. 504. de Diana:

Illa pharetram
Fert humero, gradienſque deas ſupereminet omnes.

Dii ſane apud Homerum giganteae ſtaturae eſſe finguntur, veluti Il. XXI. 407. Mars a Minerva ſaxo percuſſus,

Ἑπτὰ δ' ἐπέσχε πέλεθρα πεσών.
Occupat ille cadens terrae jugera ſeptem.

Hinc, opinor, fluxit, ut diis atque imperatoribus inter divos relatis ſtatuae coloſſeae erigi conſueverint, ceteris quamlibet inſignibus viris ἰσομέτρητοι, uti obſervat Caſaubonus ad Spartianum Aelio Vero cap. 7.

Nec minus in maribus corporis moles praecipue laudabatur. Od. XVIII. 218. Telemachi μέγεθος καὶ κάλλος commendatur. Quod Saul in Scripturis, & apud Virg. Turnus humero tenus aequarent ceteros, id in laude ponitur. Aegyptii apud Herodotum nonniſi coloſſicis ſtatuis delectabantur, ſicuti & ceterae nationes.

Philoſtratus lib. VI. vitae Apollonii c. 6. Aeſchylum omnium primum cothurnos hiſtrionibus induiſſe narrat, ut gradientes Heroas (proceritate ſcilicet) imitarentur. Ὀκρίβαντας (ſive ἐμβάτας h. e. *cothurnatos*) δὲ τοὺς ὑποκριτὰς ἐνεβίβασεν, ὡς ἴσα ἥρωσι βαίνοιεν. Ab eadem eſt cauſſa ut figuris quam proceriſſimis ſculptores delectarentur, idque ex Architectorum veterum inſtituto.

Sed Ariſtoteles in Nicomacheor. tertio: Ἐν μεγέθει γὰρ ἡ μεγαλοψυχία, ὥσπερ καὶ τὸ κάλλος ἐν μεγάλῳ σώματι· οἱ μικροὶ δ' ἀστεῖοι καὶ σύμμετροι, καλοὶ δ' οὔ. *Magnanimitas in magnitudine ſita eſt, ut pulchritudo in magno corpore: nam parvae ſtaturae homines ſunt illi quidem belli, & concinni, non item pulchri.*

Hinc ſtatuae teſte Plinio lib. XXXIV. quo plurium pedum erant, eo maxime honorificae, omnium autem honoratiſſimae coloſſeae. Deorum ſtatuae legitimam hominis ſtaturam ter fere continebant, heroum bis.

AD CANT. VII. 13.

In portis noſtris omnia poma nova & vetera ſervavi tibi.] Pomorum veterum novorumque erat mentio in carmine illo, cujus ſententiam tantum attigit Plinius XXVIII. 2. (Sect. 5. in Hard.) his verbis: *Cur ad primitia pomorum, haec vetera eſſe dicimus, alia nova optamus?* Simile quoque eſt illud de *vino novo vetere* apud Varronem: *Meditrinalia dies dictus a medendo, quod, ut Flaccus flamen Martialis dicebat, hoc die ſolitum vinum novum & vetus libari & deguſtari medicamenti cauſſa: quod facere ſolent etiamnunc multi, cum dicant, NOVVM VETVS VINVM BIBO, NOVO VETERI MORBO MEDEOR.* Feſtus in MEDITRINALIA: *Mos erat Latinis populis, quo die quis primum guſtaret muſtum, dicere ominis gratia, VETVS NOVVM VINVM BIBO, VETERI NOVO MORBO MEDEOR.* Ac niſi

nisi properarem, haec Tuscos principio ab Hebraeis didicisse, ac mox eadem ad Latinos non praeter solitum transmisisse, ostenderem.

AD CANT. VIII. 7.

Aquae multae non potuerunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam. Aquae Hebraeorum sermone res adversas significant, ut in Psalmo *aquae intraverunt usque ad animam meam*, & in N. T. βαπτισμὸς & βαπτίζεσθαι significat *angi*. Eleganter hîc autem aquae metaphoricae igni symbolico ἀντιτίθενται. Sic & frigus metaphoricum jocose cum incendio componitur apud Plutarchum; qui in Alexandro, Hegesiam Milesium ineptum rerum Alexandri scriptorem narrat scripsisse, Dianam templo suo Ephesino conflagranti opem ferre non potuisse, propterea quod Olympiadi eodem tempore Alexandrum parienti adfuisset: *hoc usque adeo frigidum, videri*, subjungit, *ut incendium illud (Ephesini templi) potuisset extinguere.*

SAPIEN.

AD LIBRVM SAPIENTIAE

PRODROMVS

§. 1. De Libri Titulo ejuſque operis Auctore.

IN Graecis exemplaribus additur in MSS. auctor libri in hunc modum, ΣΟΦΙΑ ΣΑΛΩΜΩΝ, *aut* (*ſicut in Alld. & Comp.*) ΣΟΦΙΑ ΣΟΛΟΜΩΝΤΟΣ: *at in Bibliis Latinis editis eſt tantum LIBER SAPIENTIAE, non adſcripto* Salomonis *nomine. Dixi equidem in Latinis editis deeſſe* Salomonis *nomen, nihil de MSS. monens. Ac facile in manu exaratis inerit nomen; ſicuti exſtat in Cypriano lib. 2. Teſtim. in quo diſerte vocatur* Sapientia Salomonis: *nec aliter in Tertulliano contra Valent. in quo ſcribitur, SOPHIA SALOMONIS. Similiter a Lactantio laudatur*, Salomon in libro Sapientiae. *Ad haec teſte Sabaterio hic liber vocatur vulgo a Patribus* Sapientia Salomonis. *Nec puto facile antiquitus ab eo diſceſſum, quin hic liber Salomoni tribueretur; ſive quia res complectatur Salomone dignas, ſive quia non alius in hoc libro partes quam Rex ſapientiſſimus agat. Poſtremo quid fruſtra fatigamur, cum ſeſe ipſe auctor cap. IX. prodat, praecipue v. 7. 8. ubi ſic aperte profitetur*: Tu elegiſti me regem populo tuo . . . & dixiſti me aedificare templum in monte ſancto tuo, & in civitate habitationis tuae altare, ſimilitudinem tabernaculi ſancti tui, quod praeparaſti ab initio. *Aperte igitur hunc ſibi librum arrogat Salomon. Niſi vero quis dixerit, haec ſcriptorem ex perſona Salomonis, quem loquentem inducit, poſuiſſe. Verum de his in loco accuratius; ac ſatis ſit ab univerſa antiquitate hunc librum Salomoni adſcribi.*

§. 2. Oratione proſâ, an carmine adſtrictâ, liber hic ſcriptus ab Rege auctore fuerit.

Nihil ſoluta oratione ſcriptum ab hac phoenice ingeniorum novimus, ſed vincta Hebraeis verſibus omnia, nim. Proverbia, Eccleſiaſten, Cantica. Atqui hoc de ΣΟΦΙΑ *pulcherrimum opus ſi quidem hebraice exſtaret, ſtylus poëticus ejus linguae dubitare non ſineret, quin totum verſibus procederet, qualibus Hebraea utebatur natio. Ceterum interpretationum Graecae ac Latinae (quae ambae exſtant) tanta eſt magniloquentia, quae proſae parum neceſſaria, eadem carmini ſummopere conveniſſet. Itaque vix eſt dubitandum quin in hac ſcriptione Rex Salomon ſollemne ſuum tenuerit, poëtam agens, ſuamque hanc de* Sapientia *ſcriptionem verſibus Judaicis vinxerit. At nunc poſt laxata in Graeco Latinoque interpretamento verſuum vincula, inſita illa quidem ſublimitas poëtica manſit, at utinam non locis pluribus non parum de perſpicuitate deceſſiſſet: maxime parte altera illâ, quae a cap. XIV. (niſi fallor) ad finem uſque pertinet.*

§. 3.

§. 3. Graecum Sapientiae textum ex ipsa LXX Seniorum interpretatione videri prodiisse. At quid Hebraico archetypo factum fuerit, ignorari.

Jamdiu equidem quodam meo ductu statueram, Graecum Sapientiae textum (nam Hebraice primitus a Salomone fuisse scriptum, non putavi dubitandum) non aliunde quam ex interpretatione textus primaevi Hebraici (sicut Salomon ipse primitus scripserit) transmitti in Graecum debuisse, & quidem eorumdem Seniorum opera, qui cetera Salomonis transtulerant: Atque id totum serio & accurate hic notaveram, ratus id non ante ab aliis significatum. Verum ad extremum satis luminis in Waltonianis Polyglottis reperi mihi praelatum, si principio ad Waltoniana recurrissem. Nam ecce ille ab initio hunc Graeco textui praemisit titulum: VERSIO GRAECA LXX INTERP. Ac facile, credo, in anterioribus etiam Polyglottis titulus idem occurret. Ergo jam ante me viri summi Graecum Sapientiae textum pro versione Seniorum habuerant, quam proinde senes illi ex Hebraeo textu (qui postea amissus) ante expresserant.

Quod si stylus Graeci Sapientiae textûs sublimior videatur ceteris LXXviralibus interpretamentis, non video cur non potius ea magniloquentia ad Salomonem, quotquot exstitere Sapientissimum, maxime de hoc tam sublimi Sapientiae dono scribentem, sit referenda. Nec aliena a Salomonis scriptis grandiras est, ut ex Ecclesiaste constat, maxime ubi de Sapientia loquitur. Nam ceteroqui superiores libri Salomonis, ferunt ones διδακτικοὶ aut παραινετικοὶ fuerant, stylo temperato contenti: at Sapientiâ quid grandius excelsiusve? Nec minus in Canticis Rex ille adsurrexerat.

§. 4. De Sapientiae versione Syriaca in Polyglot. Waltonianis.

Atque in hac, de qua coepi, versione Syra oppido est notabile illud, quod initio scribitur in ipso titulo. Praecedit enim Syriacus titulus, cujus hujusmodi interpretatio est: Sequitur Liber SAPIENTIAE MAGNAE SALOMONIS FILII DAVIDIS.

Hunc deinde Syriacum titulum excipit in eisdem Bibliis Waltonianis sermone item Syriaco sequens animadversio. De quo (*Libro Sapientiae*) dubium factum est, quasi (*non ab ipso Salomone, sed*) ab aliquo alio Hebraeorum sapiente conscriptus fuerit spiritu Prophetico (*sub*) nomine Salomonis suppositus ac receptus. *Ita Syri illius anonymi adnotatio hic inserta se habet.*

Quae quidem minime insulsa est, nec quidquam Divinae libri hujus infallibilitati obest. Nam satis tuetur sese notator verbis illis: Quasi ab aliquo alio Hebraeorum sapiente conscriptus fuerit SPIRITV PROPHETICO sub nomine Salomonis. *Vix equidem me continebam, quin in hujus anonymi Syri Waltoniani me castra reciperem. Nam si ab Salomone Davidis filio haec scriptio profecta primitus fuerat, difficile dictu esset Salomonici libri versionem quidem LXXviralem fuisse servatam, textum vero Hebraicum amissum. Postremo nulla irrogatur libro Sapientiae injuria, si Graece tantum exstet, cum & Ecclesiasticus, qui Sapientiam excipit, & libri Machabaici, & aliquot ex superioribus alii in eadem sint navi. Ceterum quo hujus tituli Syriaci verba illa* (Quasi ab alio aliquo conscriptus fuerit Spiritu prophetico sub nomine Salomonis) *pertineant, infra in Adnotatis ad cap. IX.* ℣. 8. *ostendam.*

§. 5.

§. 5. Quod Sapientiae liber partibus duabus diverſo tempore ſcriptis conſtare videatur.

Haec quidem quae hactenus dixi, non modo veriſimillima, ſed pro veris prorſus habenda: at quae mox hîc ſubjicio, merae ſunt conjecturae. Sed tamen cum videam a cap. XIV. aut circiter, ſcriptorem ſuae diſputationis filum ordiri novum; quis vetabit conjicere, hanc diſſertationem ex duabus partibus diverſo tempore ſcriptis fuiſſe aliquando compoſitam? quarum prior capitibus XII. concluditur (quibus Sapientiae laudes magna cum eloquentiae copia, ſed ſtylo placidiore continentur) pars vero altera, quae miſcellanea videtur, a cap. XIV. ad XIX. progreditur; ſed ſtylo ſublimiore, & interdum arduo ac ſubobſcuro. Cumque in fere tota ſcriptione verba non pauca tum in Graeco tum in Latino nova, inuſitata, tenebricoſa occurrant; tamen horum in poſteriore parte turba eſt multo frequentior.

Dico obiter: Sacrae Scripturae librorum (Sapientiae & Eccleſiaſtici) maxima ſemper fuit apud veterem Eccleſiam gratia; quippe ab antiquo vix aliunde ſaepius petebantur Scripturarum loca (quibus Miſſae per annum & Horae Canonicae ornarentur) quam ex libris duobus Sapientia & Eccleſiaſtico: ſed maxime ex Sapientiae libro, in quo ubertas & copia major affluit, & neſcio quae mirabilis unctio, ex qua ſpiritûs ariditas irroratur ac tenereſcit.

AD SAPIENTIAM ADNOTATA.

AD SAP. IV. 3.

Multigena autem impiorum multitudo non erit utilis.] Hoc eſt *maxime damnoſa*. Hanc enim vim habet λιτότης, figurae genus, hoc libro frequens, quo res vel maximae ad modeſtiae modulum exiguntur; ac tamen haec ad animos ciendos interdum plus valent, quam ſi exaggerata res eſſet. Graecum iſtud Χρησιμεύειν elegans eſt apud antiquos verbum, ac ferme cum praep. εἰς: ut ſit *prodeſſe* ad hoc vel illud. At hîc abſolute poſitum rarius & elegantius eſt, nec infrequens in hoc libro. Graecus Sapientiae textus etſi ex Hebraeo translatus, non caret ſuis elegantiis.

Et ſpuria vitulamina non dabunt radices altas.] Vox *vitulamen* eſt inſtar ejus vocis facta, quae hîc Graece legitur, nim. μοσχεύματα. Μόσχος non tantum *vitulum* ſed & *ſtolonem* notat. Μόσχευμα igitur, ſicut & Latinis *vitulamen*, eſt *ſtolonum propago*. Atque hoc vocabulum Ambroſius (motus haud dubie libri Sapientiae, ad quem alludit, celebritate) non refûgit, ſic ſcribens ad Simplicianum num. 37. *Quid Theclam, quid Agnem, quid Pelagiam loquar? quae tamquam nobilia VITVLAMINA pullulantes, ad mortem quaſi ad immortalitatem feſtinaverunt.* Ceterum ecquaenam μοσχεύματα hîc νόθα ſive *ſpuria* Sapiens appellat? Sylveſtrium plantarum ſtolones omnino intelligit. Nam plantas bonae proſapiae a ſpuriis diſtinguimus. Harum enim fructus mendacem priorum ſpeciem mentiuntur, at guſtum non aſſequuntur. Ergo ex his nothis pomarius non ſolet ſtolones aſſumere, ſed ex legitimis. Aut ſiquam ſpuriam errans paſtinaverit, errore detecto aut avellet aut inſeret. Graece ſic concipitur hic locus: Καὶ ἐκ νόθων μοσχευμάτων οὐ δώσει ῥίζαν εἰς βάθος. *Et ex ſpuriis ſtolonibus* (pomarius) *non dabit radices* (figi) *altas*: Cur minus altas? quia ſtatim ac ſpuriam eſſe arborem ſenſerit, aut eradi-

cat, aut ſiquas in viviradices vertit, eas in tempore inoculat.

Antequam ad ulteriora progredior, praeſtabit hîc de natalibus vocis *Vitulamen* paucis commentari. Haud dubie inſtar Graeci μοσχεύματος (quod hîc in Graeco reſpondet) natum initio videtur. Nam in utraque lingua pari progreſſu parique notione (tam animalium quam vegetantium peculiari) ea nomina ſibi reſpondent, quorum Μόσχος & *Vitulus* omnium eſt utrinque parens. Ex his thematibus, illinc μοσχεύω, hinc *Vitulor* orta, ac demum illinc μόσχευμα, hinc *Vitulamen* fiunt. Ergo quod in Graeco libri hujus eſt μόσχευμα, tantumdem eſt & in vetere Sapientiae interprete *Vitulamen*. Si quaeras quam pridem Latina Sapientiae interpretatio prodierit; equidem non dubitaverim, quin altero Chriſti ſaeculo (quo Evangelia, librique magis neceſſarii traducti in Latinum videntur) aut eodem finiente elaborata videatur: quem librum non raro allegari a Tertulliano & Cypriano animadverti. Ergo cum ſaeculo altero ac tertio adhuc vigeret priſca Latinitas, non erat, cur S. Auguſtinus de noſtro iſto *Vitulamina* pro μοσχεύματα conquereretur, quaſi ſcil. de minus Latino vocabulo, aut non ſignificante *plantationes*, quod in Graeco per μοσχεύματα deſignatur. Auguſtini locus eſt lib. 2. doct. Chriſt. At optime Ambroſius, ſat Latine cultus, cujus verba ſupra attulimus, *nobilium Vitulaminum* inſtar pullulare Thecam, Agnem, Pelagiam dixit.

AD SAP. IV. 6.

Ex iniquis enim ſomnis filii qui naſcuntur.] *Somnis* in aliquot Latinis editionibus deeſt. Verum in Graecis exemplaribus (quae amiſſo Heb. textu ſunt inſtar fontis) nuſquam deeſt τὸ ὕπνων: quod honeſte hîc pro congreſſibus carnalibus uſurpatur. Sic etiam *dormire* cum aliqua tecte dicitur. Syrus hîc aperte loquitur: *Ex illegitimo congreſſu procreari*. In Homero familiares ſunt id genus a ſomno petitae γαμικαὶ locutiones.

AD SAP. V. 1.

Tunc ſtabunt juſti in magna conſtantia adverſus eos qui ſe anguſtiaverunt, & qui abſtulerunt labores eorum.] Totus hic locus uſque ad verſ. 9. refertur a Cypriano tum epiſtola ad Demetrianum, tum ad Fortunatum cap. 12. tum poſtremo III. *Teſtim.* 16. & quidem totidem verbis, (ex quo patet Sapientiam, uti & Eccleſiaſticum nos ex vetere translatione legere) pauciſſimis verbis exceptis, quae talia ſunt v. 3. *Poenitentiam habentes*: ſed corrigendum ex hodierno *agentes*, nam in Gr. eſt μεταποῦντες. Ver. 5. deeſt *ecce*: at ep. ad Fortun. additur *ergo*. V. 6. deeſt *intelligentiae*. V. 7. pro *vias difficiles* eſt *ſolitudines difficiles*, ac melius, quia etiam Graece eſt ἐρήμους ἀβάτους.

AD SAP. V. 2.

Mirabuntur in ſubitatione inſperatae ſalutis.] Sic ubique apud Cyprianum. Graece eſt: ἐπὶ τῷ παραδόξῳ τῆς σωτηρίας. Verbum *ſubitare* in uſu fuit aevo Cyprianico. Pontius in vita Cypriani: *Proconſulis juſſu ad hoſtes ejus cum militibus ſuis princeps repente ſubitavit*. Ac Cyprianus ipſe eâdem, qua hîc, notione, epiſt. 57. de olim lapſis, poſtea in ſe reverſis, loquens: *Ut appareat, nuper ſubitatos eſſe* (i. e. *perculſos*) *& novae atque inſuetae rei pavore trepidaſſe, rediiſſe ad ſe poſtmodum.*

AD SAP.

AD SAP. VI. 25.

Neque cum invidia tabescente iter habebo.] In Graeco: Οὔτε μὴν φθόνῳ τετηκότι συνοδεύσω. Late patentius est illud veteris Poëtae:

Ἀνδρὸς πονηρῦ φεῦγε συνοδίαν ἀεί.
Nequam viro numquam in via te adjungito.

Vide ad Luc. II. 44.

AD SAP. VI. 26.

Multitudo autem sapientium sanitas est orbis terrarum.] In hunc locum dabitur in fine *De* Κόσμῳ *&* *Mundi &* עולם *holam &* Αἰῶνος *notionibus Dissertatio* libro Sapientiae necessaria.

AD SAP. VII. 2.

Decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine.] Hoc est usque ad decimum mensem; quia decimo (sed numero ordinali) mense partus editur; non vero decem (num. cardinali) gestatur mensibus. Sed Graecis saepe numerus cardinalis pro ordinali ponitur; ut πρὸ δέκα ἡμερῶν τῶν Καλανδῶν: quod rectius Latine dicitur, *Ante diem decimum Kalendarum.* Eadem loquendi ratio est apud priscos scriptores ita loquentes, quasi Olympiades exactis plenis quinquenniis recurrant, quae tamen *quinto quoque anno* (h. e. post expletos quatuor annos) redeunt. Eadem ergo est adhibenda interpretatio scriptoribus ceteris, quicunque usi num. cardinali, decem menses foetui assignant. Itaque Homerus (seu potius quisquis alius auctor hymni in Mercurium) v. 11. non prave ordinali numero scripsit:

Τῇ δ' ἤδη δέκατος μεὶς ἀγαπῷ ἐστήρικτο,
Εἴς τε φόως ἄγαγεν:
Jam Majae decimus constabat mensis in astris
Enixura ubi Mercurium.

Ergo etsi alii plures usi numero cardinali (ut Virg. *Decem tulerunt fastidia menses*) eâdem tamen interpretatione facile scriptores juvandi. Verum haec trita mittamus.

AD SAP. VII. 23.

Intelligibilis, mundus, subtilis.] Loquitur de *spiritu* intelligentiae: quem initio ver. 22. memorarat. *Intelligibilis* active capitur (cui Graece hîc respondet πνεῦμα νοερὸν, *intelligens*) sicuti etiam apud Sirachidem III. 32. *Sapiens cor & intelligibile.* Cujusmodi est Latinis *Penetrabile frigus.* Sicuti & illud quoque est quod in Capitulari Aquisgranensi an. 817. §. 44. & in addit. Ludov. Pii c. 36. *Intelligibile tempus,* seu *aetas intelligibilis* appellatur, qua scil. infantes ratione uti incipiunt. At contra Seneca epist. 124. παθητικῶς bis utitur, & ita ut *intelligibile* ab *sensibili* distinguat. Item Macrobius 1. Som. Scip. cap. 6. *Corporis intelligibilis linea.* Quae sunt certe παθητικά.

AD SAP. VII. 28.

Neminem autem diligit Deus, nisi eum, qui cum sapientia inhabitat.] Εἰ μὴ τὸν σοφίᾳ συνοικοῦντα; quo eleganter spirituale animi cum Sapientia connubium significatur. Vel vide quae cap. seq. v. 2. dicuntur ταύτην...ἐζήτησα νύμφην ἀγάγεσθαι ἐμαυτῷ. Latinus: *Quaesivi sponsam mihi eam assumere.* Hîc porro συνοικεῖν, *cohabitare* verbum esse γαμικὸν, (quod quidem omnem connubialem consuetudinem complectitur)

ſtitur) non tantum patet ex Graeco Gen. XX. 3. Deut. XXIV. 1. & XXV. 5. Prov. XXX. 1. (quae loca ſi cum Hebraeo comparabis, connubialia verba reſpondebunt) & ex Sirac. XXV. 11. XLII. 13. 15. verum etiam ex profanis ſcriptoribus. Lex Attica apud Demoſth. in Neaeram; ἐὰν δὲ ξένος ἀφῃ συνοικῇ . . . γραφέσθω . . ὁ βυλόμενος. ὡσαύτως δὲ καὶ ἐὰν ἡ ξένη τῷ ἀφῷ συνοικῇ. *Siquis peregrinus civem duxerit, accuſato cui libuerit: ſiremps lex dicta eſto peregrinae, quae civi enupſerit.* In alterâ item Attica apud Iſaeum lege in or. *de hered. Pyrrhi*: συνοικίσας ἀνδράσι γυναῖκας. Lex Solonis apud Laërtium: Τὸν ἐπίτροπον τῇ τῶν ὀρφανῶν μητρὶ μὴ συνοικεῖν. *Tutor pupillorum ſuorum matrem in uxorem ne ducito.* Idem, qui ſupra, Iſaeus: προσῆκον δ' αὐτῇ μετὰ τῶν χρημάτων ἐγγυτάτῳ γένους συνοικεῖν. *Ipſam cum omni ſubſtantia proximo agnato nubere jure convenit.* Ex his aliiſque pluribus antiquorum locis, vides, τὸ συνοικεῖν (*cohabitare*) tantumdem eſſe quod *nubere*; ſicuti & συνοικίζειν eſt *nuptui dare*.

Hoc toto capite nihil erectius & excellentius eſt: ac praeſertim notanda quae a V. 17. ad 22. de caelitus infuſa regi Salomoni ſcientia, ab ipſomet qui hauſit, declarantur; ſicuti & quae exinde ad finem uſque capitis de Sapientiae laudibus magnifice praedicantur, ea ſunt humano prorſus eloquio ſublimiora. Nec ferme aliud eſt, quam quod dixi, ſequentis etiam capitis argumentum. Haec alii paſſim commentati fuerunt: mihi ſicubi modicas colligere reliquias in ſequentibus forte dabitur, non gravabor adſpergere.

AD SAP. VIII. 8.

Et ſi multitudinem ſcientiae deſiderat quis, ſcit praeterita & de futuris aeſtimat: ſcit verſutias ſermonum & diſſolutiones argumentorum.] Pro *De futuris aeſtimat* in Graeco fonte ſignificantius ſcribitur εἰκάζει i. e. *conjectat*. At praecipue quod ſequitur (*Verſutias ſermonum*) non aliunde quam ex Graaeco exponi poteſt, ubi ſic legitur: Ἐπίσταται τροφὰς λόγων καὶ λύσεις αἰνιγμάτων. Ergo hoc loco *Verſutia* & τροφαὶ, itemque αἰνίγματα & *argumenta* tantumdem ſunt, valebantque olim haec verba, in Oriente praecipue, ubi ars aenigmatica in pretio magno erat. Sunt ergo τροφαὶ tantumdem ac quae ſequitur vox notior Αἴνιγμα: quas ſcite Salomonis interpres *ſermonum verſutias* reddidit, vim ſimui & vocis derivationem retinens. Ac memini ab antiquis hac ipſa notione vocabulum τροφῶν fuiſſe uſurpatum: ſed loca nunc veſtigare non datur. Valebant ergo in Oriente artis aenigmaticae ſtudioſi, quam artem ſero in occidente ac modice imitari coeperunt. In ea mirifice excelluit Regina Saba (de qua agitur in III. Reg. cap. X.) quae Salomonis Sapientiam magnopere demirata, maximis muneribus eum cumulavit.

AD SAP. VIII. 9.

Propoſui ergo hanc (Sapientiam) *adducere mihi ad convivendum* &c.] Hinc & ex hîc ſequentibus, imo & ex capitibus quae mox adjunguntur, apparet integritas & ſanctitas Salomonis, dum haec ſcriberet.

AD SAP. X. 12.

Certamen forte dedit illi.] Agitur de Jacobi lucta cum Angelo, qua ille praevaluit,

valuit, unde & *Iſraëlis* (i. e. *praevalentis Deo*) nomen ſibi quaeſivit. Graece hîc legitur: ἀγῶνα ἰσχυρὸν ἐβράβευσεν αὐτῷ. De verbo βραβεύω dixi ad Epiſt. ad Col. II. 18. Verbum eſt ἀγωνιστικὸν, & *certamini praeeſſe*, *ac moderari* ſignificat: interdum & *praemia diſtribuere*, & ἁπλῶς pro ſimplici *tribuere*: quam ſignificationem videtur hîc ſecutus Interpres. Praeterea & ad certaminum judicia refertur; unde & verbum judiciale evaſit. Ex Plutarcho in Romulo affertur βραβεῦσαι τὴν ἔριν ὄρνισι, quod utrum *avium litem dijudicare*, an *avibus adjudicare* ſignificet, ex orationis ἀκολουθίᾳ pendet: quem locum rimetur, ſicui tanti res viſa. Hîc certe *adjudicare* prorſus id verbum notare videtur. Sapientia ſcil. *certamen forte Jacobo adjudicavit*, h. e. fortiter ſe illum geſſiſſe in certamine, ſive praevaluiſſe, decrevit. Ac nequis forte de hac ſignificatione dubitet; Heſychio & Suidae βραβεύει inter cetera ἐπιψηφίζεται ſignificat, h. e. in alicujus gratiam *decernit*, *adjudicat*; idque potiſſimum quando cum dandi caſu jungitur. Suidas: βραβεύει, δοτικῇ: ἐπιψηφίζεται, διανέμει.

AD SAP. X. 19.

Et ab altitudine inferorum eduxit illos.] Graece: καὶ ἐκ βάθους ἀβύσσου ἀνέβρασεν αὐτούς... Vbi bene habet Graeca locutio. Nam βράσσω cum ſuis compoſitis & *fervere* ſignificat, & fervendo *exſpuere* ſeu *exſpumare*, ac frequentiſſime & venuſte ut hîc, de mari dicitur. Lib. 3. Anthol.

. . . . ὁπόσα δ' αὖτε
Βέβραχται ψυχρὴ τῇδε παρ' ἠιόνι.

Philo de mundo: Ὅσα πρὸς αἰγιαλοὺς εἰώθει ἀποβράσσεσθαι. *Quaecumque exſpumantur ad litus*. Chryſoſtomus: Νεκροὺς τοὺς εἰς τοὺς αἰγιαλοὺς ἐκβρασσομένους. *Cadavera quae exſpuuntur in littora*. An & de iſtis Aegyptiis tale aliquid notavit Athenaeus? ἐξεβράσθη inquit ταῖς Ερυθραῖς κατὰ τὴν ἀκτήν. Vide quae ad 2. Mach. I. 12. adnotavimus. Ex βράττω fit apud Italos *Burattare*, quod ad farinam refertur. Nam ἀποβράσσω apud Heſychium eſt διΐστημι πυρούς, ἢ ἄλευρα ὀθόνῃ. Callimachus: ὑδὲν ἀπέβρασε Φαῦλον ἀλετρίς. Vnde ἀποβράσματα Heſychio ſunt τὰ σκύβαλα τῶν πυρῶν, *furfur tritici*.

AD SAP. X. 21.

Quoniam Sapientia aperuit os mutorum; & linguas infantium fecit diſertas.] Alluditur ad verba cauſantis Moſis Ex. IV. *Obſecro Domine, non ſum eloquens ab heri & nudius tertius, & ex quo locutus es ad ſervum tuum, impeditioris & tardioris linguae ſum*. Ergo Sapientia tunc *Aperuit os mutorum*, cum Ex. XVI. divinum illud canticum (*Cantemus Domino, glorioſe enim magnificatus eſt*) Moſi ſe mutum antea cauſanti dictavit. Tunc, ut hîc praedicat Salomon, *Sapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit diſertas*.

AD SAP. XI. 26.

Quomodo autem poſſet aliquid (rerum creatarum) *permanere, niſi tu voluiſſes? aut quod a te VOCATVM non eſſet* (in Graeco τὸ μὴ κληθὲν ὑπό σου) *conſervaretur?*] Initio Geneſis ita Deus creat omnia, tamquam ſi ſingula vocis imperio alloquens, ita demum ex nihilo vocet: *FIAT* inquit, *LVX, & facta eſt*, & ſic in ceteris. Hinc illud ſapienter alibi dictum, *vocans ea quae non ſunt, tamquam ea quae ſunt*.

AD SAP.

AD SAP. XIV. 27. 28. 29.

Ver. 27. *Infandorum enim Idolorum cultura omnis mali cauſa eſt, & initium & finis.*] In Graeco: Ἡ γὰρ τῶν ἀνονόμων εἰδώλων θρησκεία παντὸς ἀρχὴ κακῶ καὶ αἰτία καὶ πέρας ἐστίν. Ἀνώνυμα vocat, quae Homero οὐκ ὀνομαστὰ dicerentur, quaeque pulchre interpres Latinus *Infanda* reddidit.

Ver. 28. *Aut enim dum lactantur, inſaniunt.*] Nam cultus idolorum, praecipue Aſiaticorum, jungebatur cum alienatione mentis atque *inſania* (quam paullo ſuperius v. 23. auctor inſectatur) & quidem non qualibet inſaniâ, ſed cruenta, quia ſe mutuis vulneribus ſauciabant, ac non raro abſumebant.

Aut certe vaticinantur falſa.] Gr. ἢ προφητεύουσι ψεύδη. Aut ſi non aperte falſa reſpondebant, certe non raro ancipiti reſponſo illudebant.

Aut vivunt injuſte, aut pejerant cito.] Hoc ultimum ideirco additur, quia falſi iſti prophetae non raro reſponſis ambiguis conſulentes fallebant, ac ſaepe falſa reſponſa perjurio firmabant.

Ver. 29. *Dum enim confidunt in idolis, quae ſine anima ſunt, male jurantes noceri ſe non ſperant.*] In Graeco ſic: Ἀψύχοις γὰρ πεποιθότες εἰδώλοις, κακῶς ὀμόσαντες, ἀδικηθῆναι ὐ προσδέχονται. Vetus Latinus Sapientiae Interpres hîc & ſaepe alibi *Noceo* cum quarto caſu uſurpavit (quod tamen apud Latinos rariſſimum) quia ſecutus eſt ſyntaxin Graeci textus, qui hodie, amiſſo hebraico, eſt archetypus. Ergo Graece ita legitur: Κακῶς ὀμόσαντες, ἀδικηθῆναι ὐ προσδέχονται. Vbi quia ἀδικέω recte cum caſu quarto nectitur, eamdem ſyntaxin Latinus in *Noceo* eſt ſecutus: *Noceri SE non ſperant.* Et quidem ſaepiſſime Vulgatus interpres *Noceo* cum quarto junxiſſe cernitur, ut Num. V. 19. *Non te nocebunt aquae.* Judith XVI. 7. *Dominus . . nocuit eum.* Pſ. XXXIV. *Judica . . nocentes me.* Eccli. XXVIII. 2. *Nocenti te.* Luc. IV. 35. *Nihilque illum nocuit.* Apoc. XI. 5. *Eos nocere.* Atque haec conſtructio interdum ex archetypi ſyntaxi derivata fuit (uti ſupra ex Graeco loci hujus fluxiſſe vidimus) alibi tamen eamdem conſtructionem ſecutus eſt jure ſuo interpres, quia hanc ſuo tempore in *Noceo* Latium ſequebatur. Vt ecce in Campano marmore (quod ex olim collectis a viro doctiſs. Cam. Peregrinio exſcripſeram) bis ſcalptum memini ORO . VIATOR . NOLI . ME . NOCERE. Sed nolo hoc marmore abuti, quia fieri poteſt, uti ſcalptum fuerit, NOLI MI (pro *Mihi*) NOCERE, neque nunc licet ad eximendum de ſcalptura dubium chartas meas vetuſtas excutere. Verum Tertullianus (quem certe cum accuſandi caſu hoc verbum junxiſſe reperio) ſecundo ac tertio Chriſti ſaeculo ita ſolitum uſurpari ſatis oſtendit. Ergo in *De exhort. Caſtitatis* haud longe a fine libri ſic poſuit: *Puto nobis non magis licere NASCENTEM NOCERE, quam NATVM.* Nec dubitandum eſt, quin attento lectori plurima hujuſmodi exempla ſint ſeſe datura.

Verum cur de antiquiore Latio, an unquam locutum ſic fuerit, cura ſubibat, cum tamen appareat, a Plauto *Nocendi* verbum cum accuſandi caſu fuiſſe conjunctum? quam tractationem in imam (*) oram rejicio, quia ad illuſtrandum non modo

(*) In Plauti vulgatis editionibus in *Mil. glor.* Ac. V. Sc. unica v. 18. *Jura te nociturum eſſe homini nunc hac de re nemini.* Haec quidem vulgata lectio eſt. At vero Taubmannus, in omnibus MSS. quos ipſe viderit, etiam in MS. Cam. Sec. ita reperit:

Jura te non nociturum eſſe hominem de hac re neminem,

modo Sapientiae librum (quem non ſerius altero Chriſti ſaeculo Latinitate donatum vix dubito) ſed & antiquiora ſimilia loca valere poteſt.

Non ſperant.] Aevo medio verbum *Spero* tam de bonis rebus quam de malis uſurpabatur. Eccli. XXIII. 30. *ubi non ſperavit*, (Graece ὑπενόησε) *apprehendetur*. Sequiore aevo, haec tanquam propria verbi *ſpero* notio evaſit, in tantum ut vetus MS. Lucani Scholiaſtes (apud Lindenbrog. ad Ammiani XIV. 7.) notandum ſibi duxerit, quae propria vere olim fuerit ejus verbi ſignificatio; ſic enim ait ad Lucan. l. IV. *Sperare ſalutem: Proprie dixit Sperare: ſperamus enim bona . . . Virg. autem improprie dixit . . ſperare dolorem*. *Ammianus* XIV. 7. *quae* (inedia) *affore jam ſperabatur*; *ac pluribus aliis locis*. *Firmicus lib. VIII. Imminentium culminum ſperet ruinas*. *Saepe etiam Africanus ſcriptor Tertullianus*, *ut de Poenit.* c. 12. *Idem ſibi de die ſperent*. *Et de pallio cap.* 3. *Quod apud Ompalem balſamo, aut telino ſpero* (i. e. *credo*) *factum*. Haec ille vetus Lucani Scholiaſtes.

AD SAP. XVI. 21.

Subſtantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, oſtendebat.] Profeſſio fidei Africanae Eccleſiae apud Victorem Vitenſem III. 2. paullo aliter citata: *Subſtantiam enim & dulcedinem tuam, quam in filios* (alii libri *in filio*) *habes, oſtendebas*. Sed Vulgatae hodiernae ſcriptio vera eſt; quia in Graeco eſt recto caſu ὑπόστασις *ſubſtantia*, & in fine ἐνεφάνισε *oſtendebat*, non vero ἐνεφάνισας. Reliqua commatis hujus ſane quam pulcherrima ſunt: τῇ δὲ τῆ προσφερομένῃ ἐπιθυμίᾳ ὑπηρετῶν, πρὸς ὅ τις ἐβούλετο, μετεκιρνᾶτο. *Et deſerviens uniuſcujuſque voluntati, ad quod quiſque volebat, convertebatur*. Haec ultima eo attuli, ut intelligatur, illud προσφερομένῃ raro exemplo uſurpari non pro eo, quod προσφέρεται, ſed pro eo cui προσφέρεται edulium, de quo hîc agitur. Agitur autem de manna ſenſu litterali: at ſpiritualis & prophetica intelligentia de Euchariſtia eſt.

AD SAP. XVIII. 21.

Properans enim HOMO SINE QVERELA deprecari pro populis.] De Aarone ſermo eſt, qui graece hîc ἄμεμπτος i. e. *inculpatus* vocatur: quae vox aptiſſime poterat in verſione Latina uſurpari; niſi multo aptius atque uſitatius hoc elogium verti SINE QVERELA aut QVERELLA (ut in antiquis titulis quam ſaepiſſime legitur) viſum eſſet interpreti: quam formulam ſaepe aliàs in Latina interpretatione tum hujus libri, tum Novi Teſtamenti reperies.

Proferens ſervitutis ſuae ſcutum, orationem.] Gr. τὸ τῆς ἰδίας λειτουργίας ὅπλον, προσευχήν. Hinc diſce Ὅπλον, cum ſit generis omnis armorum vox, ad ſpeciem tamen

---

idque etiam geminata negatione, uti vides. Elegantiſſimam hanc lectionem adprobavit Meurſius, retulitque in contextum Pareus.

Huc accedunt loca librorum plurium ſacrorum, altero Chriſti ſaeculo, ut videtur, in Latinum traductorum, quae ſupra attuli, in quibus *Noceo* quartum caſum poſt ſe gerit, ſicuti & in hoc ipſo Sapientiae loco: *Noceri ſe* (non vero *ſibi*) *non ſperant*, nec raro alibi. Hoc ergo maneat, NOCEO eſſe ex iis verbis, quae dupliciter conſtruuntur, ſive cum tertio ſive cum quarto caſu.

men saepe referri, ita ut hîc proprie *scutum* notet. Quod autem Noster λειτουργίαν (quae in Scripturis Divinum cultum significat) *servitutem* vertit, ex sermone Hellenistico manavit. Hebraeis עבודה (*abodah* h. e. *servitus*) saepissime Divini Numinis cultum significat. At Hellenistae id vocabulum plerumque cum Graeco λατρείας permutarunt, quod quamquam suapte natura quamvis servitutem significat, tamen in sacris litteris fere semper ad Dei cultum refertur. Idem plane *servitutis* vocabulo accidit, quo ad λειτουργίαν sive ἱερατγίαν significandam hîc & alibi Vulgatus utitur; quemadmodum ad Gal. V. 20. & ad Ephes. V. 5. est *Idolorum servitus*; & ad Colos. V. 1. *Simulacrorum servitus*. Neque id vero profanorum exemplo caret. Memini legisse in antiquo marmore Neapoli apud Cl. Josephum Vallettam, in quo ὑπὸ δεῖνα SERVITOR. DEORVM dicitur.

Orationem & per incensum deprecationem (Τὸ *Per incensum deprecationem* junctim, quasi sit nomen unum, intelligi volo: in Gr. θυμιάματος ἐξιλασμὸν, *incensi expiationem*) *allegans, restitit irae, & finem imposuit necessitati* &c.] Haec omnia de Aarone sunt intelligenda, qui Mosi datus ceu minister sermonis. Sicuti contra Moses erat minister operis, quod Exodi loca plura significant, ut Ex. IV. 14. 15. 16. *Ipse* (Aaron) *loquetur pro te* (Mose) *ad populum, & erit os tuum*. Et alibi pluries. Ergo illud *Allegans* (Aaronis peculiare) nihil commune cum superioribus habet, sed cum sequenti *Restitit* nectitur: *Allegans restitit irae*. *Allegandi* verbum in reconcilianda gratia valet plurimum. Cicero ab Attico rogatus, ut ei veterem Lucceii gratiam recuperaret, respondet lib. 1. ep. 11. quiddam in Lucceii animo insedisse, *quod neque*, inquit, *epistolae tuae neque nostra allegatio tam potest facile delere, quam tu praesens* &c. Ad quem locum quod viri eruditi notant *allegare* idem valere quod *submittere* &c. nihil est. *Allegatio* ibi apud Ciceronem est *excusatio*, ut apud Marcianum JCtum *falsis allegationibus se a tutela excusare*. Eàdem notione, opinor, dixit hîc noster interpres *allegans restitit irae*.

Et finem imposuit necessitati.] H. e. *calamitati*. In Graeco enim hîc συμφορᾷ legitur. At alibi saepissime in Graeco Biblico pro συμφορᾷ usurpatur ἀνάγκη h. e. *necessitas*. Hinc sermone Biblico *Necessitas* & *calamitas* tamquam synonyma permutantur.

In ceteris Sapientiae, quae sequuntur, nihil nec rerum nec verborum notabilium notare libuit, propterea plurima sese scripturo offerrent. At pauciora, quae adlevi, satis ad libamentum esse posse putavi: reliqua vero rerum verborumque novorum industrii lectoris diligentiae reliqui, ut ea ipse notaret, & illustriora ipse redderet, si placeret.

DISSER-

DISSERTATIO

AD SAP. VI. 26.

DE VOCABVLO ΚΟΣΜΟΣ (*MVNDVS*)

DEQ. ANALOGIS ALIIS VOCIBVS

Sive in libro Sapientiae ſive alibi pluries uſurpatis.

MONITVM.

VEreor equidem ne praeſcriptus huic Diſſertationi titulus in ſpretum commentationis ipſius, quaſi mere grammaticae deque trivio petitae, cedat. Nec tamen ita res habet, quia vocabula quamvis tritiſſima, aliam aliis aetatibus, apudque alios populos vim habuere: ex quorum cenſu ſunt ea, de quibus ſumus hîc locuturi, puta MVNDVS, ΚΟΣΜΟΣ, עולם Olam, ΑΙΩΝ, & ſimilia: in quibus non paucae oriuntur difficultates, quibus tum ſacra antiquitas, tum divinus Sapientiae liber implicatur: nec tantum in Graeco, ſed & in eo, qui eſt antiquiſſime ex Graeco Latine redditus. Nec tamen in talibus cognoſcendis profectus erit, niſi cum vocibus hodie tritis notiones antiquorum nexuerimus. Haec pauciſſima ad removendam a grammaticis tricis (tum alibi paſſim in Spicilegio, tum in hac Diſſertatione) nauſeam utilia duxi: mihi vero ipſi propemodum neceſſaria: qui poſtquam haec typis mandaveram, pertaeſus grammaticarum ſubtilitatum, adhuc haerebam in emittendis.

SECTIO I. *εἰσαγωγική.*

IN Sap. VI. 26. ita ſcriptum legimus. *Multitudo enim ſapientium ſanitas eſt orbis terrarum.* At ibi Graece eſt *Sanitas Mundi.* Eſt, inquam, ibi vox Κόσμου (*mundi*) quae multo latioris eſt notionis, non vero οἰκουμένη, quae unice *Orbi terrarum* reſpondet. Atque hic Sapientiae locus cum ſimilibus aliis videtur antiquiſſimus omnium, quibus Κόσμος, non, uti primitus, pro rerum creatarum univerſitate, ſed unice pro orbe terrarum, quem incolimus, uſurpatur. Sicuti & intra c. XIV. 14. Κατοδοξία γὰρ ἀδικώτων εἰσῆλθεν εἰς κόσμον, nempe ἐκκλησία εἰδώλων. Interpres: *ſupervacuitas* (nam Κατοδοξία recto caſu noſter interpres legit,) *ſupervacuitas enim hominum advenit in orbem terrarum.* Eadem vero Κόσμου notio occurrit in Gr. 2. Mach. III. 12. & VIII. 18. ſaepiſſime vero in N. Foedere; itaut Judaeorum Helleniſtarum peculiaris fuerit iſta loquendi conſuetudo, ut ΚΟΣΜΟΝ pro οἰκουμένη potius uſurparent, quam pro rerum omnium univerſitate. Sed quando Auctor Sapientiae longa ceteris omnibus aetate antecivit: non invitus facio, ut de variis κόσμου notionibus hîc potius quam alibi diſſeram.

SECTIO II.

De diverſis Κόσμου acceptionibus: ac primum pro rerum univerſitatis compage.

Κόσμος notione philoſophica definitur ab Ariſtotele in libro de Mundo ſeu de Caelo initio: Κόσμος ἐστὶ σύστημα ἐξ οὐρανοῦ καὶ γῆς, καὶ τῶν ἐν τούτοις περιεχομένων φύσεων. *Mundus eſt compages caeli terraeque, & ex naturis, quae in his continentur.* Atque haec eadem definitio ſub nomine Diodori cujuſdam exſtat in Scaligeri notis ad Manil. lib. V. p. 120. ver. 13. cui plures alias ex eodem Diodoro addit finitiones ex quibus nil aliud, quam ut rerum univerſitas *Mundi* nomine veniat, intelligitur. Nec ibidem Platonis definitio omittitur, qua ſub κόσμου nomine ὁ τῶν ἀπλανῶν (*Fixarum*) σφαῖρα jubetur intelligi. Et quidem Hebraeorum antiquiſſimis nullum erat Hebraeum vocabulum,

cabulum, quod unum ac per se solum huic κόσμῳ significationi responderet: unde & Gen. I. 1. & alibi loco *Mundi* usitata illa caeli & terrae periphrasis usurpatur. Sed postea sensim vox biblica עולם *Olam* pro rerum universitate coepit usurpari, uti mox declarabitur. Huc & Mundi nomen Aegyptium pertinet, de quo vide dicta ad Gen. XLI. 45. ad illud *Salvatorem mundi*.

Apud Graecos autem (1) Pythagoras omnium, si creditur, primus rerum istam universitatem Κόσμον appellasse traditur, non tam opinor ab ornatu (uti vulgo sibi persuadent) quam a distributione partium universi, eo imposito nomine; quippe cum videam, quem alii κόσμον, hunc Democritum μίγμα διάκοσμον appellasse, ut infra dicam.

SECTIO III.

ΚΟΣΜΟΣ *SEU MVNDVS.*

Antiquioribus temporibus pro caelo late sumpto, at postea pro orbe terrarum seu οἰκουμένῃ usurpatus.

Quid sit sermone primaevo vox *Caelum*, ab initio Moses docuerat, cujus sunt haec prima verba, *In principio creavit Deus Caelum & terram*: quorum ambitu verborum id totum complexus fuit, quod postea *Mundum* vocari placuit. Ergo Κόσμος (*mundus*) non aliud initio quam *Caelum* fuit. At inquies, quid necesse erat adjungi τὸ *Et terram*: nimirum multesimam Caeli partem, quae cum caelo composita puncti instar evanescit? At additum hoc fuit, quia pars caeli, h. e. Mundi praecipua non nisi *Terra* futura erat, quippe homini (cujus gratia Moses haec scripsit) ad habitandum data.

Et quidem Mosaica priora istiusmodi vetus Graecia didicerat, teste Platone iis Timaeo sic scribente, *ὁ δὴ πᾶς οὐρανός, ἢ κόσμος, ἢ καὶ ἄλλο ὅτι ποτὲ ὀνομαζόμενος μᾶλλον, ἐξ ἀρχῆς τοῦτο ἡμῖν ὀνομάσθω.* Quae Cicero totidem ferme verbis in de Univer. sic reddidit: *Omne igitur CAELVM, sive MVNDVS, sive quo alio vocabulo gaudet, hoc a nobis nuncupatus sit.* Ergo Mosaica isthaec olim probe norat, & eisdem verbis fatebatur quidquid eruditae Graeciae fuit. Imo nec alius veteris Latii sensus, nec alia lingua fuit. Sicut enim apud veteres Graecos *Caelum* & *Mundus* erant synonyma: sic illud (quod ex Ennii Scipione Macrobius VI. 2. attulit:

Mundus caeli vastus constitit silentio)

non tantum cum Ciceronis loco celebri ex *Univer.* consonat, verum & cum his aliis, in quibus *Mundi sidera* sunt *Caeli sidera*. Attius, *Splendida mundi sidera*. Lucretius, *Aeterni sidera mundi*. Catullus; *Concussitque micantia sidera mundus*. Virgilius, *Clarissima mundi Sidera*.

Huc & illud adde, quod & H. Stephanus ex Graecis epigrammatibus a se lectis hoc collegit, ΚΟΣΜΟΝ interdum pro Caelo sumi, & ut arbitror, etiam cum sphaera elementari quam complectitur. Adde & illud quod Mich. Psellus de ea notione dubitare non sinit; qui lib. *de omnifaria doctrina* (quem librum Fabricius volumine V. bibliothecae Gr. inseruit) n. 122. ait: *Οἱ πέρῖξ μοι κύριοι ἔφασαν εἶναι δοκεῖν τὸ τρίζυγον τὸν κόσμον ὀνομακέναι, εἴτε ὅτι πᾶσι μένει, Κόσμον κατονομάζοντες, εἴτε ὅτι ἐν τῷ Τιμαίῳ, εἴτε μετὰ τῶν πλείστων καὶ τὸ σοφώτατον. Non longe mihi ab insania abesse videntur, qui mundum nutriri existimant; sive caelum dumtaxat Mundi nomine appellant (ut in Timaeo Plato) sive una cum aethere etiam quatuor elementa*, h. e. orbem terrarum.

SECTIO IV.

Quod ΚΟΣΜΟΣ *seu* MVNDI *vox pro οἰκουμένῃ postea sive pro Orbe terrarum acciperetur.*

A Latinis incipio, tum ad Graecos digrediar; utriusque enim *Mundi* nomen οἰκουμένην tribuebant. Apud Latinos ergo, *Mundus* haud raro terrarum orbem aut terrae incolas designat. Lucretius V. 351.

Et cecidisse urbes magno vexamine MVNDI.

Plinius XXX. 1. *Osthanes Xerxem Regem Persarum bello, quod is Graeciae intulit, comitatus, ac velut semina artis portentosae sparsisse,*

(1) Pythagoram primum volunt Κόσμον nomen universitati rerum imposuisse: etsi Jobus Ludolfus Comm. ad hist. Aethiop. pag. 208. a Phoenicibus petitum id nomen suspicatur. Haec quorsum accipienda, parum video; nam potius Procolo assentior (lib. 2. in Timaeum Platonis pag. 83. edit. Basil.) affirmanti nomina Οὐρανὸν itemque Κόσμον: Παρὰ τοῖς παλαιοῖς πολλὰ ἔσχον ἀμφιβολίαν. Ea dicit duo nomina apud antiquos ambiguitate magna laborare. Nec immerito sic loquitur, quia ut infra dicam (ubi res popposcerit) antiqui plurimum latiore ambitu Κόσμον usurpabant; sicuti & aevi Enniani scriptores *Mundi* nomine non aliter antiquitus utebantur, quam sive pro universitate sive pro caeli immensitate spatiorum.

ſparſiſſe, obiter infecto quacunque commeaverat MVNDO. Lucanus VII. 56.

Ite per ignotas terras famoſaque regna,
Et primo ferri motu proſternite MVNDVM.

Idem pro terrae incolis II. 48. *Conjuret in arma Mundus*. Seneca Herc. Oet. 541. *Te precor, quem mundus & ſuperi timent*. Ammianus XIV. 8. *Antiochia mundo cognita civitas*. Propertius IV. 3. 35. *Pictos ediſcere mundos*. Hor. I. Serm. 3.

Jura inventa metu injuſti fateare neceſſe eſt,
Tempora ſi faſtoſque velis evolvere mundi.

De Latinis hactenus. At in Graecis copia non minor; maxime ſi linguas ſcriptorum ſequar; quia & Major Graecia non niſi in Italia floruit, & imperia terrarum prope omnia colebantur a Graecis, & οἰκουμένη non alio fere tota quam ore Graeco ſonabat. Ac plane ſubierat illa animum dubitatio, an non a Pythagoreis (ut qui ἕκαστον τῶν ἀστέρων terramque ipſam (2) κοσμοειδῆ h. e. *aſtra omnia terramque ipſam* inter mundos recenſent) a Pythagoreorum inquam loquendi conſuetudine fluxerit, ut aſtra omnia, ſimulque tellus totidem κόσμοι dicerentur: ſicuti & indidem videtur inoleviſſe conſuetudo, ut ΚΟΣΜΟΣ orbem terrarum, quaſi unum e κόσμοις minoribus ſignificaret. Hinc in eo quod Magnum Alexandrum docuit Anaxarchus, plures eſſe habitabiles Mundos, valde eum pupugit, quod ne unum quidem adhuc ſubegiſſet. De quo vide Aelianum lib. IV. cap. ult. & Mich. Glycam, apud quos legitur: ὅτι καὶ φιλοσόφου τινὸς ἤκουεν (Ἀλεξάνδρου) εἰκότως ἀπείρους εἶναι κόσμους· καὶ μέγα τινὰς ἴσχυ· ἀπείρων ὄντων, μηδενὸς ἐγὼ κυριεύσω. Idem narratur a Simplicio & aliis.

Verum praeter hunc locum (ceteroqui non maximorum ſcriptorum auctoritate fultum) non uſquam alibi facile apud Graecorum antiquiores τὸν κόσμον pro ſolo orbe terrarum reperias. Imo in Ammonii opuſculo κατὰ στοιχεῖον (quod exſtat in H. Steph. Appendice Theſauri i. e. to. V. pag. 41. inſcribiturque: Περὶ ὁμοίων καὶ διαφόρων λέξεων) Κόσμον differre ab Οἰκουμένη, aperte reperio his verbis: Κόσμος Οἰκουμένης διαφέρει· τὸ μὲν περιέχει οἰκουμένην καὶ ἄσχα· τὸ δὲ, γῆν μόνον τὴν φανερὰν. Hinc quod Diogenes Cynicus ſe Κόσμου πολίτην vocabat, poteſt hoc ad mundum univerſum referri.

Sed jam venio ad eos, qui Κόσμον pro ſola Οἰκουμένῃ acceperunt: qui quia ab aevo Caeſarum ſeſe turmatim offerunt; confuſe ideo quae mihi ſe loca, praecipue Graecorum dabunt, hîc referam. Athenaeus, utpote poſterioris Graeciae ſcriptor, κόσμον pro telluris globo accepiſſe ſine controverſia mihi videtur. Nam lib. VI. c. 4. de iis, quae ἀδιάφορα Stoici vocant, differens ait, aurum, argentum, & horum ſimilia idcirco ſuam naturam in κόσμῳ (*mundi*) ſive terrae venas abdidiſſe, neque in lucem propuliſſe (ἐκβάλλειν, inquit, ἐν τῷ κόσμῳ i. e. *ex terra*) ut defatigati deſinant ea quaerere; ὑδὶ γὰρ ἡ φύσις ἐκβάλλειν ἐν τῷ ΚΟΣΜΟΥ &c.

Nec ſecus vetus auctor ſphaerae Empedocli falſo tributae, (qui quiſquis fuit, Pythagoreus certe recentior fuit) v. 150. de Aquario glaciem inducente loquens, κόσμον pro terra dixit:

Κόσμον καλύπτων εἰδάτι λευκῷ.
Operitque mundum veſte veluti candida.

Ac v. 89. de Κριῷ (*Arietis*) etymo differens, ſic appellatum ait, cum in caelum translatus fuit

Ὅθι γε Κόσμῳ κόσμον ἀντηλλάξατο,
Cum Mundo ubi mutavit aſtriferas plagas.

Nec dubito, quin recentioribus Pythagoreis illis qui ad nos uſque aetatem prorulerunt, haud inſolens illa eadem ab antiquioribus ad ſe tranſmiſſa Κόσμου pro tellure uſurpatio reperiatur.

At vero Democritus, qui (Laërtio, Athenaeo, Suida teſtibus) ſuum de Univerſo opus Μέγαν Διάκοσμον h. e. *magnum digeſtum* inſcripſerat, idem quoque, uti teſtatur Laërt. IX. 41. ΜΙΚΡΟΝ Διάκοσμον inſcriptum reliquit, hoc eſt *De parvo digeſto* ſeu *parvo mundo*, i. e. de orbe terrarum, uti mihi perſuadeo.

(2) Stobaeus Ec. phyſ. 54. ait Ἡρακλείδης καὶ οἱ Πυθαγόρειοι ἕκαστον τῶν ἀστέρων κόσμον ὑπάρχειν, γῆν περιέχοντα ἀέρα καὶ αἰθέρα, ἐν τῷ ἀπείρῳ αἰθέρι· ταῦτα δὲ τὰ δόγματα ἐν τοῖς Ὀρφικοῖς φέρεται· κοσμοειδῆ γὰρ ἕκαστον τῶν ἀστέρων. *Heraclides & Pythagorei unumquodque aſtrorum mundum eſſe aſſumunt, qui tellurem, aërem, & aetherem complectatur, in infinito aethere. Traduntur autem haec placita in Orphicis carminibus, in quibus in unoquolibet aſtro ſuus mundus peculiaris agnoſcitur.* Atque in Orphicis haec lecta fuiſſe, teſtatus fuerat & Plutarchus de plac. Philoſ. lib. 2 c. 13. Euſebius XV. praep. 30. Galenus hiſt. philoſ. c. 50. A Pythagoreis autem (puta Ocello Lucano, Philolao, Nicета ſive Iceta Syracuſio, Occete, Empedocle, aliis: (nam fuit hoc dogma hujus ſectae peculiare) tranſiit eadem opinio & ad tranſmarinas alias ſectas; vix ut quis aliquo nomine philoſophus exſtiterit, qui non plures in uno mundo mundos inaedificaverit. Ita comminiſci iſta & horum ſimilia pronum cuilibet veterum illorum ſapientum fuerat.

ſuadeo. Adhaec Ammonius in Ariſtotelis vita tractaſſe illum etiam θεολογήματα teſtatus, ſubjungit: ὁ γὰρ τὰ ἐγκόσμια μόνα ᾔδει, ἀλλὰ καὶ τὰ ὑπερκόσμια: ubi quia per ἐγκόσμια Ammonius intelligit *terreſtria & ſublunaria*; per ὑπερκόσμια *ſuperlunaria* certe intelligat, neceſſe eſt.

Atque equidem vetuſtiorem ſimulque luculentiorem non inveni adhuc apud profanos ſcriptores locum, quo κόσμος pro οἰκουμένη capiatur, quam in celeberrimo Adulitano monumento, quod Coſmas Indicopleuſtes ſuae τοπογραφίᾳ παντὸς κόσμου inſeruit: exſtat autem in Graeca Fabricii Bibliotheca. In eo monumento (quod poſtea Ancyranis Auguſti tabulis videtur exemplo fuiſſe) Ptolemaeus Evergetes ubi gentes a ſe domitas recenſuiſſet, ait: Καὶ ἐν τέρμῃ καταστήσας τούτοις τὸν ὑπ' ἐμοὶ ΚΟΣΜΟΝ &c. *Atque ubi totum eum, qui mihi ſubjectus eſt, Mundum pacatum conſtituiſſem* &c. Ergo ſicuti Romanus orbis dici ſolebat οἰκουμένη, ſic iſte rex ſuam ditionem paullo ante ΚΟΣΜΟΝ i. e. Mundum appellarat.

Hactenus de Κόσμου decem *Mundi* notionibus: nunc ad עולם *Olam* & ad Αἰῶνα (quae duo in Scripturis & apud antiquos vocabulo *Mundi* reſpondent) tranſeo.

SECTIO V.

De Hebraico עולם *quo paſto vocabulis ſuperioribus itemque Graecanico* αἰὼν *congruat.*

De Judaeis Helleniſtis incerta eſt quaeſtio, unde hoc hauſerint, ut orbem terrarum Κόσμον nuncuparint. An quia (κόσμων) *mundorum* pluralitas non modo philoſophis amica, ſed & latiſſime per orientem pervagata in tantum fuerit, ut non apud Judaeos ſolum, ſed & Chaldaeos, Arabes (apud quos in Alkorano *jurâ* primâ *Deus mundorum* occurrit) adhaec apud Sinenſes Brachmanes alioſque plures eadem conſuetudo loquendi ſentiendique fuerit. Nec ſane mihi aliter quam ab orientalibus ad Orphicos, ab his vero ad Pythagoreos, Judaeoſque dogma iſtud mundorum plurium propagatum videtur. Sed de his vide tum alios, tum etiam tritiſſimum Buxtorfii lexicon Thalmudicum col. 1620. & Fabricium lib. 1. biblioth. Graecae cap. 20. n. 12. Haec quidem propagatio nominis κόσμου ſpecie veri non caret: quamquam difficile eſt tam diffitas gentes (veluti Italos Pythagorae diſcipulos, itemque ſparſos per totum Orientem philoſophos) non ſolum in id conſenſiſſe ut orbem terrae κόσμον ſive *mundum* vocarent, verum etiam, ut & πολυκοσμίαν admitterent.

Atqui utut iſta hancant; certe vox κόσμος apud Judaeos Helleniſtas id ſignificat, quod apud Hebraeos, Chaldaeos, Syros, Arabas vox עולם *olam*. Illud vero *olam* apud Hebraeos ſacpiſſime αἰῶνα notat, ſed non rarius imo verius *mundum* (3) ſignificat: etſi LXX interpretes αἰῶνα ſemper, nunquam vero κόσμον loco Hebraici *olam* uſurparunt. Verum ſecutis temporibus poſtquam Hebraeus ſermo deſiit eſſe vernaculus, cum illud עולם Syriace, Chaldaice, Arabice non minus uſitate pro *mundo*, quam pro *ſaeculo* uſurparetur, hinc Judaei Helleniſtae αἰῶνα retinuerunt, ubi de duratione (quaſi menſura temporis eſſet) agebatur; ubi vero *Olam* mundum ſignificaret, utpote ſpatii vox, ibi κόσμον quidem frequentius, etſi non raro etiam αἰῶνα (4) uſurparunt. Quam αἰῶνος & κόσμου συντελείας vulgatus Latinus

(3) In veteris quidem Inſtrumenti paginis non raro *Olam* pro rerum univerſitate ponitur: etſi in iſdem locis etiam αἰὼν in Graecis interpretibus legitur; ac vix ulli dubium eſt quin apud Jobum XXII. 15. τὸ *Olam mundum* ſignificet. Ibidem tamen pro *Orach Olam* (h. e. *ſemitam mundi*) LXX τρίβον αἰῶνος poſuerunt, Noſter *ſemitam ſeculorum*. Hebraeus textus ſic verti poteſt: *Numquid ſemitam mundi* (*mundi*, inquam, nam praecedentia ad mundum referuntur) obſervabis? PS. LXV. 6. *Qui dominatur in virtute ſua in aeternum*. Graece Διατείχων ἐν τῇ δυναστείᾳ αὐτοῦ τῷ αἰῶνι h. e. *dominans in virtute ſua ſaeculum*. Sed verte *mundum*, ſive potius *orbem terrarum*, quod contextûs συνέχεια ſuadet. Quo & illud Severi Sulpicii in I. Sacrae Hiſt. V. pertinet: *Igitur vacuo tum ſaeculo* (i. e. orbe terrarum) *ex filiis Noëmen fuit*. Ad haec Eccleſiaſtae III. 11. Noſter etiam *Mundum* vertit: *Mundum*, inquit, *tradidit diſputationi eorum*. Ibi Heb. legitur: *Olam* (h. e. *mundum*) *dedit in corde eorum*. Graeci tamen hîc etiam αἰῶνα poſuerunt, ſicuti & in N. T. αἰὼν ſaepè pro mundo ſumitur, quaſi ſynonyma ſint.

(4) Patet hoc ex ſcriptoribus Novi foederis, apud quos αἰὼν tantumdem ſaepe valet quod κόσμος. Matt. XXVIII. 20. ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος, *Uſque ad conſummationem mundi*. Ad haec 2. Cor. IV. 4. ὁ θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου Satan dicitur, qui Joh. XII. 31. & alibi ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου appellatur: diabolus autem ſic mundi Deus eſt, quomodo *venter* Phil. III. 19. Sed & Luc. XVI. 8. & XX. 34. οἱ υἱοὶ τοῦ αἰῶνος τούτου h. e. κόσμου τούτου, qui & κοσμικοὶ, *mundani* dicuntur

nus interpres cum animadverteret, hinc Joh. XV. 18. & ſeq. *ſaeculum* ubique reddidit; etiam ubi κόσμος apud Johannem iuvenit (5).

Ex hactenus dictis intelligitur, apud Judaeos Helleniſtas latius αἰῶνος quam κόσμου uſurpationem patuiſſe. Nam Ἀιὼν cum τῷ *Olam* per omnia reſponderet; in omnes Judaici vocabuli ſignificationes ſucceſſit: κόσμος autem quia uni tantum τῷ *Olam* (pro *Mundo* accepti) notioni reſpondebat, nunquam pro durationis vocabulo uſurpatum fuit.

Tametſi κόσμος ipſe multo latius apud Judaeos Graece loquentes, quam apud profanos patuit. Apud hos quidem vix aliter quam pro rerum univerſitate uſurpabatur. At apud illos praeter hanc vulgarem ſignificationem, & orbem habitabilem ſive οἰκουμένην, & terrigenas ipſos, & ſaepiſſime homines terrenis cupiditatibus implicitos notabat. Poſtrema quidem hac notione cum uti volebant, modo κόσμος, modo αἰῶνα promiſcue uſurpabant. Omnes vero iſtae quatuor notiones ex uſu Chaldaico, Syriaco, Arabicoque vocis *Olam* omnino manarunt.

Illud poſtremo animadverto τὸ *Olam* utroque ſignificatu (ſive ubi *ſaeculum*, ſive ubi *mundum* ſignificat) ex eo dictum putari, quod tum illius diuturnitas, tum hujus immenſitas nobis lateat: עלם *alam* namque *latere* ſignificat. Niſi & a mundorum pluralitate etymon arceſſi placet, quaſi ſcilicet pleraque mundorum pars nobis obſcura lateat. Haud enim ſcio, an eo ſit referendum, quod ex libro Zoharitarum reperi apud Fabricium lib. 1. Bibl. Graecae c. 20. n. 12. quo in libro (cui non parum antiquitatis tribnitur) *Deus Mundorum* dicitur *tum revelatorum* (qui tres Rabbinis (6) eſſe videntur) *tum abſconditorum*, qui ex eorum ſententia ſunt innumeri. Sed his miſſis, equidem ſic ſentio τὸ *Olam* primario *ſaeculum* ſive diuturnitatem ſignificare, a *latendo* ſcilicet; ſecundaria vero ſignificatione non tam *mundum*, quam *mundi curſum* ac veluti *ſaeculum* (quae plena locutio ad Epheſ. II. 2. reperitur, κατὰ τὸν αἰῶνα τοῦ κόσμου τούτου) deſignaſſe. Ex quo autem poſteriore hoc ſignificatu uſurpari caepit, gradus inde & ad mundum ἁπλῶς notandum factus eſt.

---

cuntur Joh. IX. 32. ἐκ τοῦ αἰῶνος οὐκ ἠκούσθη. h. e. a mundo condito. Sic Luc. I. 70. nomine τῶν ἀπ' αἰῶνος προφητῶν, & Act. III. 21. προφητῶν ἀπ' αἰῶνος, prophetas qui a mundi origine floruerunt intellige: ſic & מעולם *meolam* non raro in V. T. uſurpatur. Atque hanc κόσμου & αἰῶνος συνουσίαν unde hauſerit ſphaerae illius auctor, quae vulgo Empedocli tribuitur, ignoratur. Eam Fabricius lib. 2. Biblioth. Graecae cap. 12. edidit. Ita ſi minus Empedoclis, peraniiqua certe eſt. Is auctor v. 81. ita de ſignifero dicturus orditur:

Ἄλλη δὲ κόσμου τοῦδε τ' αἰῶνος δρόμου,
Ὡς εὖ διετάξαντο αὐτοῦργος φύσις: verte ſic:
Adverte, mundi hujuſque curſum ſaeculi
Bene ut ordinarit inſitâ natura vi

Ubi & hoc adnotandum eſt, quemadmodum apud Judaeos עולם *Olam* proprie non tam *mundum* quam mundi curſum (quod & αἰὼν ſive *ſaeculum* dicitur) notat, ſic ſphaerae illius Auctorem δρόμου κόσμου & αἰῶνος dixiſſe; ferme ut videatur Helleniſtarum ore locutus.

(5) Joan. XV. 18. ſexies *ſaeculum* latine redditur, ubi tamen Graece κόσμος reperitur, ut in ea interpretatione quam affert Cyprianus ep. 56. *Si ſaeculum vos odit, mementote quia me priorem vobis odiit. Si de ſaeculo eſſetis, ſaeculum quod ſuum eſſet amaret. Sed quia de ſaeculo non eſtis, & ego elegi vos de ſaeculo, propterea odit vos ſaeculum.* Plura adnotavi ad eum locum.

(6) Vide Buxtorfium in lex. Thalmud. pag. 1620. ex Rabbinor. ſententia trea aſſignantem mundos inferiorem hunc terraqueum, alterum mediam planetarium ac ſtelliferum, tertium angelorum & animarum, quem & ſpiritualem appellant. Vide & Grotium ad 2. Cor. XII. 2.

AD

AD ECCLESIASTICI LIBRVM.

De titulo ECCLESIASTICI *vulgata ſunt omnia : quae tamen compendifacta hîc* (1) *quoque lectorem habere inferne volui.*

AD ECCLI. IV. 36.

Non ſit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta.] Haec in Graeco, ſicuti in Latino, ſunt quidem in fine capitis, ſed tamen verſu 31. Is ergo verſus ſic Graece legitur : Μὴ ἔτω ἡ χεὶρ σου ἐκτεταμένη εἰς τὸ λαβεῖν, καὶ ἐν τῷ ἀποδιδόναι συνεσταλμένη. Atque haec una fuit olim ex ratis ac pervulgatis ſapientum antiquorum ſententiis, quam Diogenes Cynicus apud Laërtium pulchre expreſſerat, monens, ut extendantur ad amicos manus, verum μὴ συγκεκαμμένοις τοῖς δακτύλοις (*digitis non contractis*). At ſuperiorem Jeſu Sirachidae ſententiam imitatus eſt in ſua epiſtola Barnabas cap. XIX. Μὴ γίνου πρὸς μὲν τὸ λαβεῖν ἐκτείνων τὰς χεῖρας, πρὸς δὲ τὸ δοῦναι συσπῶν. *Noli porrigere manus ad accipiendum, ad dandum vero contrahere.* Ad quem Barnabae locum Cotelerius pluſcula in eamdem ſententiam aliorum effata cumulavit, quae cognoviſſe neminem puto poenitebit. Cotelerius adeatur. Sed tamen Cyrilli Hieroſ. locum ex Catech. 13. ne fraudi lectori ſit, nolui omittere, qui ita a Cotelerio recitatur : μὴ γὰρ ἔτω σοι ἡ χεὶρ μόνον ἐκτεταμένη εἰς τὸ λαβεῖν, ἀλλὰ καὶ εἰς τὸ ἐργάζεσθαι ἕτοιμος. Qui vir Cl. licet Latinas translationes Graecorum locorum in more habeat praeterire ; tamen quorumdam ſaltem locorum difficultates utinam diluiſſet. Vt ecce in Cyrilli loco ἐργάζεσθαι non eſt *operari*, ſed eſt *largiri indigenti ſtipem.* Id veteres Chriſtiani Scriptores non tantum Graeci, ſed & Latini ex Biblica phraſeologia imitati, paſſim arripuerunt : de quo ad convenientia N. T. loca fuſius loquar. Ergo Cyrilli Hier. locus ita reddendus: *Ne tua manus ad accipiendum tantummodo porrigatur, ſed & prompta ſit ad indigentibus ſubveniendum.*

AD ECCLI. V. 17.

Denotatio peſſima ſuper bilinguem]. *Denotare* pro *condemnare* occurrit bis infra XIX. 5. 6. ubi *Denotabitur*, in Graeco eſt καταγνωσθήσεται; ſicut hîc *denotatio* in Graeco κατάγνωσις. Ac ſaepe ſane Tertullianus ea verbi notione utitur. Adv. Valentin. cap. XI. *& tamen tolerabo quod ... illam magis doctrinae denotabo perverſitatem,*

(1) Ad hauriendam hujus libri notitiam legatur ſaltem *Prologus* ejus Jeſu, qui librum, a ſeniore *Jeſu* avo ſuo lingua orientali ſcriptum, in Graecum tranſtulit. Senior ille Hebraice ſcripſerat: ſed alii malunt, ſermone Hebraeo-Syriaco avi ſcriptionem proceſſiſſe. Auctori huic *Sirachus* filius exſtitit, qui *Jeſum* juniorem illius auctoris nepotem, a ſe reliquit. Hic Jeſus junior (qui & Prologi auctor) avi ſui iſtud ſententiarum utiliſſimum promptuarium graecitate (quam potuit plurimorum in Aegypto annorum commoratione comparare, aut paratam antea perpolire) donatam edidit, quae in Bibliis Gr. exſtat. Quis demum Latine verterit, obſcurum. Sed ſe ſatis vetuſtam hanc Latinam interpretationem eſſe ipſamet legenti teſtatur.

Digitized by Google

tem, quod &c. Adverſus Prax. c. 18. *Nonne denotaſſes vanitatem.* Idem lib. 1. ad Nat. c. 1. huic φάσει *Damnati maerent*, alteram hanc opponit: *Si denotatur, gloriatur.* Poſtremo hinc intelligitur quid illud ſit Apoleg. c. 1. *Et ſunt tanti* (οἱ χριστιανωθέντες), *quanti & denotamur.* Dici non poteſt quam multa inter veterem hunc interpretem ac Tertullianum conveniant. Ac porro locutio inde fluxit, quod damnationem *Denotatio* praecederet, ut apud Cic. pro lege Manil. c. 3. *Qui una die . . . . cives Romanos necandos trucidandoſque denotavit.* Quintil. declam. XIX. 13. *omnium denotatione damnatus.*

De bilingui autem haec habet Barnabae epiſtola par. 2. cap. 1. ἐκ ἴσου δίγνωμος, ἐδὲ δίγλωσσος· παγὶς γὰρ θανάτου ἐστὶν ἡ διγλωσσία. Alibi hoc libro *bilingues & peccatores* tamquam συνώνυμα noſter Sirachides uſurpavit.

AD ECCLI. XXII. 25.

Mittens lapidem in volatilia, dejiciet illa: ſic & qui convitiatur amico, diſſolvit amicitiam.] *Dejicio* & ἐκβάλλω (quod eſt in textu Graeco) in veteribus Gloſſis ſunt ſynonyma. Ad hoc adagium quod attinet, reperitur paulo aliter in Ariſtotele in IV. Metaphyſ. 5. de iis qui perverſe veritatem inquirunt: τὸ γὰρ τὰ πετόμενα διώκειν, τὸ ζητεῖν ἂν εἴη τὴν ἀλήθειαν. *Nam iſto modo quaerere veritatem, quid eſt aliud quam volucres perſequi?* quos quo magis perſequeris, eo magis a te abigis. Perſius III. 60.

Eſt aliquid, quo tendis, & in quod dirigis arcum?
An paſſim ſequeris corvos teſtaque lutoque?

AD ECCLI. XXV. 20.

Et omnem obductum & non obductum odientium.] Graece eſt ἐπαγωγὴν, quae vox ſaepe apud hunc ſcriptorem pro invaſione hoſtili accipitur, quemadmodum apud Thucydidem διὰ τὴν τῶν Αθηναίων ἐπαγωγὴν: ſupple στρατῷ aut quid ſimile, quippe cum apud eumdem Thucydidem plena locutio occurrat ἐπαγωγὴ συμμαχίας, quaſi dicas *auxiliarium copiarum obductatio*. Ergo pro ἐπαγωγῇ Vetus noſter interpres ſubſtituit ſubſtantivum *Obductus*; κυριολέκτως. Nam *Obducere* eſt contra ducere. *Obducere exercitum* Plautus dixit. Apud eumdem *Obducere* & *obductare ſcorta* viri dicuntur uxoribus. Hinc ſubſtantivum *obductus* apud noſtrum, ut apud Thucydidem ἐπαγωγὴ, abſolute ponuntur. Adde quod Africanis ſcriptoribus *Obducere* eſt *obfuſcare, laedere, violare.* Auctor paſſionis SS. Perpet. & Felicitatis. *Ne libertas noſtra obduceretur.* Ac ſaepiſſime Tertullianus, ut in Apol. c. 50. *ſed obducimur certe, cum obtinuimus. Ergo vivimus, cum occidimur. Denique evadimus, cum obducimur.* Plurima exempla alia videre licet in Rigaltii gloſſario in eumdem ſcriptorem. An hinc igitur *obductus* hujus loci? Certe veteris Italae verſionis auctorem videri Africanum fuiſſe, pluribus adducti indiciis ſaepe conjecimus.

AD ECCLI. XVIII. 31.

Si praeſtes animae tuae concupiſcentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.] Graece· ἐὰν χορηγήσῃς τῇ ψυχῇ σου ἐυδοκίαν ἐπιθυμίας, ποιήσει σε ἐπίχασμα τῶν ἐχθρῶν

ἐχθρῶν σου. Vox Εὐδοκία de humana voluntate in Vetere ac Novo Foedere alias reperitur; ut ad Rom. X. 1. ἡ μὲν εὐδοκία τῆς ἐμῆς καρδίας, vehemens Pauli deſiderium, Chryſoſtomo & Theodoreto notantibus, deſignat. At hic unus, ni fallor, locus eſt, ubi vitioſa voluntas ſive concupiſcentia eo vocabulo deſignatur. Imo & de brutarum animantium concupiſcentia reperi εὐδοκίαν & εὐδοκεῖν uſurpatum apud veterem ſane ſcriptorem, fortaſſe Alexandrinum (2) cujus de ſympathia & antipathia ἀποσπασμάτιον Fabricius lib. IV. c. 29. Graecae bibliothecae ſub *Anatolii* nomine (ſed praeſtabat retinere Νεπωαλίου nomen quod in MS. praefigitur) inſeruit. Is ergo initio pag. 299. ait: Ἄρκτος λίθον μέλανα ἐγκεκαυμένον (τίθησιν ſupplendum eſt ἀπὸ κοινοῦ) διὰ τὴν εὐδοκίαν, ἐὰν δὲ μὴ εὕρῃ, ἄρκτῳ ἐκτενίζουσα εὐδοκεῖ. *Urſa lapidem nigrum ferviduni* (adhibet) *ad excitandum amorem : quo non reperto , intentis oculis in urſum intuens , amore inardeſcit* . Infra de gallinis: εἰς τὸ εὐδοκῆσαι (i. e. *amoris ergo*) dixit. Quae cum ita ſint; bona cum Hieronymi venia, non putarim LXX. (qui hanc vocem de Hebraeo רצון *ratſon* tranſtulerunt,) *rebus novis nova verba fingentes*, ut ipſe loquitur ad. Epheſ. I. 5. primos excogitaſſe. Erat haec vox aliis raro uſitata, at ἰδιωτικὴ Alexandrinorum, (quod ex ſupra allato ſcriptoris illius, etſi τοῖς ὁ poſterioris, loco poteſt colligi) quam ſeniores ad vim Hebraicae vocis exprimendam adoptarunt. Tantumque abeſt, ut divinam tantum voluntatem ſignificet, ut potius Sirachides IX. 15. de εὐδοκίᾳ ἀσεβῶν uſurparit; hîc autem Nepualius in carnalem etiam concupiſcentiam tranſtulit.

Obiter adnotare hîc libet, in LXXviralis quidem translationis libris voces εὐδοκίας & εὐδοκέω eſſe frequentiſſimas, at nuſquam ſpiſſiores quam in hoc libro. Horum haec ratio fuit, quod non alibi quam Alexandriae Hebraica volumina in Graecum tradu&ta fuere: in hoc autem Sirachidae libro frequentiores eae voces deprehenduntur, quia Jeſus Sirachi filius, cum maximam vitae ſuae partem Alexandriae tranſegiſſet, ibidem hanc interpretationem ex Orientali dialecto in Graecum dedit. Lege hujus interpretis *Prologum*, ſuae interpretationi praeludentem.

AD ECCLI. XXVII. 15.

Loquela multum jurans horripilationem capiti ſtatuet.] In Graeco haec ita concipiuntur: Λαλία πολυόρκου ὀρθώσει τρίχας, h. e. *Loquela multum jurantis capillos arriget*. In Latio verbum quidem *Horripilo* unius Apuleii Met. lib. 3. auctoritate ſe

---

(2) Scriptorem iſtum & antiquum mihi perſuadeo (videtur autem ſub Caeſaribus Romanis vixiſſe, quando κρατίστου appellatio Provinciarum rectoribus viriſque Clariſſimis impertiebatur; nam Sextum ſuum κράτιστον initio appellat) & in Aegypto ſcripſiſſe, non tantum propter uſum vocis εὐδοκίας, quae in ſolis LXX. a quibus Helleniſtae ceteri hauſerunt, reperitur; verum etiam quia quae tradit, omnia ſe experientiâ didiciſſe tradit: at ſunt quae niſi in Aegypto verſatus, experiri nequiverit, uti quae de Ibi, de mure Aegyptio, de crocodilis τοῖς ἀιγυπτίοις, ac talibus aliis tradit. Cumque idem formicas ſabbato ceſſare doceat; mirum ni Judaeus Alexandrinus fuerit. Nomen ſane in apographo Νεπωαλίου praefixum reperit editor Rendtorfius, quod nomen nihili ratus, in Ανατολίου, aut Ανωλίου retinxit. At nomen iſtud, quippe peregrinum, erat retinendum; quod in Aegypto & inter Judaeos in uſu eſſe potuerit.

ſe tuetur, ubi de converſo in aſinum Lucio ſcribit, *Aures immodicis horripilant auctibus:* quod ſatis, ut ei inter Latina verba ſit locus: praeſertim ſi addas ſatis antiquas Philoxeni Gloſſas, in quibus legitur paſſivum *Horripilatur*, idque vertitur ὀρθοτριχεῖ. Nam quaecumque alia adduxeris, ſunt longe inferioris aevi. Haec de verbo. At nomen *Horripilatio* non alio ſe loco quam hoc verſionis Eccleſiaſtici defendet, quippe quae longe Hieronymo vetuſtior, a Cypriano & Tertulliano contrectata videtur. Haec ſatis fore puto, ut non tantum *Horripilo* verbo, ſed & hinc derivato nomini *Horripilatio*, non modo in Gloſſariis, ſed & in limatioribus lexicis locus pateat.

AD ECCLI. XXVIII. 28.

Sepi aures tuas ſpinis, linguam nequam noli audire.] Haec a Graeco abſunt, (ſi paucas ſtricturas excipias) ſed afferuntur a Cypriano, Ambroſio, aliis: at nec eodem ordine, nec verbis prorſus eisdem.

AD ECCLI. XXIX. 5.

Donec accipiant, oſculantur manus dantis.] Qui pares, ii genas oſculabantur: at inferiores carpum manus, id quod hodieque fit; idque jam tum ab heroicis temporibus. Apud Hom. Od. XXIV. 397. Dolius ſenex

. . . Ὀδυσῆος δὲ λαβὼν κύσε χεῖρ' ἐπὶ καρπῷ.
Oſcula dat carpo dextrae veneratus Ulyſſi.

AD ECCLI. XXXI. 32.

Aequa vita hominibus, vinum in ſobrietate.] At Ambroſius De jejunio num. 44. ſic citat: *Aequalis vita hominibus vinum in EBRIETATE*: quod illorſum accipit, quod *Omnes* (inquit) *ſibi vino aequales videntur*, dum non pauper diviti, non infirmus valido, non ignobilis honorato cedit. Vide locum. Eadem ſententia apud profanos. Hor. de vino canit: *Addit cornua pauperi*, & alii paſſim.

AD ECCLI. XLIII. 6.

Et luna in omnibus in tempore ſuo, oſtenſio temporis, & ſignum aevi.] De obſcuritate priorum verborum conqueruntur interpretes. Itaque alteram praeferunt lectionem Σελήνη ἐποίησεν εἰς φάσιν εἰς καιρὸν αὐτῆς. *Lunam fecit in ſtationem* (ſive ut excubitorem) *in tempore ſuo*, ſive ſecundum varias lunae aetates. Nam prioris lectionis (ἡ σελήνη ἐν πᾶσιν εἰς καιρὸν αὐτῆς) ſyntaxis & ſententia ignota creditur: etſi tamen eſt ſyntaxeos Hebraicae genus, ubi rectus caſus per ſe ſtat abſolute uſurpatus. Equidem crediderim ſcripſiſſe Hebraice libri hujus Auctorem in hunc modum וירח הכל בעתו *Vejareah haccol beittho* h. e. *Et Luna omnia in tempore ſuo*, qui uſitatiſſimus hebraiſmus eſt pro *omnia in tempore lunae* ſive *ſecundum tempus lunae*. Fortaſſis etiam ſecunda fontis Hebraici vox לחכל *lebaccol* fuerit, i. e. *Luna* (poſita eſt ad dirigenda) *omnia ſecundum tempus ejus*, lunae ſcil. At Interpres Graecus illud *lebaccol* vertit παχύτητι Ε'ν πᾶσιν, pro

εἰς πάντα. Quae de Hebraica ſyntaxi conjeci, valebit etiam ſi Chaldaice aut Syriace ſcripta fuerint.

Et ſignum aevi] Mox ſtatim ſequitur: *A luna ſignum diei feſti.* Sic etiam Gen. I. luminaria facta dicuntur *in ſigna*. Hymno in lunam, qui eſt inter Homerica, de eodem planeta dicitur:

. . . . Τέκμωρ δὲ βροτοῖς καὶ σῆμα τέτυκται.
Duris indicium ac ſignum mortalibus exſtat.

AD ECCLI. XLIII. 12. 13.

Vide arcum & benedic eum qui fecit illum: valde ſpecioſus eſt in ſplendore ſuo.] Nihil eſt quod majorem pariat admirationem, quam Iridis aſpectus. Ab ejus admiratione factum, ut gentiles Irin Thaumantidos (παρὰ τῦ θαύματος) filiam dixerint. De arcu vide quae notavimus ad Gen. IX. 13.

Gyravit caelum in circuitu gloriae ſuae: manus Excelſi aperuerunt illum.] Δόξα *gloria* hîc ſermone Helleniſtico idem prorſus quod ſuperiore commate αὔγασμα *ſplendor lucis*. Vide de hoc ad Moſis cornuti hiſtoriam. Jam vero quod ſequitur, ſumptum ex Gen. IX. 13. ubi Deus ipſe poſuiſſe arcum in nubibus dicitur. Homerus quoque Il. A. & P. Jovem ipſum Irim in nubibus deſcribere cecinit; quorum poſteriore loco eodem prorſus verbo τανύω Poëta utitur. Nam ut hîc Sirachides: χεῖρες ὑψίςῳ ἐτάνυσαν αὐτό; ſic ibi Homerus

Ἥύτε πορφυρέην Ἶριν θνητοῖσι τανύσσῃ
Ζεὺς ἐξ ὐρανόθεν, τέρας ἔμμεναι ἢ πολέμοιο,
Ἢ καὶ χειμῶνος δυσθαλπέος.
Qualem purpuream extendit mortalibus Irin
Caelitus in belli ſignum gelidaeve procellae
Jupiter.

AD ECCLI. L. 2.

Templi etiam altitudo ab ipſo fundata eſt, duplex aedificatio & excelſi parietes templi.] Graece ſic: Καὶ ὑπ' αὐτῦ ἐθεμελιώθη ὕψος διπλῆς (in ed. Complut. διπλῶν) ἀνάλημμα ὑψηλὸν περιβόλῳ ἱερῦ. Suidas: Ανάλημμα· ὕψωμα, τήρισμα. Tum veteris ſcriptoris locum hunc affert: Καταιδέσας τὸ βάρος τῶν ἀναλημμάτων, καὶ ὡς ἀδύνατόν ἐστι σαλεῦσαι τὰ τείχη, ἐκ χειρὸς τὴν μάχην ἐποίησεν. *Qui excelſarum munitionum gravitatem* (ſeu firmitudinem) *contemplatus, nec muros quaſſari poſſe, manu pugnam commiſit.* In inſcriptione ad iſthmum Corinthiacum exſcripta a Sponio (quem vide pag. 363. num. CXI.) de quodam P. Licinio ſic legitur: καὶ τὺς ναὺς . . . . καὶ τὸ πλυτώνειον καὶ τὰς ἀναβάσεις, καὶ τὰ ΑΝΑΛΗΜΜΑΤΑ ὑπὸ σεισμῶν καὶ παλαιότητος διαλελυμένα ἐπεσκεύασεν. *Templa etiam . . . & Plutonis aedem nec non gradus & faſtigia* (Sponius *repoſitoria*. quid ſecutus?) *terrae motibus & vetuſtate corrupta reſtituit.* 2. Par. XXXII. 5. ἀνάλημμα reſpondet munimento cuidam Hieroſolymorum, cui nomen *Mello*. Adhaec Beroſus apud Joſephum in I. contra Apion. 19. ea voce uſus eſt pro edito aedificio. Sic enim Chaldaeus ille de Nabuchodonoſoro: Εν δὲ τοῖς βασιλείοις τύτοις ΑΝΑΛΗΜΜΑΤΑ λίθινα ὑψηλὰ ἀνῳκοδομήσας, καὶ τὴν ὄψιν ἀποδὺς ὁμοιοτάτην τοῖς ὄρεσι, καταφυτεύσας δένδρεσι παντοδαποῖς, ἐξειργάσατο, καὶ κατασκευάσας τὸν καλούμενον κρεμαστὸν παράδεισον &c. quod ſic vertunt: *In hac autem regia*

Digitized by Google

regia pilas e lapidibus exſtruxit excelſas, eaſdemque omnis generis arboribus conſitas, ut ſpeciem montibus quam ſimillimam referrent, elaboravit, hoc facto paradiſo penſili, uti nuncupatur.

AD ECCLI. LI. 11.

Memoratus ſum miſericordiae tuae Domine, & operationis tuae, quae a ſaeculo ſunt.] Ex ſequentibus *quoniam eruis* &c. intelligitur ἐργασίαν heic συνωνύμον eſſe τῦ ἐλέους. De qua notione vide dicta ad Joh. III. 5. & alibi pluries, & ad hunc librum cap. IV.

AD QVATVOR PROPHETAS MAIORES

MONITUM.

ANte plures menſes jam Spicilegium iſtud veteris Teſtamenti ad finem uſque SAPIENTIAE, quamvis aetate ac valetudine reluctantibus, recognitum typis mandaram: cum ſolitis incommodis implicatus tametſi quaedam calentia adhuc typographo committebam; tamen ex invaletudinis pertinacia manum tandem de tabula ſuſtuli.

Sequebantur Prophetae: in quos non ſecus atque in libros ceteros, habebam ſepoſita pluſcula: non quidem filo perpetuo, ſed more meo, de quo tomo I. lectorem docui. Nimirum id mihi olim perpetuum fuerat, ut quidquid ad ſacros codices illuſtrandos pertinens in mentem veniret, id (modo minus ab aliis animadverſum) ſeponerem & in ſua quidque loca digererem, ſiquando fortaſſis uſui futurum.

Uſui quidem aliquando fuere, ſed valde ſero: quia amiſsá fere in totum memoriá, ac frigeſcente ingenio (quid hoc in octogenario mirum?) tandem laborem hunc tamquam teſtamenti factionem ad momenta ultima reſervavi.

Verum non hic querimoniis locus. Hoc jam tomo altero extremo (ſiquidem vita ſuppetet, & mentis quantuluſcumque vigor affulſerit) Prophetarum relicta quaedam ac poſtremo in Machabaeos dabimus, tomum tertium Teſtamento Novo reſervaturi.

PROPHETIA ISAIAE

AD ISA. I. 3.

COgnovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus praeſepe domini ſui: Iſraël autem me non cognovit, & populus meus non intellexit.] Non dubito, quin haec Iſaiae verba pios Chriſtianos ſuaſerint, ut in Jeſu parvuli antrum inducerent bovem aſinumque, qui ejus tenera membra halitu officioſo reficerent, atque a rigore nocturnae hiemis recrearent; maxime cum huic Iſaiae interpretationi ſatis antiqua teſtimonia ſuffragentur.

Incipio ab Actis SS. MM. Philippi Heracleae Epiſcopi, & ejus ſocii Hermetis, quae exſtant apud Ruinartum ad ann. circ. 304. Sect. XI. p. 417. ubi Hermes ſic adſtantes hortatur: *Quid haec videntes in caecitate conſiſtitis, nec ad Liberatoris veſtri auxilium convolatis? Canes dominum odore veſtigant, & audito rectoris ſibilo equus, quem ignarus paullo ante projecit, inquirit. PRAESEPE AGNITO BOS ad Dominum cucurrit, & ASINVS STABVLVM POSSESSORIS INVENIT, Iſraël Dominum ignorat, juxta quod lectum eſt: Iſraël non me cognovit Dominum omnium* &c. In quibus martyris Hermetis verbis prior illa ſententia (a voce *Canes* uſque ad τὸ *Inquirit*) omnino a ſequentibus (a PRAESEPE ſcil. uſque ad INVENIT) diſtinguenda eſt; nam quia priora Martyr de ſuo dixit, idcirco ea praeſenti tempore (*veſtigant & inquirit*) concepit: at poſteriora quia ex hoc Iſaiae loco tranſtulerat, idcirco praeterito tempore expreſſit, tamquam hiſtoriam ab hoc Iſaiae loco mutuatus. Ergo IV. vix ineunte ſaeculo S. Hermes M. & Chriſtiani hunc Iſaiae locum pro vaticinio nocte nativitatis Chriſti impleto accipiebant: qua bos & aſinus

nus ad infantis Jesu membra anhelitu refocillanda adcurrerunt.

Aeque antiquum (nisi etiam antiquius) anaglyptum illud est, quod in sua Inscriptionum collectione Fabrettus attulit: quod cum ipsamet doctiss. viri descriptione, quae pag. 758. exstat huc afferam. Ergo his verbis Fabrettus utitur: *Titulus super marmore, sub quo Infans fasciis involutus, Bove & Asello afflantibus & duobus Pastoribus hinc inde.*

HERACLIAE RELIOSAE (*) SORORI
PAVLVS A CONCORDIA . . XVI. KAL FEB

In pavimento Sancti Pauli (effossum marmor).

Paulus Concordiensis (verba ejusdem Fabretti sunt) *senex optime valens memoratur a D. Hieronymo ep. XXI. An iste ?* Hactenus Fabrettus.

AD ISA. V. 4.

Quid debui ultra facere vineae meae.] Apud Thalmudicos כרם *cherem* i. e. *vinea* notat etiam scholam, academiam, synagogam. Quod argumento est, eos non aliud quam Synagogam sive Judaeorum ecclesiam nomine *Vineae* hîc apud Isaiam accepisse, atque ex eo potius *vineae* nomen suis coetibus dedisse, quam quod lineatim in scholis sederent, & quasi vites in vineis plantarentur, ut Gemarici ineptiunt.

Verum Isaias ipse suimet interpres esto mox vers. 7. *Vinea enim Domini exercituum, domus Israël est, & vir Juda germen ejus delectabile* &c. Hinc & Christus vineae parabolam non semel de populo suo electo usurpavit.

AD ISA. V. 26.

Et sibilabo ad eum de finibus terrae.] Sibilo olim sicuti & nunc signa dabantur, uti ad Zach. X. 8. demonstrabimus.

AD ISA. VII. 9.

Si non credideritis, non permanebitis.] Graeci interpretes ἐὰν μὴ συνῆτε. Quos secuti Africani Patres apud Victorem Vitensem III. 9. *Nisi credideritis, non intelligetis.*

AD ISA. VII. 14.

Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: ecce Virgo concipiet & pariet &c.] Cujusmodi hoc signi genus fuerit, diximus ad Gen. IV. 15. Jam vero de Virginis partu quaedam & apud ethnicos disseminata, simulque depravata reperire est. Hieronymus l. 1. adversus Jovinianum: *Apud Gymnosophistas Indiae quasi per manus hujus opinionis auctoritas traditur, quod Buddam principem dogmatis eorum a latere suo virgo generarit . . . . Nec hoc mirum de barbaris, cum Minervam quoque de capite Jovis, & Liberum patrem de femore ejus procreatos, doctissima finxerit Graecia. Speusippus quoq. sororis Platonis filius, & Clearchus in Laude Platonis, & Anaxilides in Laude philosophiae, Perictionem matrem Platonis, phantasmate Apollinis oppressam, ferunt; &*

(*) Error quadratarii pro RELIGIOSAE.

& ſapientiae principem non aliter arbitrantur, niſi de partu virginis editum . . . Ac ne nobis Dominum Salvatorem de Virgine propagatum Romana exprobraret potentia; auctores urbis & gentis ſuae Iliâ Virgine & Marte genitos arbitrantur. Vide quot ſurculos ex Iſaia gentilitas propagarit.

Ecce Virgo concipiet & pariet filium.] Hebraicum עלמה *almah* non tantum Vulgato interpreti *Virgo* redditur, ſed & Graecis interpretibus παρθένος. Imo qui Hebraici vocabuli originem rimabitur, facile inveniet, non poſſe aliud quam virginem intelligi, ut quivis ſcit vel mediocriter hebraice peritus. Quid ergo eſt cauſae, cur Judaeos diſſidentes habeamus, qui non virginem hîc ſed puellam intelligi jubent? An ea eſt cauſa, quod virginem Judaei appellarent, quamdiu non peperiſſet, itaut a primo ſtatim partu virgo eſſe deſineret? Ezechiel certe poëta ex Judaeis Helleniſtis unus in dramate, quod ἐξαγωγὴ inſcripſit, ea notione παρθένης appellavit, apud quem ſic loquens inducitur Deus:

Τάτε πρωτότοκα ζῶα θύοντες Θεῷ,
Ὅσα τ' ἂν τέκωσι παρθένοι πρώτως, τέκνα
Τ' ἀρσενικὰ διανοίγοντα μήτρας ματέρων.
Tum primitiva pecora mactantes Deo,
Quamcunque primum virgines effuderint
Prolem, aperientem uterum parentis, maſculam.

Atque haud ſcio an inde ſit, quod Suidas παρθένιον dixit τὸν ἐκ παρθένου γεννηθέντα, *natum e virgine* h. e. ex ea quae tum primum parit: niſi malumus παρθένιον eumdem eſſe qui παρθενίας, qui ſcil. ἐκ τῆς δοκιμῆς εἶναι παρθένος editur.

Et vocabitur nomen ejus Emmanuel.] Sicuti duces ethnici in teſſeris ἀκταῖς nomina deorum plurimum uſurpabant (uti Cyrus Ζεὺς σύμμαχος ex Xenophonte, Caeſar *Venus Genitrix* ex Appiano &c.) ita ſub Chriſtianis principibus *Emmanuel* adhibebatur; uti tradit Vegetius, qui ea re Chriſtianum ſe prodit. *Vocalia* (inquit is lib. III. cap. 5.) *ſigna dicuntur, quae voce humana pronuntiantur, ſicut in vigiliis vel in praelio pro ſigno dicitur, ut puta Victoria, Palma, Virtus, DEVS NOBISCVM* (in Hebraeo EMMANVEL) *Triumphus imperatoris* &c.

AD ISA. VII. 18.

Sibilabit Dominus muſcae . . . & api . . . & venient.] Locutio ducta a ſignis militaribus, quae ſibilo primitus edi ſolebant. Vide ſupra ad V. 26. & quae notavi ad Zach. X. 8.

AD ISA. VIII. 19.

Quaerite a pythonibus & a divinis, qui ſtridunt in incantationibus ſuis.] Graeci interpretes: ζητήσατε τὴς ἐγγαστριμύθης . . . οἱ ἐκ τῆς κοιλίας φωνῆσαι. Sane quam pulchre iidemque veriſſime verbum הגה *hagah* per ἐκ τῆς κοιλίας φωνέω *ex ventre murmuro* tranſtulerunt; הגה *hagah* enim *muſſitare* ſignificat, aeque ut μελετάω, (quo Hebraeum verbum ferme ſemper in Graecis Bibliis redditur) uti exponimus ad Iſ. XXXVIII. 14. & Marci XIII. 11. Id autem ſuſurri genus peculiare τῶν ἐγγαστριμύθων fuit. Hinc quia Pythiarum muſſitatio columbarum ſuſurrum, ex ventre, non ex ore, editum referebat (quibus & הגה *hagah* verbum idcirco peculiare fuit

fuit) eo factum ut id genus feminae πέλειαι i. e. *columbae* appellarentur: de quo vide longe plura infra ad XXXVIII. 14. ubi ea congeſſimus omnia, quae hujus loci propria videri potuiſſent.

AD ISA. XIII. 12.

Pretioſior erit vir auro, & homo mundo OBRIZO.] In Heb. eſt *Ophir*: unde merito veteres Obrizum ab Ophir deducebant. Sed verior etymologia ea videtur, quam tradit Salmaſ. ad Solinum & Bochartus in Phaleg. col. 139.

Porro *Obrizum* etiam de argento dictum comperi in inſcriptione Calatina, quam nunc ad manus non habeo, ſed inter ſchedas confuſam. Porro quia אפר *epher cinis* eſt, & non minus argentum quam aurum excoquendo cinerem de ſe promit, ideirco non immerito *Obrizum* videtur auro aeque ac argento fuiſſe commune nomen & hîc OBRIZO aptiſſime legi.

AD ISA. XIX. 18.

In die illa erunt quinque civitates in terra Aegypti, loquentes lingua Chanaan.] Convenit inter interpretes, linguam Chanaan hîc non aliam eſſe, quam Hebraicam linguam. Verum cur linguam Chanaan appellarit, non aeque convenit. Nam alii hinc colligunt linguam, quam hodie Hebraeam dicimus, antea Chananaeorum fuiſſe, & Abrahamidas, qui antea Chaldaei eſſent, in Chanaanitide linguam ejus regionis addidiciſſe, atque hinc poſtea hanc linguam Hebraeam fuiſſe appellatam, ab Hebraeis ſcil. illam uſurpantibus. Alii vero non alia de cauſa Prophetam hîc linguam Chanaan appellaſſe volunt, quam quia, qui Chanaanitidem incolebant Hebraei, ea lingua utebantur. Cur autem Prophetae in mentem venerit linguam Chanaan eam appellare, cum potuiſſet uſitatiore vocabulo Hebraeam dicere, nemo adhuc docere eſt aggreſſus. At ea ratio facile conſtabit ex iis, quae tom. I. Diſſert. VII. copioſe diſputavimus ad Geneſ. XLIII. 32. Ibi demonſtratum fuit HEBRAEI vocabulum γενικῶς *Tranſamnicum* ſic notare, ut ea vox in Chanaanitide Tranſeuphratenſem notet, in Aegypto vero Tranſnilanum. Vide omnino ibi dicta. Ex eo fit, aetate hujus Prophetae ab Aegyptiis quaſcumque linguas, quae trans Nilum eſſent, ſive Arabicam, ſive Arameam, aut quaſvis alias, appellatas Hebraeas. Quare Propheta ut eam notaret, quam nos Hebraeam intelligimus, maluit eam linguam Chanaan nuncupare. Cetera, quae ad hoc nobile vaticinium pertinent, vide apud explanatores.

AD ISA. XXIII. 10.

Tranſi terram tuam, quaſi flumen, Filia maris.] Tyrum alloquitur: quam *Filiam maris* vocat, utpote primitus inſulam, at poſtea peninſulam mari circumfluam, more Hebraico. Id tamen etiam profani ſunt imitati.

Sic etiam Delus πόντου θυγάτηρ *ponti filia* a Pindaro dicitur iis verſibus, quos affert Philo lib. *quod mundus ſit incorruptibilis*.

AD

AD ISA. XXIV. 15.

In insulis maris &c.] De *insulis maris* vide dicta ad 1. Mach. VI. 29. Sic istae dicuntur ad discrimen fluvialium, de quibus infra XLII. 15. In Euphrate enim, Nilo & alibi plures hujusmodi etiam immensae, visebantur.

AD ISA. XXVIII. 4.

Quasi temporaneum ante maturitatem autumni.] Heb. קיץ *Kaitz*, *aestatis*, pro quo Noster *autumnum* hîc & Mich. VII. 1. posuit. Sic & Orpheus ad Jovem *autumnum* pro *aestate* posuit in hunc modum:

Σὸν μὲν ἔαρ λάμπει νέον ἄνθεσι ποικιλόεσσι·
Σὸς χειμὼν ψυχραῖσιν ἐπερχόμενος νεφέλαισιν,
Ἄς ποτε βακχεύτας βρόμιος διέπεμπεν ὁπώρας.

Per ἔαρ *Aestatem* voluit intelligere; quia summa hîc divisio traditur anni in horas ternas: at autumnum in his non numerabant antiqui Graeci, & pleraeque nationes, sed tantum *ver*, *hiemem*, *aestatem*. Hebraei vero duas agnoscebant, utpote veris & autumni carentes vocabulis. Vide dicta ad Ps. LXXIII. 17.

AD ISA. XXVIII. 16.

Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum.] Videtur ritus aliquis inter Hebraeos viguisse, quo lapis fundamentalis in fundamenta religiosarum saltem domorum conjiceretur. Is lapis esse debebat *probatus* h. e. selectus e multis, quemadmodum victimae probabantur: quo illa Psalmi 117. paroemia spectat: *Lapis, quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli*. 2. Debuit esse *Angularis*, & ut in N. T. dicitur *faciens utraque unum* h. e. in utrumque parietem excurrens; id quod erat figurativum Ecclesiae ex duobus populis cogendae. 3. *Pretiosus*. Quid sibi hoc vult? Certe de lapide fundamentali hoc capiendum. Nam fuisse apud Judaeos de fundamentali lapide νόμιμον πατροπαράδοτον (*veterem a patribus traditam observationem*) non mihi dubitandum videtur, ac praecipue in selectu ejus lapidis: quo illud Christi pertinet, *Tu es Petrus, & super hanc petram* (*Petrus* enim & *Petra* utrumque in Syro *Cepha* i. e. *Petra* dicitur) *aedificabo Ecclesiam meam*. Atque hunc fundamenti lapidem antiqui lapidem auspicatum vocabant ob caeremonias, quibus sacrabatur: de quo & inscriptio in Grutero exstat & mentio apud Tacitum.

AD ISA. XXIX. 10.

Miscuit vobis Dominus spiritum soporis.] H. e. poculum ναρκωτικόν. Hebraeis רוח *ruah* quam late pateat, Hebraistae non ignorant. Sed *miscendi* verbum propinantium est, ut hîc facile poculum intelligatur.

AD ISA. XXX. 1.

Ut ordiremini telam.] Cyprian. ep. 55. affert sic & *feciſtis conventionem* quod propius ad fidem Hebraei fontis est.

AD ISA. XXXVII. 27.

Habitatores earum . . . confusi sunt.] LXX pro Hebr. ובישׁ *vabosebu*, *& pudore affecti sunt*, reddiderunt ἐξηράνθησαν *exsiccati sunt*. Quos interpretes legisse hic docti conjiciunt (prima tantum littera decurtata) יבשׁ *jabesebu*, *exaruerunt*. Plane assentior. Interim fieri potest, ut Graeci interpretes αἰσχύνω & ξηραίνω tanquam synonyma habuerint ; nam de Apolline, qui Delphusae fluenta exsiccaverat, dicitur ab Hom. hymno in Apoll. ver. 387.

Οὕνεκα Δελφύσης ἱερὴς ἤσχυνε ῥέεθρα.
Delphusae quoniam sacrae pudefecerat undas.

Ubi licebit vertere, si lubet, *exsiccaverat undas*. De quo Homeri loco confer dicta ad Joël 1. 12. Facit huc & illud Theocriti Idyll. 1. de vulpecula quae adolescentem ἐν ξηρῷ *in sicco* posuit i. e. *pudore affecit*, *lo fece restar corrivo*.

AD ISA. XXXVIII. 14.

Meditabor ut columba.] Vide Dissertationem ad hunc locum, ad quam rejicimus lectorem.

AD ISA. XL. 12.

Quis appendit tribus digitis molem terrae?] Olim de Augusto (sub *Cynaedi* nomine) dictum, acceptumque in Mimo:

Viden' cynaedus ut orbem digito temperat.

Alluditur ad statuas in quibus interdum imperatores orbem manu tenent. Ammianus lib. XXV. *Maximiani statua . . . amisit repente sphaeram aeream formatam in speciem poli, quam gestabat.* Sed & ejusdem moris meminit lib. 21.

AD ISA. XLII. 15.

Et ponam flumina in insulas.] Quoties majora flumina, qualis Euphrates, *attenuantur*, tunc diversae passim emergunt insulae, quia nimirum subsidentibus ex intervallo aquis, prodere sese in alveo ex intervallo tumulos, qui ante latebant, necesse est.

AD ISA. XLIII. 18. 19. 20. 21.

Ne memineritis priorum.] Hinc usque ad ver. 21. sic affert Cyprianus ep. (63) ad Caecilium: *Nolite priora meminisse, & antiqua nolite reputare. Ecce ego facio nova quae nunc orientur, & cognoscetis, & faciam in deserto viam, & flumina in loco inaquoso* (desunt hic pleraque ver. 20.) *adaquare genus meum electum, plebem meam quam acquisivi, ut virtutes meas exponeret*. Differunt ab his quae in Vulgata leguntur.

AD ISA. XLIV. 11.

Qui ponitis Fortunae mensam & libatis super eam.] Hebraea sic valent: *Qui instruitis Gad mensam, & impletis Meni libamen*. Noster pro duobus idolis istis unum

Fortunae unius nomen memorat. Quid ita? Synonyma, credo, putavit, ut qui animadverteret Graecos Interpretes hic δαιμονίῳ & τύχῃ usos vocabulis, quae synonyma Noster putavit: nam & δαιμόνιον *Genium* significat, & Τύχη quoque vix aliter quam pro *Genio* accipitur, Charisio teste, qui docet τὴν τύχην *Genium* significare. Hinc τὰ τυχεῖα, h. e. τὰ τύχης ἱερὰ, quae Gazae, Alexandriae, Antiochiae atque in singulis ferme civitatibus colebantur, templa erant Genio illarum civitatium consecrata. Verum cur, inquies, *Fortunam* ac non potius *Genium* Vulgatus hîc posuit? Credo, quod apud Latinos etiam *Fortuna* pro *Genio* usurparetur. Hinc *Fortuna barbata* occurrit apud Tert. ad Nat. Qui & extremo lib. de Monog. *Fortunae muliebris* meminit.

AD ISA. XLVIII. 21.

Non sitierunt in deserto, cum educeret eos: aquam de petra produxit eis, & scidit petram & fluxerunt aquae.] Aliter Cyprianus ep. (63) ad Caecilium & I. Test. 12. in hunc modum: *Si sitierint, per deserta adducet illos, aquam de petra producet illis, findetur petra, & fluet aqua, & bibet plebs mea.* Quae Graecam interpretationem κατὰ πόδα sequuntur; at contra Vulgata fontem Hebraeum.

AD ISA. XLIX. 2.

In umbra manus suae protexit me.] Eadem locutio infra cap. LI. 16. & apud Homerum Il. IX. 419. ubi Ilium non excisum iri auguratur Achilles:

. . . . . Μάλα γὰρ ἴθυν εὐρύοπα Ζεὺς
Χεῖρα ἑὴν ὑπερέσχε·
Quippe manum Pater Iliacas super explicat arces.

AD ISA. XLIX. 23.

Et pulverem pedum tuorum lingent.] Fortasse madido *pulveri* impressa vestigia intelligit. Imitatur haec Tert. de pudic. c. 13. poenitentem describens, *omnium vestigia lambentem* ait. Esth. XIII. 13. *vestigia pedum ejus deosculari paratus essem.* Infra LX. 14. *Et adorabunt vestigia pedum tuorum* &c. Heb. *bistchachavu*, h. e. incurvando se osculabuntur vestigia &c. Ps. CXXXI. 7. *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.* Heb. scabellum pedum ejus.

AD ISA. XLIX. 26.

Et quasi musto sanguine suo inebriabuntur.] Apud veteres vina non nisi rubra fuere: rarissima alborum mentio. In Palaestina certe & vicinia tota nusquam nisi rubra fuere. Hinc saepissime musti & vini cum sanguine collatio in Scripturis atque profanis auctoribus. Quod huc pertinet, musto majorem inebriandi vim veteres scriptores assignant, ut & Act. II. 13. Quid ita? quia vina plerumque temperabantur: mustum non item. Tum etiam liquoris dulcedine capti largius musto se ingurgitabant. Ceteroqui vinum multo validius esse nemo ignorat.

AD ISA. LI. 21.

Ebria non a vino.] Laudatur illud Epigoni Thessali in anthologia p. 121. *edit. Wechel*:

Φεῦ,

Φεῦ, τινες ὕδωρ
Πίνουσιν μανίην σώφρονα μαινόμενοι.

AD ISA. LII. 4.

Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit.] Matthaeus hunc locum ad Chriſti curationes tranſtulit; eſt enim hic Prophetae locus γνησιώτερος, ut ad Matt. VIII. 17. diximus. Verbum סבל *ſabal* hîc & infra v. 11. idem eſſe quod *aufero* certum eſt, ſed ita ut *portavit* ſit idem quod tolerando aſportavit, ut ad eumdem Matthaei locum notavimus.

AD ISA. LIII. 11. 12.

Et iniquitates eorum ipſe portabit.] סבל *ſabal* hîc & ſupra verſ. 4. & Thren. V. 7. idem quod *aufero*. Vide quae ibi notavi, & praeſertim ad Matt. VIII. 17. ubi & de ἀναφέρω (quod hîc & v. 12. Graece eſt) pro ἀποφέρω dictum.

Et ipſe peccata multorum tulit.] II. e. *abſtulit* (ut ad verſus proxime ſuperiores & alibi diximus). Nam & נשא *naſa* hoc ſaepe ſignificat, & ἀναφέρω Graecorum interpretum tantumdem valet apud Helleniſtas.

AD ISA. LVI. 7.

Domus orationis vocabitur.] I. e. *erit*: quomodo & Lucas XIX. 46. hunc locum citat: *Domus, inquit mea, domus orationis eſt.* Nemo ignorat *Vocari* hebraico ſermone tantumdem valere quod ſubſtantivum verbum. Nec aliter heroica aetate Graeci loquebantur. Iuno apud Hom. Il. Δ. 60.

Ἀμφίτερον, γενεῇτε, καὶ ἔτεκα σὴ παράκοιτις
KEKAHMAI.
. . . . *Tam genere ipſa ſoror, tum quod tua conjux*
NVNCVPOR i. e. ſum.

Domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis.] Hoc eſt *Proſeucha erit non uni Hebraeo populo, ſed cunctis late nationibus. Proſeuchas* Judaei Hebraice בית תפלה *beth thephillah*, Syriace בית צלותא *beth tſelutho* h. e. *domum orationis* nuncupabant. Videntur hinc hauſiſſe Judaei, quod ad proſeuchas ethnicos etiam admitterent. Id quod non hinc ſolum, ſed & ex illo Juvenalis, (*Ede ubi conſiſtas, in qua te quaero proſeucha*) percipi poteſt, & ex Perſii & Horatii ſatyris. Quin & ad templum Hieroſolymitanum gentibus adoraturis patuiſſe aditum, ex hiſtoria Judaica novimus.

AD ISA. LVI. 11.

Canes impudentiſſimi.] Nihil apud Homerum familiarius, quam canis appellatione impudentiſſimum quemque notare, ut Il. VIII. κύον ἄδδεες, *canis impudens* & κύντερον pro *impudentius*: & ſimilia.

AD ISA. LVII. 9.

Et ornaſti te regis unguento.] Mos vetuſtiſſimus unguento faciem pulchriorem reddere. Vide Dan. X. 3. Itaque apud Homerum Od. XVIII. 191. non alio, quam κάλλεος i. e. pulchritudinis nomine unguen appellatur; ait enim Palladem κάλλεϊ inunxiſſe Penelopes faciem, quo venuſtiorem efficeret.

Κάλλεϊ μὲν οἱ πρῶτα πρόσωπα τὰ καλὰ κάθηρεν
Ἀμβροσίῳ, οἵῳ περ ἐϋστέφανος Κυθέρεια
Χρίεται, εὖτ' ἂν ἴῃ Χαρίτων χόρον ἱμερόεντα.

AD ISA. LVIII. 6.

Nonne hoc eſt magis jejunium quod elegi? Diſſolve colligationes impietatis &c.] Hoc illud eſt πηγᾶσαι κακότητος, quod ex Empedocle Plutarchus affert.

AD ISA. LXVI. 2.

Trementem ſermones meos.] In Barnabae epiſtola parte 2. cap. 1. Ἔσῃ τρέμων τοὺς λόγους, οὓς ἤκουσας.

AD ISA. LXVI. 19.

Graeciam & inſulas longe.] *Javan* bene Graeci Ἑλλάδα verterunt. De אִיִּים ſive inſulis vide dicta ad Jer. II. 10. & ad priorem Machabaicum. Porro quod hîc Graecia cum inſulis jungitur (ſaltem ex interpretum Graecorum mente qui conjunctionem Καὶ, quae a fonte nunc abeſt, adhibuerunt: καὶ εἰς τὰς νήσους) non ſatis ſcio an olim Ἑλλὰς & νῆσοι ferme uti ſynonyma haberentur. At Platonis certe Comici drama apud Pollucem, Suidam, & in Etymologico M. inſcribitur Ἑλλὰς ἢ νῆσοι.

Et inſulas longe.] Graeci καὶ εἰς τὰς νήσους τὰς πόῤῥω h. e. *in inſulas longinquas*. Sic etiam Eccleſiaſtici XLVII. 17. *ad inſulas longe*. Gr. εἰς νήσους πόῤῥω. Pſ. LIV. 6. *Et in mari longe*. Gr. καὶ τῶν ἐν θαλάσσῃ μακράν. Quibus locis Latina verſio non ineptiae eſt accuſanda, quippe cum Martialis *domum longe* pro *longe poſitam* dixerit lib. 2. ubi de villa nihil ad victum ſuppeditante:

Pictamque portas otioſus ad villam
Olus, ova, pullos, poma, caſeum, muſtum.
Rus hoc vocari debet, an domus longe?

H. e. ὁ πόῤῥω οἶκος.

AD ISA. LXVI. 20.

In carrucis.] Optime Hieronymus τὸ כַּרְכֹּרוֹת *circharôth* vertit *carrucas*, uti probavimus in Schediaſm. *De Corcyrae* nominibus in nomine CORCYRA num. 5. Inde petantur quae huc facere viſa fuerint. *Corcyrae* nomine antiqui *carrucas* notari putabant: vide Homerum de Nauſicaae aurigatione Od. VI. Tam τοῖς *circaroth* Iſaiae, quam Nauſicaae ἀπήνη muli, non equi jungebantur.

DISSERTATIO I.

Ad illud Iſaiae XIV. 4. Sumes parabolam iſtam contra Regem Babylonis; *& quae ſequuntur.*

PARS PRIOR *ἱστορικὴ*.

TOtum hoc caput profa oratione conceptum fuiſſe multi vulgo putabant; cum tamen ex hoc loco, ubi dicitur verſ. 4. *Quomodo ceſſavit exactor*, uſque ad totum verſ. 27. ſit elegans canticum, allegoriis, tropis & poëticis figuris diſtinctum; ac perpetua *ἐπεξεργάσει* (qua ſcil. ſententiae bis inculcantur) decurrat: quam eſſe pulcherrimum Hebraicae poëſeos characterem, alibi pluries dixi. Et quidem quaecumque hîc dicuntur, omnia ad regem Babylonium (quicumque is ſit) ita referuntur, nemini ut alii convenire aptius poſſint. Tametſi in hoc carmine plura ſunt, quae jam olim in aliquo antiquo cantico adverſus Satanam (qui mox v. 12. *Lucifer* appellatur) decantata fuerant: quae poſtmodum Propheta regi Babylonis accommodat. Itaque illud *Quomodo cecidiſti de caelo Lucifer* &c. ſunt veteris carminis *ἀναγνωσθέντος*, aut ſaltem ſunt ex antiqua de Satanae caſu deſcriptione petita, quae in ſenſu accommodata in Babylonium regem hîc transferuntur aptiſſime: ſicuti & Joſ. X. 12. 13. 14. pars illa cantici, quod in libro Juſtorum perſcriptum erat (*Sol contra Gabaon ne movearis* &c.) pulcherrime uſurpatur. Nam quae alicubi ex veteribus vulgatiſque canticis inſeruntur, ut ſcopo Divini Scriptoris ſubſerviant, ea non neceſſe eſt omnia *κατὰ πόδα* ei convenire, cui aptantur: quod hîc praeſertim res ipſa loquitur. His obſervationibus adhibitis, jam textum carptim aggrediamur.

V. 4. *Et eris in die illa ſumes parabolam iſtam.*] Nomine *τῦ* משל *miſchal* ſeu *Parabolae* canticum intelligi, ſuperfluum eſſet monere, niſi in re clara viri docti caecutiſſent. Verum ſi me audis, hîc & pluries alibi, ubi illud משל *miſchal* occurrit, haud dubie *carmen*, non vero profam intelligas moneo. Ex Salomonis libro parabolarum, & aliunde id licet intelligere.

V. 12. *Quomodo cecidiſti de caelo Lucifer.* De voce הילל *helel* (quae hîc ſolum reperitur) dixi in Tyrrhenicis Diatr. IX. in (1) STELLA: quam *ſtellae* vocem & Tuſcam ortu ſuo fuiſſe, & ex Heb. *Helel* ortam, ibi demonſtratum fuit. Ex hoc loco jam (ac facile uſque ad v. 15.) pars eſt veteris carminis, quod de caſu Satanae circumferebatur: quod tamen Iſaias Babylonio regi accommodat. Et quidem Satanam hîc Luciferi nomine venire, praeter antiquam traditionem, haud dubie ab Hebraeis acceptam, Chriſtus ipſe comprobat apud Lucam X. 18. 19. *Videbam* inquit, *Satanam ſicut fulgur de caelo cadentem*: h. e. *ſicuti ſtellam* (ut ad Lucam in loco declarabimus) nam *τὰς λεγομένας ſtellas cadentes* ibi deſignat, quia ibid. ſubjicit, *De caelo cadentem*. Sed & cetera quae ibi ſequuntur (veluti de poteſtate conculcandi ſerpentes) eodem ſpectant. Ergo haud dubie in antiquis Hebraeorum poëtarum carminibus *Satanas* uti coluber deſcribebatur: unde & *Typhon* mythologorum, qui, (uti mox ſtatim demonſtrabitur) ex Satanae caſu, & ex hoc veteris cantici loco adumbratus fuit: *Typhon*, inquam, modo a poëtis uti ſerpens tortuoſus oſtenditur; etſi alibi *Typhon* dicitur, hîc vero v. 12. *Lucifer*, alibi vero ſive *de caelo cadens*, ſive *τὸμπαχες*, ac ſuperbe de ſe v. 14. promittens, ſed poſtremo *detractus in profundum laci* deſcribitur v. 15. Haec vero & alia huc pertinentia melius ac ſubtilius Parte altera expoſitum eo.

PARS ALTERA *ἐξηγητικὴ*,

Qua primum de TYPHONE vento, itemque gigante agitur. Tum quaedam Cantici hujus exponuntur.

§. I. *De Typhone vento.*

TYPHON genus eſt, uti volunt, repentini flatus & procelloſi, quem Ariſtoteles in de

(1) Etruſcae vocis ingenium ſe ſatis in STELLA prodit: in qua voce nihil aliud ab aſpiratione ſyllabae *ſtoris τῦ Helel* deviat, quam ejus in forte ſibilum ST (quo Tuſci delectabantur) mutatio.

de Mundo & in Meteor. Plinius II. 48. Euſtathius ad Homerum, Scholiaſtae plures (apud H. Steph in Theſ. to. 3. p. 1708.) ſic varie deſcribnnt atque conſtituunt, ut quid potiſſimum ſequaris, haud liquidum ſit. Voſſius in TYPHVS vult quidem *Typhonem eſſe Vorticem fumigantem*, *ſed ſine igne* (quod a Suida ſumptum, cui dicitur πνεῦμα καπνώδες) at cetera ex Ariſtotele videtur didiciſſe, aliiſque qui hunc ventum ſtatuunt (πρὶν ἐκπυρωθῆναι) *antequam inflammetur* aër, dici *Typhonem*. Verum uti curioſi obſervarunt, in ea procella, quam *typhonem* vocant, nihil minus quam fumus deprehenditur: nt omnino mihi videantnr pleraque eorum quae de Typhone ſcripta reperiuntur, non ab accurata obſervatione, ſed a falſa etymologia manaſſe, qua vulgo creditum fuit, Typhonem (nbi ventus eſt) a τύφω *fumigo* fuiſſe appellatum. Cujus ut vera etymologia detegatur, ante omnia ſtatûs hujus cardo unde ſpirat ediſcendus, deinde cum Orientis radicibus vox componenda.

Qnantnm autem potui animadvertere, Typhon aut idem ac aqnilo eſt, aut ſaltem venti aquilonaris genus. Vt ſic exiſtimem, cogit me Lucae Act. XXVII. 14. auctoritas, nbi vexaſſe navem dicitur *Ventus Typhonicus*, *qui vocatur* (2) *Euroaquilo*. Ergo Euroaquilo i.e. ventus ex aquilone & euro mixtus, idem eſt ac *typhonicus*. Accedit, quod Interpres Aethiops pro *vento typhonico* poſuit diſerte *ventum aquilonarem*, dum ſic eum locum reddidit: *Et tunc ſpiravit ventus aquilonaris in eum*. Atque ea eſt TYPHONIS conſtitutio, ſeu nativa ſignificatio: nam cetera quae a Graecis de Typhone dicuntur, ea ſuperſtructa ſunt ſignificationi verbi τύφω (i.e. *fumigo*), unde *typhonem* derivari falſo exiſtimarnnt; cum ſit potius ab, Heb. תפן *tſuphon*, nti mox oſtendam.

Viſo, quodnam venti genus *Typhon* fuerit, jam de etymologia laborandum. Eſt autem ipſiſſimnm Hebr. תפן *taphon* (nam *Tſade* modo per S, modo per T, ut hîc, redditur, maxime apud Tuſcos, qui hanc vocem intulere in Italiam) qnod *Taphon*, ſive more Graecorum *Typhon*, in Vnlgata noſtra nunqnam ferme aliter, quam *Aquilo* redditur: at in LXX. pleruinque βορέας i.e. *boreas*. Etſi apnd eoſdem ſemel redditur ἀνατολὴ i.e. *orient*, ſemel etiam καικίας i.e *ſubſolanus*: id adeo quia ſive *Typhon* ſive *Aquilo* (quae nomini Hebraeo *Taphon* reſpondent) ita ſeptemtrionalis erat ventns, ut nonnihil ad ortum declecteret. Poſtremo Syrus interpres quia perſuaſum habuit Lucae (Act. XXVII. 14) *Typhonicum* eſſe ipſum quem ſaepe dixi, Hebraeorum נפן *taphon*; ob eam cauſam in eo ſcribendo nomine nec litteram *Teth* nec *Tau* uſurpavit, ſed *Tſade* litteram, cum qua *Taphon* Hebraeum ſcribitur. Sic enim ibi id Graecum nomen Syre exhibetur: ܛܘܦܘܢܝܟܐ i.e. *Tuphonicos* (his enim vocalibus ea vox eſt animanda) quod non eſt aliud, quam Hebraeum *taphon* cum termiuatione Graeci derivativi. Etenim quod in vocali prima V in locum Hebraei *Kamets* ſucceſſerit, id ad conſuetas dialectorum mutationes eſt referendum. Nam Chaldaei qnidem in prima ejus vocabuli ſyllaba I adhibent loco vocalis *Kamets*. At Tuſci per qnos ea vox ad Latinos manavit, cum eſſent vocalis V amantiſſimi; hinc apud eos V priorem ſyllabam occupavit, idqne facile apud Graecos in Y tranſiit, ut Τυφων uſurparent.

Quod autem per Tuſcos ab oriente hanc vocem Latini acceperint, declarant celebres de Typhone gigante uarrationes, qnem ſive inſulae Inarime, ſive Aetnae monti ſnppoſitum volunt; qnibus in locis Tyrrheni primitus habitarunt. Graeci vero poſtmodum id nomen ab Italia per Tuſcos Aeolas acceperunt. Ac de etymologia ſatis. Nunc de Typhone fabuloſo jam agendum.

§. II.

De Typhone primitus vento aquilonari procelloſo, poſtea ob ſuam vehementiam in gigantem τύφωνα a poëtis tranſmutato.

DIxi §. I. Typhonem nihil aliud eſſe quam ventum Aquilonarem. Sed Graeci id nomen quia putarunt a τύφω i. e. *fumigo* & *accendo*

(a) In Graecis vulgatis hodie legitur Εὐροκλύδων i. e. *eurus fluctuoſus*. Verum nemo eſt hodie eruditorum virorum quin ſciat, legendum eſſe Εὐρακύλων. quod & Vulgatus Interpres habet & *Alexandrinus* codex apud Millium. At in Aethiopica translatione ſic legitur, *Et tunc ſpiravit ventus aquilonaris*. Error librariorum ex ſimilitudine litterarum Λ & Α prodiit, quae non hoic tantum ſed & aliis ſaepe in locis deſcriptoribus impoſuit. Et tameu is error antiquiſſimus eſt: nam τὸ *Euroclydon*, quod hodie dum in Syro legitur, oſtendit, in Codice Graeco antiquiore (quem Syrus interpres prae oculis habuit), jam tum ſcriptum fuiſſe Ευροκλύδων per errorem pro Ευρακύλων.

Digitized by Google

cendo venire, hinc ex eo non commune ſtati venti nomen, ſed peculiare repentini & procelloſi turbinis vocabulum ſtatuerunt. Quin cum is turbo clades navibus ac terris miſerandas afferret, hinc illud tamquam infame nomen commentitio giganti terris noxio aptarunt. Atque id indicavit Homerus Hymno in Apollinem ver. 306. ac mox v. 352.

Δεινόν' ἀργαλέοντε Τυφάονα, πῆμα βροτοῖσιν
Terribilem, violentum, hominumque Typhaona cladem.

Ceterum vel ſic poëtae huic monſtro (quod Τυφάονα *Typhonem*, ſive τυφωία *Typhoëa*, ſive *Typhoëum* vocabant) venti naturam non adimebant. Heſiodus Theog. 869.

Ἐκ δὲ Τυφωέος ἐστὶ βίαιοι μάσες ὑγρὸν ἄητον·
Humida ventorum vis eſt ex parte Typhoëo.

Quid autem Typhon ille gentilium gigas cum Typhone vento h. e. cum תפון *Tſaphon* (ſive *Taphon*) Hebraeo hujus loci commune habeat, non intelligerem, niſi Iſaias hoc cap. XIV. 12. & ſeq. facem praeferret, ubi Typhonis declarat θεομαχίαν & caſum in profundum laci. Ergo Iſaiae XIV. 12. & ſeq. haec verba cantici ſunt: *Quomodo cecidiſti de caelo Lucifer, qui mane oriebaris? Corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes?* v. 13. *Qui dicebas... in caelum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti in lateribus Aquilonis* 14. *Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo.* 15. *Verumtamen ad infernum detraberis in profundum laci.* Hactenus ſuperbiſſima Luciferi θεομαχία notatur. Mox uſque ad hymni finem h. e. uſque ad v. 27. acris eſt τῦ תפון (*Taphon* ſeu *Typhonis*) exitii deſcriptio. Hebraeorum *Tſaphon* idem eſt qui gentilium poëtarum *Typhon*: qui alio nomine apud eoſdem poëtas ethnicos *Enceladus* itemque *Briareus* appellatur. Ergo haec tria nomina unum & eumdem (3) gigantem notant.

§. III.

Quaedam alia Canticī Iſaiae expedienda, ac in primis de Gigantum mutatione laterum, unde eredebantur terraemotus oriri.

ANtequam hinc diſcedo, reſtat Verſus 13. cum aliquot ſequentibus refricandus. Poſt verba illa (v. 12.) *Quomodo cecidiſti de Caelo Lucifer, qui mane oriebaris?* &c. Mox v. 13. ita ſequitur: *Qui dicebas in corde tuo: in caelum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in Monte Teſtamenti, in Lateribus* (ſeu *Femore*) *Aquilonis.* Quibus extremis verbis quid excogitari tumentius poteſt? quid ſtylo Satanico accommodatius? quid arrogantius, ac ſimul obſcurius? poſtremo omnia ex Inferorum ſtylo, apud quos nihil minus quam Divina ſibi arrogare mos erat, quale illud, *Sedebo in Monte Teſtamenti*, h. e. in Monte ſatis vaſto & famigerato, cui *Teſtamentum* i. e. Domini templum inſidebat.

Tum quod ſequitur, multo eſt obſcurius. *In lateribus*, inquit, *Aquilonis*. Quod equidem non dubitaverim, *in femore Aquilonis* reddere. Nam ירכתי צפון *jarchethe Tſaphon* quid aliud ſunt quam *Aquilonis* ſive *latera*, ſive potius femora? quod poëticum plane eſt, ubi ventis membra humanis ſimilia paſſim tribuuntur, ac praeterea cauda ſatis longa ac tortuoſa, ut ex diverſis tum divinorum tum & veterum poëtarum locis conſtat. Verum aliis miſſis, *Aquilonis femur* eſt latus illud in quo is flatus impetu fortiore debacchatur ac terrae motus in primis ciet. Itaque femur Aquilonis eſt boreale latus. Nam non niſi violentiae Gigantum (olim in boreales cavernas montium ad ſuorum criminum poenam detruſorum) tum terrae motus tum quidquid impetu ingenti fit, acceptum vetus fabularis theologia referebat. Etenim Gigantes illos, ubi ex diuturno ſub montibus carcere delaſſati, demutare latus niterentur, tum immanes oriri illas montium concuſſiones antiqui fabulabantur. Montibus ergo primum, ſi credimus, terrae motuum pernicies oriebatur; quia Gigantes montium pondere preſſi, dum ſua impedita latera extricare vi magna nituntur, ac ſaltem veterem ſitum cum novo mutare, ecce tibi immanes illae montium concuſſiones: quarum notitia *Lateribus Aquilonis*, Iſaia auctore, debetur. Atque illa vis prima in montium cacuminibus orta, ſenſim ad declivia, mox etiam ad plana propagabatur, ſed ita ut per longa planiciei ſpatia vis illa ſenſim langueſceret, aut novis fortaſſe cauſis aliis foveretur. Haec de *Lateribus Aquilonis* ſive de terraemotibus

(3) Sed ita ut *Taphon* ſeu *Tiphon* aut *Tiphaeus* (nam pro vetſuum commodo ea vox varie a poëtis flectebatur) primarium nomen fuerit. At cetera illa *Enceladus*, *Briareus*, & ſiqua alia apud Graecos poëtas inveniuntur, ſunt paullo poſteriora. De his nominibus tum Bochartus videndus, tum alii plures. Vide prae ceteris hujus Geographiam ſac. cap. XXVIII. a col. 526. (ubi de Aetnae nomine) & ſeq.

motibus hauſiſſe antiqui videntur ex Iſaiae Canticis.

Nam ex his Iſaiae locis mirum ni profani potarint, praeſertim poëtae, apud quos ſub fabularum involucris non paucae gentilium traditiones inveniuntur. Veluti Virgilianum illud eſt Aen. III. 578.

Fama eſt ENCELADI ſemiuſtum fulmine corpus
Vrgeri mole hac, ingentemq. inſuper Aetnam
Impoſitam, ruptis flammam exſpirare caminis.
ET FESSVM QVOTIES MVTET LATVS, INTREMERE OMNEM
MVRMVRE TRINACRIAM, & caelum ſubtexere fumo.

Enceladi nomen, quo Maro hîc utitur, & Statius in III. Thebaidos aliique ſexcenti, eſt *Typhonis* ſive Typhoëi ſynonymon: verum Statii, & Callimachi loca Virgiliano ſubnectam, ut ex horum trium magnorum poëtarum conſenſu conſtet Typhoëo ſeu Typhone mutante latus ingentes terraemotus gigni conſueviſſe. Statii locus hic eſt.

. . . . Aut ubi tentat
Enceladus MVTARE latus, procul igneus antris
Mons (Aetna) *tonat.*

Callimachi vero (qui Ptolemaei Philadelphi aequalis, ejuſque bibliothecae praefectus fuiſſe dicitur) operae erit hexametros diſcere: ex quibus praeter *Typhonis* & *Enceladi* notiora nomina etiam tertium, quo *Briareus* dicebatur, vocabulum nobiliſſimi Gigantis hujus tenebimus. Ergo Callimachus Hymno in Delum ver. 141. ſios fudit hexametros.

Ὡς ἐπέν· Ἀτταλίη ὄρεες πυρὶ τυφομένοιο
Στείνονται μυχὸν πάντα, κατευδαλέοι γίγαντες
Εἰς ἑτέρην ἐτίταινον ἐπημύδα κυμένοιο.

Cujus Fragmenti Bochartus to. I. 529. ſequentem affert interpretationem.

Cum quando horriſonis mons intonat Aetna cavernis,
Eructatque globos flammarum & ſaxa ſub auras,
Cum mutare latus Briareus connititur acer.

§. IV.

ATque haec de Typhone ſatis, tum quatenus is Canticum Iſaiae illuſtrat, tum quatenus ex hoc Cantico Typhon illuſtratur. Ceteroqui Typhonicis antiquitatibus ſcatent libri, ſive Typhon uti ventus vehemens accipiatur, ſive uti gigas θεόμαχος, ſive quemadmodum ejus hiſtoria apud Aegyptios docebatur, ſive verius corrupta exponebatur. Plurima Typhonidum originum legenda apud Herodotum, apud Diodorum Siculum, apudque Plutarchum in *De Iſide & Oſiride*.

Ex recentioribus ſatis erit Calmeti Lexicon Biblicum in TYPHON adire, in quo hujuſce tractationis ſumma capita (ea maxime, quae ad Aegyptum pertinent) tangit, ad quae lectorem remittit.

DISSERTATIO II.

Ad illud Iſaiae XXXVIII. 14. Sicut pullus hirundinis, ſic clamabo: Meditabor ut columba.

SECTIO I.

In Prophetis, in Hagiographis, & ſimilibus הגה hagah *&* Μελετάω *&* Meditari, *&* Suſurrare *aut* Murmurare *&* *ſimilia eſſe plurimum myſtica, & prophetica verba, non tam vulgari notione, quam altiore intellectu accipienda.*

HEbraicum verbum הגה *hagah* & hîc & ferme ſemper a Graecis Interpretibus per μελετάω, a Vulgato vero Latino per *Meditor* redditur. Et quidem ſi Μελετάω & Latinum *Meditor* tantumdem ſit, quod *cogito*, ut vulgo putant; mirum videbitur, cogitationem columbis tribui, eaſdem aves Ezech. VII. 16 μελετητὰς appellari (quae forma notat nominis habitudinem) quaſi dicas cogitatione praeditas. At dicuntur ita non *cogitationis* (quae ſe foras minime prodit) gratia, ſed interni neſcio cujus vagitus, quem concipiunt illae aves intrinſecus. Ergo tam הגה *hagah*, quam Graecum μελετάω modo linguae tribuitur (uti Job. XXVII.

XXVII. 4. Pſ. XXXIV. 32. LXX. 26. Iſ. LIX. 3.) modo ori (ut Pſ. XXXVI. 32. Job. XXXVIII. 2) modo palato, aut gutturi, ut Prov. VIII. 7. Etine vero hoc credibile, os aut linguam *meditari*, h. e. cogitare juſtitiam, ſapientiam, & cetera hujuſmodi? An non hinc apparet, id verbum vocis magis quam mentis eſſe verbum?

Quid quod apud eoſdem Graecos interpretes μελετάω interdum reſpondet verbo שיח *ſuahh* ut Pſ. CXVIII. 14. CXLII. 5? Quod verbum *eloqui* aut *confabulari* ſignificat. Nulli ergo dubium quin הגה *hagah* & ei reſpondentia μελετάω & *meditor* vocalia potius ſint, quam mentalia verba. Quaenam autem in iis notetur proprietas ſeu quae ποιότης vocis, tum hinc tum ex aliis Scripturae locis datur intelligi. Hic enim & infra LIX. 11. de columbis הגה *hagah* uſurpatur, facile ut appareat ſuſurrandi & ſubmurmurandi vim iis propriam tribui: nec tantum avibus, ſed & hominibus, ex Iſ. VIII. 19. ſuculenter hoc quod dico intelligitur, ubi הגה *hagah* de pythonibus h. e. ἐγγαστριμύθοις ſeu ventriloquis uſurpatur. Ac, ne quid de ſignificatione addubites, ibi Graeci id verbum per ἐκ τῆς κοιλίας φωνῆς teddiderunt. Vide ibi dicta. Maneat ergo Hebraicum הגה *hagah* muſſitationem illam notare, quam ἐγγαστρίμυθοι olim edebant, aut columbarum ſuſurrum, aut demum urſorum inconditum murmur, quod Iſ. LIX. 11. cum columbarum ſuſurro conjungitur his verbis: *Rugiemus quaſi urſi omnes, & quaſi columbae meditantes gememus.*

SECTIO II.

De vi verborum Μελετάω & Meditor.

VErum quid tandem Graecis in mentem venit, ut verbum הגה *hagah* vix aliter quam per verbum Μελετάω verterent? Mihi quidem, niſi vehementer fallor, prorſus eadem τῷ μελετάω propria aliquando ſignificatio fuit, quam modo Hebraeo verbo הגה tribuendam dixi. Scio μελετάω quamcunque ἄσκησιν, qua operi praeludimus, notare, ac ſpeciatim oratoriam praeexercitationem. Id vero ipſum quid olim fuerit, proprie μελετάω declarat. Nam quia orator, ubi ſe ad dicendum comparat; quadam muſſitatione utitur, dum vel quae memoriae mandarat, ſubmiſſa voce ſecum ipſe repetit (1) vel ceteroqui non ſcriptam a ſe prius orationem ſed rude argumentum tum primum muſſitando delineat (2); ab ea, inquam, rudi muſſitatione tractum fuit, ut μελετάω & *muſſito* oratorum peculiaria verba evaſerint. Cumque declamatores magis (quippe memoriter dicturi) quam ſubacti oratores (ut qui vel ſubito dicerent, vel eſſent rebus quam verbis addictiores) ea muſſatione uterentur; hinc μελετάω *Declamo* ſignificabat, & μελέται *declamationes*. Ceterum facile poſtea fuit idem verbum μελετάω ad militates & quaſvis alias praeexercitationes transferre.

SECTIO III.

Quod Meditor *ſit quaſi* Melitor, *nec aliud ſit, quam taceto murmure verſus aut proſam intra ſe condere, ex antiquis demonſtratur.*

NOn aniles autem has eſſe conjecturas, ex Latino *meditor* poteſt demonſtrari; quod quia primitus *melitor* dicebatur, haud dubie a μελετάω venit. Ac *meditor* quidem apud Virgilium *cantare* ſignificat, (quaſi a *Melitor*) Servio teſte ex vetere codice apud Voſſium: *Meditaris, cantas, quaſi melitaris, D pro L poſita: quod Graeci* μελετᾶν *dicunt*. Tum autem *meditari* ſeu cantare poëta dicebatur, quoties tacito murmure verſus condebat, quo pertinere illud Horatii modo exiſtimabam: *Aut inſanit homo aut verſus facit*: Quia tacitus ſcil. ſuſurrabat. Vide praecedentem notationem, & quae infra ex Perſio producemus. Fulgentius etiam tibicines *meletari* dixit, eoſdemque Hyginus *commeletari*. In Gloſſis Μελετητὰς αὐλοὺς vertitur *Vacea*: cujus loco *Vaſca* reponit Cujacius, itemque Salmaſius ad Fl. Vopiſcum: quos vide, uti diſcas quo tibiarum genere ediſcere antiqui artem ſolebant.

(1) Eo fortaſſe ſpectat, quod in veteribus Gloſſis legitur, ubi μελετᾷ vertitur *condiſcit*; ob eam opinor cauſſam, quod qui orationem vult memoriae ſuae tenacius infigere, ſaepe illam ſecum ipſe ſubmurmurando recitat.

(2) Idque ex illo Hor. II. Sat. 7. Intelligitur.

Aut inſanit homo aut verſus facit,

de hero dictum, qui nefcio quid in famulum obgannlebat, idque muſſitando, ita ut poëtarum μελέτησιν imitaretur, qua verſus ſuos muſſitando procuderent. Par enim ac plane germana declamatorum, ubi ſe compararent, muſſitatio eſſe debuit: Perſius certe; cujus locus mox producetur, de oratoribus juxta ac poëtis loquitur. Vide notam 3. in fine Diſſertationis hujus.

Sed redeo ad *meditor* quod antiquitus erat *muſſito*. Teſtis mihi prodeat Plautus Poen. IV. 2. 18.

Nam is quidem illi ut meditatur, verba facit emortuo.
Et adire lubet hominem & autem nimis cum auſculto libeus.

Nam quia tacitus ille muſſabat (id ſibi vult *Meditatur*) idcirco propius *adiri* debuit. An Cicero eâdem notione uſurpavit in Flavianâ? *Non* (ait) *juriſjurandi, ſed laedendi verba meditatur*. Adeatur is, rogo, locus: interim videtur de iis dictum, qui muſſitantes alicui male precantur. Idem Cic. in I. offic. an de Oratorum ſe comparantium ſubmiſſa recitatione eſt capiendus? *Vt ſiquit*, ait, *cum cauſſam ſit acturus, in itinere aut in ambulatione ſecum ipſe meditetur*. Cujus rei exemplum admodum illuſtre ſuppeditat Plautus, ex quo quid MEDITARI ſit, facto dictoque docet in Amphitruone I. 1. 42.

Ea nunc MEDITABOR, quomodo illi dicam, cum illo advenero.

Ac rurſus v. 46.

Sed quo modo, & verbis quibus me deceat fabularier,
Prius ipſe mecum etiam vola hic MEDITARI. Sic hoc proloquar.
Principio ut illo advenimus, ubi primum terram tetigimus,
Continuo Amphitruo delegit viros. Et cetera capita quae herae ſe narraturum ex ordine, Soſia voce ſubmiſſa narrat. Poteſt ne clarius *Meditandi* verbum exponi?

SECTIO IV.

De ἐγγαστριμύθοις ſive ventriloquis.

HActenus non veros ἐγγαστριμύθους, ſed eorum arte expreſſos imitatores oſtendimus: nunc age veros & a naturâ expreſſos lectoribus proponamus. Dixi Hebraeum נהם *hagah* & ei reſpondens μιλτάω, h. e. *Muſſito*. peculiare verbum tum ventriloquorum fuiſſe, tum vero etiam columbarum. An non hinc obſcurae ſatis vatum fatidicarum appellationis ratio aperitur, qua vulgo πίλειαι, πιλειάδες, φάσσαι &c. nuncupabantur? Heſychio πίλειαι dicuntur eſſe *αἱ ἐν Δωδώνῃ θυσπίζουσαι μάντεις, in Dodona vaticinantes prophetides*. Videndus Herodotus lib. 2. de duabus ſacerdotibus eiſdemque vatibus, πελειάς appellatis, ſive quod nigri coloris eſſent (πέλος enim idem quod μέλας, ſicut & gentilium ſacerdotes Hebraeis כמרים *comarim*, quaſi *atratos* dixeris, vocabantur) ſive quod ipſarum ſermo barbarus atque inconditus eſſet inſtar avium, antequam Graecam linguam didiciſſent. Videndus porro & Sophocles in Trachin. aliique plures.

Sed redeo ad Ἐγγαστριμύθους, de quibus inceperam. Ἐγγαστρίμυθοι dicuntur Galeno (in Exegeſi vocum Hippocratis) *οἱ κεκλεισμένου τόματος φθεγγόμενοι, διὰ τὸ δοκεῖν ἐκ τῆς γαστρὸς φθέγγεσθαι*. h. e. *qui concluſo ore loquuntur, quod ex ventre vocem edere videantur*. Anutius Foëſius in Oecon. voc. Hippocr. ex Varino & ex MSS. putat in Galeno legi debere: Ἐγγαστρίμυθος, *ὁ κεκλεισμένῳ τόματι φθεγγόμενος, καὶ δοκῶν ἀπὸ γαστρὸς φθέγγεσθαι*. Certe locus Hippocratis, quem ſpectavit Galenus, eſt de femina quae in morem ventriloquarum ſuſurrabat: ſic enim habet de muliere anginoſa Epid. V. quod & lib. VII. repetitur his verbis: Καὶ ἐν τῷ στέρνῳ ὑπεψόφεεν, *ὥσπερ αἱ ἐγγαστρίμυθοι λεγόμεναι. Τοιοῦτό τι ξυνέβαινεν Ex pectore ſtrepitus quidam, ſimilis fatidicis, quae de ventre loquuntur, edebatur*.

Ad haec Tertull. mulieres fuiſſe ſcribit, quae genitalibus voces fatidicas ederent. Et ſibi viſam talem quamdam teſtatur Coelius Rodigin. X. 8. Hadr. Turnebus publice profeſſus eſt, teſte Foëſio, ſibi viſum quemdam nebulonem, qui immotis labris, ventre cum vellet, vocem redderet; eiſque praeſtigiis quaeſtum faceret.

Hoc divinationis genus Εὐρυκλέους *μαντεῖα* Ariſtophani in Veſpis dicitur, quia is Athenis eam divinationem exercuit, & ἐγγαστρίμυθος fuit. Ex quo poſtea ἐγγαστρίμυθοι, ἐγγαστρίται, & στερνόμαντεις ſunt appellati; quod ex ventre, ex pectore, & ex imis corporis penetralibus oracula funderent; uti ſcribit Pollux lib. 2. vide & Heſychium.

Ex tot veterum teſtimoniis jam opinor, intelligis, ab antiquiſſimis uſque temporibus plures fuiſſe vates feminas eaſque *columbarum* nomen adeptas: vanas vero prorſus ac ridiculas ejus appellationis eſſe cauſſas, quaſcunque veteres grammatici prodiderunt, ut in iis uſu venire ſolet, quorum ratio ex Oriente arceſſenda erat. Vera ergo hujus appellationis cauſa eſt, quam modo indicavi, quam & latius diducere proderit.

Multa enim ἐγγαστρίμυθοις ſeu Pythonicis cum columbino genere fuere communia. I. Ac primum *muſſitatio*, de qua tamdiu diſſerui, cujus gratia pythoniſſis *columbarum* nomen quaeſitum fuit, quod harum γογγυσμῷ ſimile murmur ederent. Sed & poëtae, qui divino furore perciti videri volebant tum cum verſus *meditabantur*, ſive ἰμελίειν (eas enim eſſe dixi proprias hujus rei voces) ſive in morem ἐγγαστρι-

ὀγγαρίζουσι (3) immurmurabant. Ἐγγαστρίμυθοι enim non alia de causa *oboth* Hebraice dicebantur, quam quia utrium instar inflabantur tum, cum murmure aggrediebantur: nam etiam columbas videas tota ingluvie tumescere, cum susurrum edunt. Quod sane praecipuum in Pythonicis fuit, unde id eisdem ἐγγαστρίμυθοι aut ἐγγαστριμύθοις nomen peperit, nempe ut immoto ore loquerentur, sic ut ex imo ventre re vera murmurent aut certe viderentur. Galenus in expositione vocabulorum Hippocratis vult apud hunc ἐγγαστρίμυθος appellari, qui clauso ore loquuntur, sic vero dictos quod ventre loqui videantur. At columbinum genus (saepe dixi) vere ἐγγαστρίμυθον appellari debuit, quippe quod cum maxime immurmurat, clauso rostro, tumescente vero ingluvie ex imo ventre susurrum illum edere videtur.

Hoc quod universe de columbino genere dixi, video id speciatim de turturibus (quas & Aristoteles V. hist. anim. 13. Athenaeus IX. 11. Suidas, ceteri omnes inter columbarum genera recensent) à Suida fuisse proditum: qui cum hanc paroemiam produxisset, τριγόνης λαλίστερος, *turture loquacior*; hanc ejusdem rationem subnectit, ἐπειδὴ αἱ τρυγόνες οὐ μόνῳ τῷ φθόγγῳ, ἀλλὰ καὶ τοῖς ὄστοῖς λαλοῦσι, *quia non ore tantum, sed & per posteriora loquuntur*.

Dixi jam plura quam opus erat de significatione verbi הגה *hagah*, & ei respondentium μελετᾶν & *meditor*: restat, ut nonnulla subjungam de ejus synonymo שחח *sjphtsjeph*, quod hîc & alibi cum הגה conjungitur. Apud Hâiam id verbum pluries reperitur, & ita ut appareat id verbum per ὁμοιοτέλευτον fuisse fortassis avicularum peculiare, idque ad ventriloquos translatum propter ea facile quae supra traditimus. Scio enim Aristophanem in Avibus plures avium voces usurpasse. Sed non memini ibi quod ζὶν ζὶν ζὶ (quod alii ex eo afferunt) in lepidissimo comico reperisse. Nec vacat in eo nunc tempus insumere, ut nanciscar.

(3) *Pectus tumidos videri velutisse* ἐγγαστριμύθους.

Persius Sat. V. Cornutum suum, quem a vitio tumoris abesse vult, sic alloquitur Versu 10.

Tu neque anhelanti, coquitur dum massa camino,
Folle premis ventos: nec CLAVSO MVRMVRE RAVCVS
Nescio quid TECVM GRAVE CORNICARIS inepte,
NEC STLOPPO TVMIDAS INTENDIS RVMPERE BVCCAS.

Sed & Sat. I. 13. eumdem morem videtur describere, sed ita ut ne oratores quidem, de quibus supra diximus, ab ea mussatione abstinuisse significet:

Scribimus inculsi, numeros ille, hic pede liber,
Grande aliquid, quod PVLMO ANIMAE PRAELARGVS ANHELET.

Fortassis & eodem pertinet quod Sat. VI. 10. poëtarum id murmur, occluso ore strertentium, roncho simile videtur facere.

Cur jubet hoc Ennii, posquam DESERTVIT esse
Maonides Quintus,

Alii tamen id ad Ennii somnium haud male referunt. Postremo & eodem spectat illud jactatum, a famulo in herum pescio quid mussitantem apud Hor. II. Sat. 7.

Aut insanit homo, aut versus facit.

Furit, inquit, sive ut Pythia sacerdos, sive ut poëta, qui dum versus meditatur, Pythiae in morem anhelans mussitat. Sed ut ad Persium redeam, nullus alius quam ipsemet (vere *praelargus animae*) superioribus versibus *anhelasse* videtur.

DISSERTATIO III.

AD ISA. LXIII. 1.

Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? &c.

Missis propheticis hujus loci significationibus, quae viros doctissimos exercitatos habent, litterae cortici adhaerebimus. Ac primum quaeri potest de *Bosra*, sit ne hic civitatis proprium nomen an vindemiae (quae בצרה hebraice dicitur) appellativum. Cui quaestioni respondeo: cum quod praecedit, (*Edom*) indubie sit hîc provinciae, non coloris nomen, etiam hanc, quae sequitur, *Bosram* omnino esse celeberrimae civitatis appellationem, sed cum aperta tamen allusione ad vindemiam, ut infra ex v. 3. constat.

Quaeri & illud potest, utra existimanda sit haec *Bosra*, Moabitica ne (cujus mentio Jer. XLVIII. 24.) an altera celebrior in Idumaea? Nulli dubium, quin notissima Idumaeae metropolis hic intelligatur. Est enim illud *De Bosra ἐπιφώνημα* ejus, quod praecessit, *De Edom*.

Hinc jam elucet, quid sibi velint, quae sequuntur. *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Perstat enim in allusione ad *Bosrae* significationem (quae, uti diximus, *vindemiam* significat) simul etiam in sanguinis uvae & sanguinis humani similitudine pulcherrime luditur. Vide quae in hanc rem diximus ad Jacobi vaticinium Gen. XLIX. 11. *Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvae pallium suum.* Veteribus enim vix aliud vini aut uvae genus, quam rubrum in usu fuisse, reperio. Hinc *sanguis uvae* appellationem invenit, ex omnimoda humani sanguinis similitudine. Sed & apertior est eadem allusio v. seq. *Torcular calcavi solus . . . calcavi eos in furore meo . . . & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea.* Ac fortassis *παρεμπτώσεις* illa omnia Prophetae usurpavit. Nam quia cruor concolor musto esset, utpote ex uvis rubris expresso, hinc qui humano sanguine se foedarent, calcare torcular proverbio dicebantur.

Sed redeo jam ad Bosram, celeberrimam Idumaeorum urbem, cujus tum Gen. XXXVI. 33. tum Amos I. 12. fit mentio. Hanc Idumaeae metropolim exstitisse, apertum est ex Jer. XLIX. 13. *In solitudinem . . . erit Bosra: & omnes civitates ejus* (h. e. omnes hujus metropoleos filiae) *erunt in solitudines sempiternas.* Et ex ejusdem capitis ver. 22. idem prorsus evincitur.

Hic autem digredi placet ad nobilissimae urbis Carthaginis natales ac nomen. Hactenus viri doctissimi quod quaerimus Tyriorum coloniam fuisse statuerunt: qui coloni Elissa duce primo in Africam appulsu *ἀκρόπολιν* tantum condiderint; cumque arx Phoenicio sermone בצרה *Bosra* diceretur, inde Graecos *Byrsae* vocem deprompsisse, cique vocabulo (quod Graece *corium* notat) *corii* commentum superstruxisse. Quam arcem ubi laxatis quoquo versum aedificiis in civitatis formam redegissent, *Carthadam* i. e. *καινὴν πόλιν* appellasse.

Quibus ut cetera assentiar, *Byrsae* quidem certe originatio non placet. Quis unquam sibi persuaserit principio arcem tantummodo exaedificatam? Vel ipsum *τὸ καινὴ πόλεως* nomen prioris *πολιχνίου* (*urbeculae*) significatio est. Age vero, fieri ne potest, ut priori urbeculae nomen appellativum *Bosrae* h. e. *munimenti* imposuerint? Tamquam si vero quis civitatem a se constructam nomine appellativo urbis aut civitatis donaret: id quod sensu communi plane caret. Atqui *Bosra* sive *Byrsa* non arcis appellativum, sed potius prioris oppidi nomen proprium fuisse videtur, eaque celeberrimam Idumaeae metropolim cognominem imitata appellatio videtur. Sollemne enim, sicut ceteris populis, ita & Phoenicibus fuit cognomines per orbem colonias dissiminare. *Hinc*, inquit Bochartus Phal. II. 27. *in mari Persico alii Sidonii, altera insula Tyrus, & Aradus altera: & in Hispania Nova Carthago: & in Boeotia alterae Thebae: & in mari Cretico altera Byblus: & Tharsis in utroque mari. Omnia enim haec nomina imposuere Phoenices.*

At enim a Phoenicibus, inquis, non autem Idumaeis Punica illhaec est deducta colonia. Quid ergo attinebat Phoenices urbem a se conditam Idumaeo nomine cohonestare? Verum Phoenices *αὐτόχθονες* fuisse Idumaeos, pluribus rationibus & veterum auctoritatibus ad Amos I. 9. probare conati sumus: & ipsa *Φοινίκων* appellatio, hos Edomaeorum, sibi *ὁμώνυμον* (hoc enim *Phoenix* Graecis, quod Hebraeis *Edomaeus* valet) fuisse colonos, tantum non clamat. Atque ut id largiar, Phoenices Idumaeorum *ἀποίκους* non fuisse: at foederatos certe fuisse populos, & mutua *ἀδιλφότητι* conjunctos Amosus propheta I. 9. tradere videtur. Lege quae ad eum locum fuse disputavimus. Ergo si Phoenices, ac non potius Idumaei (etsi enim in populo cognomine proclivior antiquorum error esse potuit, ut interpretamento usi, Phoenices conditores Byrsae narrarint, qui re vera Idumaei fuissent: tamen malo in antiquitatis auctoritate conquiescere) quoniam ergo Phoenices, inquam, revera hanc coloniam deduxerunt: fatendum est eos cognatae sibi metropolis nomen urbi a se conditae imposuisse.

Haec quae hactenus de Byrsae appellatione disputavimus, metae conjecturae videri poterant, nisi id expromam, quod me in eam sententiam impulit. Stephanus de Carthagine scriptum reliquit: Ἐκαλεῖτο δὲ Καινὴ πόλις, καὶ Καθαδὰν, καὶ Οἰνωσσα (1) καὶ Κακαβὴ. *Appellabatur etiam Nova*

(1) Videtur ex analogia scribendum Οἰνώσσα ab οἰνώσις, cujus femininum οἰνώσσα, οἰνῶσσα. In eumdem

Nova urbi, & Cadmea, & Oenussa, & Caeciae, quod vernaculo ipsorum sermone equi caput significat. Salmasius in illo immensae frugis opere exercitationibus Plinianis, in hanc appellationem inquirens οἰνοῦσσαν dictam ait Carthaginem quasi *multis olivis refertam*. Οἶν autem si Salmasio credimus, est ἄμπελος, h. e. *vinea*, vel *hortus*: at si Hecateo apud Athenaeum fidem adjungimus, ipsam ἄμπελον significat. Itaque, ut brevi dicam, vocem Οἰνοῦσσα interpretamentum esse vult veteris nominis *Carthaginis*, quod auctore Salmasio, tantumdem valet quod *civitas hortorum*. Salmatii interpretationem refert ac sequitur Chrittophorus Hendreichius in Carth. rep. pag. 32. Equidem ne quid gravius dicam, in ea expositione Salmasianum acumen requiro. Bochartus nihil, quod sciam, de Oenussae appellatione attulit. Mihi dubitantium non videtur, quin Oenussa sit Graecea interpretatio Phoenicii vocabuli *Bosra*; quo nomine prior civitas ab Elisa eit appellata, quod & urbis Idumaeae proprium nomen fuit, & appellativum *vindemiae*. Nisi malumus τὸ *Bosra* esse participii feminini formam; ut in eundem modum a בצר *bosser vindemiator* fit בוצרה *bosera*, (sive *bosra* ac per metathesin βόσρα) quo ab οἰνεύς fit femininum οἰνοῦσσα: quod est verissimum. Isaiae, quam diximus, alluso ad *Bosrae* significationem nostram sententiam mire confirmat.

Atque Elissa quidem novam illam *Bosram* sive Βόσραν in Africa condidit: eamdem maximis auctibus postea amplificatam non eadem Elissa, ut vulgo creditur, sed Jarbas Solino teste *Carthadam* h. e. καινὴ πόλιν appellavit.

Fuere & circa Chium insulae quaedam Oenussae appellatae. Thucydides lib. VIII. pag. 564. ἴσι τι Οἰνοῦσσαι, τῶν πρὸ Χίου νῆσοι. *Et ex Oenussis Chio praejacentibus insulis.* Herodotus prima Musa cap. 165. τὰς νέους τὰς Οἰνούσσας καλεομένας memorat h. e. *insulas, quibus Oenussis nomen*. Non recte Stephanus quasi de una insula, Οἰνοῦσσα, inquit, γῆσος τῆ Χίῳ πλησίον; aut Plinius, cui lib. V. cap. 31. *Oenussa* appellatur. Nam multo potior Herodoti & Thucydidis plures agnoscentium auctoritas esse debet. Ergo & has insulas a Phoenicibus aut Edomaeis habitatas, & vernaculo sermone *Bosras* appellatas a vini ferti, feracitate crediderim, Graecos autem (ut in talibus fieri solet) lingua sua οἰνοῦσσας interpretatos. Bilingues itaque, ut ita dicam, civitatium appellationes etiam secuti temporibus usurpabantur, ut quae *Julia Iocza* Punico sermone dicebatur, eam *Julianen Traduzam* Latini nuneuparunt apud Strab. 3. ut alia sexcenta omittam a Bocharto accurate collecta.

Atque haec ubi scripsissem; dubitare coepi an Byrsam Africanam Phoenices, non quidem Bostrae Idumaeae, sed alteri Bastrae sive Bastris in Phoenice litorali prope Byblum cognominem fecerint. Re enim vera reperi apud Strabonem ejus nominis oppidum in descriptione Phoenices lib. XVI. pag. 755. Κεῖται δὲ Βύρσα καὶ Τύγαρτος &c. *Infra vero Bostra & Gigartum* &c. Quanquam vero viri doctissimi Βύρσις referibendum putant, quemadmodum Ptolemaeo & Plinio V. 20. & in Peutingeri tabulis appellatur: tamen videtur mihi Strabo unus ex omnibus vetus Phoenicium urbis nomen ad nos transmisisse: pro quo Scriptores ceteri ejusdem nominis sive interpretationem usurparint (Βύρσις enim *racemus* hoc Graecis valet, quod Hebraeis בצרה *vindemia* & ab eodem Hebraeo vocabulo Graecum originem, opinor, trahit) five in hisce pronam καταθεῖσαν. Facillimum quippe fuit ex *Bostra Botrum* depravare. Certe prope Sidonem ilumen *Bostrenum* agnoscit Dionysius v. 913.

. . . . Καὶ Σίδονα ἀλδιόεσσαν,
Μακρὸν γουόεντα ἰὼ ῥόον Βοστρενῆος.

Et Sidonem florentem, habitatam ad amoeni fluenta Bostreni. Si amnis Bostrenus in Phoenice agnoscitur, quidni & Bostra civitas? Utrum igitur ab hac demum *Bostra Byrsae* nomen quaesitum fuit? Non dubitaverim equidem affirmare, modo probari possit Phoenicium Bostram Africanā coloniā antiquiorem fuisse. Verum cum illud Phoenices oppidum heroicis temporibus, quod litteris exstet, fuerit incognitum: quid aliud interim restat, nisi ut non tantum Africae Byrsam, sed & Phoeniciam Bostram a nobilissima Idumacae metropoli nomen suum mutuatas statuamus?

---

eumdem modum οἰνοῦσσα (non οἴνουσσα) est Hesychio μικρὰ οἴνη πεφυτευμένη, quam alii οἰνάρια appellant eadem forma ac dialecto, qua μελιτοῦττας & similia. Οἰνοῦσσα quoque (non οἴνουσα) apud Athenaeum lib. X. est herbae genus, qua gallata corvi & canes inebriantur. Postremo apud eundem Stephanum insula prope Chium οἰνοῦσσαι, non οἴνουσαι scribitae reperiuntur; de qua insula five una sive pluribus erit infra differendi locus. Tamen & optimae Stephani editiones οἰνοῦσσα proparoxyt. habent, & utrovis modo scribatur, per me licebit.

AD IER. I. 18.

Dedi te hodie in civitatem munitam, & in columnam ferream, & in MVRVM AEREVM.] Nec ſecus infra cap. XV. ver. 20. *Et dabo te populo huic in MVRVM AEREVM, fortem &c.* Imo non aliter Horatius, quaſi ſi Prophetam Iſaiam ſibi ad imitandum propoſuiſſet, Epiſt. ad Mecoenatem ſcripſit: *Hic MVRVS AHENEVS eſto.* Non *Ferreus* dixit.

At contra Ezechiel IV. 3. MVRVM FERREVM pro *Aeneo* uſurpavit: quaſi ſi aevo Ezechielis (qui haud paullo poſterior Iſaia fuit) ars muros ex ferro conſtruendi innotuiſſet. Verum hic Ezechielis locus tam varie ab Hebraiſtis vertitur, ut quidvis potius, quam *ferreos muros* ibi intelligas. Niſi vero rudem ferreorum murorum officinam excogites, in qua vi malleorum paratas ante laminas igni & glutinamentis poſtea junxeris: ſi in hoc uſque tunc pervenerit operarum ſollertia: de quo dubito.

Nam, inquam, Heſiodi certe aetate in talibus operibus in aere tantum vis erat artificum, ferri vero nondum peritia fuerat. Is namque in Ἔργοις v. 150. ita canit:

Τοῖς δ' ἦν χάλκεα μὲν τεύχεα, χάλκεοι δέ τε οἶκοι,
Χαλκῷ δ' ἐργάζοντο, μέλας δ' οὐκ ἔσκε σίδηρος.
Aerea erant his arma, domus ipſae aere micantes:
Aere operabantur; quia nigri inſcitia ferri.

Itemque Homerus ſuo tempore aëris, non item ferri uſum ad ſaepiendum agnovit. Sic enim Il. XV. 567. cecinit:

. . . Φράξατο δὲ νῆας Ἔρκεϊ χαλκείῳ . . .
. . . *Sepſere carinas* *Moenibus ex aere objectis* . . .

Verum Ezechielis demum temporibus loco aeris ductilis (quod antea ſolum plurimo in uſu fuerat) coepit ferrum igni mollitum, ſive in laminas, ſive quolibet attenuari modo, ita ut uſibus variis obſequeretur. Hinc jubetur a Deo Ezechiel IV. 3. his verbis obſidionem Hieroſolymitanam in latere quodam deſcribere: *Et tu ſume tibi ſartaginem ferream, & pones eam in MVRVM FERREVM inter te & inter civitatem... & erit in obſidionem, & circumdabis eam &c.* Haec, inquis, figurarum tenus jubebantur. Do quidem, figuratum fuiſſe hoc totum mandatum. Sed tamen prophetae *Murus ferreus* quid aliud niſi murum ſignificat, cui ſimiles tunc ſtruebantur? Sicut & *Sartago ferrea* ſupponit ſimiles alias fieri ſolitas, in uſus varios.

Adde & hoc, quod fieri fortaſſe tunc poterant ex utroque metallo muri, ſed congruis modis. Nam ex aere quidem ſi fierent; fieri de more oportuit, h. e. eliquato ante metallo, intraque formas ſuam docilitatem adepto: at ex ferro ſi operabaris; non ferro liquefacto, ſed tantum vi ignis, quoad fieri poterat, mollito, poſtea vero vi malleorum in laminas aliudve ducto utendum fuit. Quonam ergo pacto columna ferrea fieret? Ergo aeris antiquiora opera, ferri vero (utpote liquari indocilis) poſteriora fuerunt, & Heſiodo prorſus ignota.

AD IER. V. 8.

Equi amatores & emiſſarii facti ſunt; unuſquiſque ad uxorem proximi ſui hinniebat.

Digitized by Google

bat.] Hac metaphora pulchre utitur Ambrosius in de obitu Theodosii num. 50. ubi spurcas imperatorum & tyrannorum libidines taxat: *Qui quasi equi in libidines adhinnirent, quod liceret illis adulteria impune committere*.

AD IER. IX. 10.

Non audierunt vocem possidentis] Graece hîc Φωνὴν ὑποστάσεως: quod secuta est Ecclesia Africana in professione fidei apud Victorem Vitensem lib. 3. cap. 2. *Non audierunt vocem substantiae*: idque ad ὁμοουσίου fidem stabiliendam pertinere putarunt. Ceteras ejusdem commatis varietates Vulgatae veteris vide ibidem; Graecos enim per omnia sequuntur, ut & nomen *Substantiae*, quod ibidem ex Ierem. XXIII. 18. & 22. secundum Graecos afferunt. Graece enim ἐν ὑποστήματι, & ἐν τῇ ὑποστάσει legitur, ubi tamen Noster, *In consilio* posuit.

AD IER. XV. 16.

Inventi sunt sermones tui & comedi eos] Percipiendi discendique viae ab antiquis permiscebantur: itaque *Comedere sermones* est, quovis sensu corporis percipere. Ac notum esse arbitror illud Plauti Aul. III. 6. 1.

Nimium lubenter edi sermonem tuum.
Me. *Ain' audivisti?* Eu. *Usque a principio omnia.*

Apud Horatium in Elysio nemore Sapphonem & Alcaeum canentes

Attonita bibit aure vulgus.

AD IER. XVI. 16.

Ecce ego mittam piscatores multos . . & piscabuntur eos: & post haec mittam eis multos venatores & venabuntur eos &c.] Metaphorae lex postulat, ut *piscatores* mari potentem populum, *venatores* terra, interpretere. Vide de venatoribus hujusmodi ad Gen. X. 9. ubi *Nemrod robustus venator coram Domino*, (h.e. gentium domitor) dicitur. Equidem observavi semper Sidonios a piraticae artibus Homero decantatos, sicut alios populos a piscatu hominum (quibus rapiendis quaestum faciebant, eodem poëta teste in Odyssea) verius, quam *a piscium ubertate* (quod Trogus prodidit) nomen invenisse. Revera דַּיָּגִים *sajadim* tam piscatores quam venatores dicebantur, idque tum vera tum translata significatione, ut tum ex hoc Jer. loco, tum ex Gen. X. 9. & aliis multis colligitur testibus.

AD IER. XVII. 11.

Clamavit perdix & congregavit quae non peperit.] Explicat hoc Ambrosius in Hexa. lib. VI. n. 13. perdicem narrans alterius perdicis ova diripere ac fovere: sed demum pullos statim ut veræ parentis vocem audierint, ad hanc se conferre.

AD IER. XVIII. 2. 3. *& seq.*

Descende (o Ieremia) *in domum figuli . . . . Et descendi in domum figuli, & ecce*

ecce ipſe faciebat opus ſuper rotam.] Cetera Ieremiae mox adſcribam, ſicut & Siracidae verba quae huc pertinent: nam malim ab Homero (utpote primo, quem noverimus, figlinae artis doctore) mentionem ordiri: a quo digreſſus, tum demum Ieremiae, ac Siracidae loca in medium afferam: ex quibus Ieremias annis quadrigentis Homero poſterior, at Siracides circiter ducentis eodem Ieremia junior, at Homero ſexcentis poſterior. Quid enim figlinae glorioſius, quam quod praecipua ejus artis elementa Homero (qui quatuor ſaltem ſaeculis Ieremiae antecеſſit) antiquiora fuerint, & quod per tam longa intervalla nihil ferme fuerit in figulari arte immutatum, ut ex Poëtae loco mox afferendo conſtat: de cujus integritate cave dubites. Nec puto quiſpiam, quo minus huc afferatur id clariſſimum teſtimonium, prohibuerit: quod exſtat Iliados libro XVIII. ver. 599. his verbis:

Οἱ δ' ὅτε μὲν θρέξασκον ἐπισταμένοισι πόδεσσιν
Ῥεῖα μάλ', ὡς ὅτε τις τροχὸν ἅρμενον ἐν παλάμῃσιν
Ἑζόμενος κεραμεὺς πειρήσεται, αἴκε θέῃσιν.

Duplicem ſubjeci translationem, proſaicam unam ac ne ſyllabâ quidem ab auctore ſuo diſcedentem, cultiorem alteram & (ut hodie mos eſt) metro adſtrictam, quamvis ne hanc quidem a ductu juſſuque proſaicae diſcedentem. En prior metri lege ſoluta interpretatio: quam ex Homero Amſtelod. (ex officina Wetſten. an. 1707.) heic deſcribi placuit, quippe ἀυτολεξεὶ ex magno Poëta traductam Iliad. XVIII. v. 599. *Hi autem quandoque in orbem diſcurrebant doctis pedibus Leviter admodum, veluti cum aliquis rotam aptatam manibus ſedens figulus tentat, ſi currat.*

At eoſdem verſiculos verſione metrica, ſed prope ἀυτολεξεὶ traductos, volui hîc adſcribere.

Interea hi doctis pedibus diſcurrere in orbem,
Sed leviter: quaſi ſi figuli rota in id data dextrae,
Experiatur ut ante ſagax, quam curritur apte.

Quae cum ita ſint; quî venit in mentem Euphoro, Poſidonio, Plinio, Laërtio, Suidae, & aliis tribuere inventum rotae Anacharſidi Scythae: qui quidem circ. Olymp. XLVII. Athenas adiit? Ac Poſidonius quidem Homeri (cujus locum modo recitavimus) auctoritati ſic obviam iit, ut ejus locum ψεύδειας argueret, ut eſt apud Senecam epiſt. 90. Verum tam antiquae auctoritatis loca ψεύδειας ſine teſte ac tabulis damnare, dictu facilius quam verius habendum.

Sed multo probabilior eſt Strabonis & Senecae ſententia, ſtatuentium figlinam multo antiquiorem eſſe Anacharſide; qui, quod ejus uſum fortaſſis Scythas docuerit, hinc inventor eſt habitus. Vide Fabricium lib. 2. Bibl. Graecae pag. 812. in Anacharſide; & Plinium VII. 56. narrantem, quoſdam inventum iſtud Hyperbio Corinthio tribuiſſe; & hanc quoque fuiſſe Theophraſti ſententiam, ex ejus libro περὶ εὑρημάτων adnotatum eſt in Pindari ſcholiis. Certe ſi hoc Prophetae loco *Obnajim* figuli rotam notat (quod eſt veriſimillimum). Anacharſis Hyperbius & quivis alius ab hujus inventi poſſeſſione haud temere deturbandi erunt.

Atque ego poſtquam tantam figlinae antiquitatem oſtendi, ut ab Homeri uſque temporibus uſitata rota figularis fuerit, parum deinde de Ieremiae mirabimur ſaeculo. Qui poſt verba illa (*faciebat opus ſuper rotam*) quae initio hujus adnotationis praepoſui, ſtatim ita ſubjicit ver. 4. *Et diſſipatum eſt vas, quod ipſe faciebat*

Jaciebat e luto manibus ſuis: converſuſque fecit illud vas alterum, ſicut placuerat in oculis ejus, ut faceret . . . Numquid ſicut figulus iſte, non potero vobis facere, Domus Iſraël, ait Dominus? Ecce ſicut lutum in manu figuli, ſic in manu mea Domus Iſraël. Sed ne Sirachidae quidem, cui *Eccleſiaſtico* nomen, quamvis ducentis ferme annis Ieremia poſterior fuerit, ſententias ſane quam pulcherrimas queo omittere: qui cap. XXXVIII. 32. ſic orditur. *Sic figulus ſedens ad opus ſuum, convertens pedibus ſuis rotam* (figularem) *qui in ſollicitudines poſitus eſt ſemper propter opus ſuum, & in NVMERO eſt omnis operatio ejus.* Apud antiquos pleraque ad numeros fieri conſueviſſe, eruditi norunt. Ver. 33. *In brachio ſuo formidabit lutum, & ante pedes ſuos curvabit virtutem ſuam* 34. *Cor ſuum dabit, ut conſummet linitionem* (vox figularis, de qua ſupra) *& vigilia ſua mundabit fornacem.* Mitto cetera.

AD IER. XXV. 10.

Vocem molae.] Sumpſit hinc Joh. Apoc. XVIII. 22. φωνὴν μύλου. Ἐπιμύλιος ᾠδὴ nota eſt ex Athenaeo XIV. 3. ἰμαῖος, inquit, ἡ ἐπιμύλιος ᾠδή, ἣν παρὰ τοὺς ἀλέτους ἦδον. Epimylios *cantilena, quae ad molam canebatur.* Cujus cantilenae exemplum ex Plut. in convivio ſeptem ſapientum viri docti deſcripſerunt. Eſt & apud Pollucem IV. 53. & VII. 180. inter cantilenarum genera quaedam ἐπιμύλιος ᾠδή. Habes inſuper apud Aelianum VII. ποικ. ἱστορ. 4. ἐπιμύλιον ᾆσμα: tum & Photius in excerptis ex Philoſtorgio II. 2. ait: ὅτι τὸν Ἄρειον ἀποπηδήσαντα τῆς Ἐκκλησίας φησὶν ᾄσματά τε ναυτικὰ καὶ ἐπιμύλια καὶ ὁδοιπορικὰ . . . ἐντῦναι &c. Abuſum refert his canticis Arium, ut ea ratione ſuorum dogmatum virus incautis per hujuſmodi cantilenas inſtillaret. Poſtremo nullum antiquius hujus rei documentum eſt, quam quod apud Homerum in Odyſſea legitur, famularum molentium cantica audita in omen divinitus oſtenſum valuiſſe.

AD IER. XXXI. 19.

Percuſſi femur meum.] Apud antiquos ad dolorem aut indignationem notandam geſtus hic maxime valuit: Apud Ezech. XXI. 12. *Clama & ulula . . . plaude ſuper femur.* Mox v. 17. *Quin & ego plaudam manu ad manum.* Ac alibi ſaepe. Homerus Odyſ. E.

Ὤιμωξεν τ' ἄρ' ἔπειτα καὶ ἀμφοτέρῃσι παλάμῃσι
μηρὼ πεπλήγετο
His ſuper illacrymans palmis femur icit utrunque.

Ac totidem verbis de Aſio hoc dicitur Il. XII. 162. tum de Marte Il. XV. 113.

. . . . Αὐτὰρ Ἄρηος θαλερὼ πεπλήγετο μηρὼ
Χερσὶ καταπρηνέσσ' ὀλοφυρόμενος δὲ προσηύδα.
Femen utrunque ſub haec pronis violentia Martis
Contundens manibus, queruluſque ac turbidus inſit.

Sic etiam de Patroclo XV. 397. de Achille XVI. 125. Plautus Trucul. *Dentibus frendit, icit femur.* Apud Plutarchum Fabius, fugientibus ſuis, μηρόν τε πλήξαμενος, καὶ φωνάξας μέγα dicitur. Itaque Oratores in indignatione frontem

aut femur feriebant. Cicero in Bruto n. 278. fragmentum affert orationis ſuae adverſus M. Calidium, qui quod nullo ardore animi in accuſando uſus eſſet, finxiſſe potius crimina videbatur: *Nulla*, inquit, *perturbatio animi*, *nulla corporis*, *frons non percuſſa*, *NON FEMVR*, *pedum* (*quod minimum eſt*) *nulla ſupploſio*. Et tamen haec in oratore Quintilianus reprehendit: credo, ſi crebra & nimia. Xenophon in VII. Κύρ. π. ſcripſit: Ταῦτα ἀκούσας ὁ Κῦρος, ἐπαίσατο ἄρα τὸν μηρόν. *His Cyrus auditis*, *percuſſit femur*. Similia Plautus habet *Milite Glorioſo*. Adhaec ab Antiochenis patribus in epiſtola ſynodica apud Euſebium VII. 30. graviter accuſatur arrogantiae Paulus Samoſatenſis: παίων δὲ τῇ χειρὶ τὸν μηρὸν, καὶ τὸ βῆμα ἀράττων τοῖς ποσὶ, καὶ τοῖς μὴ ἐπαινοῦσι . . . ἐπιτιμῶν καὶ ἐνυβρίζων. *Adhaec femur manu contundere*, *ac tribunal pedibus pulſare ſolitus*; *eos vero qui non laudarent* . . . *increpare & contumeliis afficere*.

AD IER. XXXII. 14.

Sume libros iſtos . . . *& pone illos in vaſe fictili*, *ut permanere poſſint diebus multis*.] *Dolia* & *Opus Doliare* pro quacumque teſta ſumebatur: Idem credo & vox πίθος ſignificabat. Huc refer & libros Sibyllinos, qui in arca lapidea in Cella ſubterranea ſub templo Jovis Capitolini aſſervabantur: de quo vide Fabric. to. 1. Bibl. Gr. pag. 189. n. 2. ex Dionyſio. Imo & de libris illis omnibus, quos defoſſos olim legimus, ut & de libris Ariſtotelis &c.

AD IER. XLIII. 10.

Et ſtatuet (Nabucodonoſor) *ſolium ſuum ſuper eos*. Verti potuit *tentorium ſuum*. Nam שפרירו *ſaprir*, quod hîc occurrit (& quidem cum reduplicatione Chaldaeis familiari) ſignificat *ſupparum oſtrinum*, ex quo vela confiebant ad regii tentorii uſum. Vide quae in additionibus Voſſii Etymologico diximus in SVPPARVS. Nam Supparus a שפרירו *ſaprir* eſt.

AD IER. LXVII. 6.

O mucro Domini . . . *refrigerare & ſile*.] Heb. *quieſce & ſile*. Secuti hoc Graeci interpretes: ἀνάπαυσαι, *requieſce*. Nec aliud Latina vox *refrigerare* ſignificat. *Refrigerare* & *refrigerari* ſermone ἰδιωτικῷ ſaeculo ſaltem tertio dicebant pro ἀναπαύεσθαι, & *refrigerium* pro ἀνάπαυσις. In epiſtola Barnabae cap. XI. vetus interpres: *Qui refrigerans ſanctificavit illum* (ſabbatum illud) ubi Graece eſt καταύομενος. Sap. IV. 7. *Juſtus ſi morte praeoccupatus fuerit in refrigerio erit*: Graece ἐν ἀναπαύσει. Tert. *Refrigeraverit apud Abraham*. In actis SS. Perp. & Fel. cap. 3. *& refrigeravit* (h. e. ἀνέπαυσε) *abſentia illius*, ſupple *nos*. Porro uſus iſte verbi *refrigero* venit ab ἀναψύχω quod & *recreari* & *quieſcere* ſignificat. Poſteriore hac notione LXX poſuerunt Ex. XXIII. 12. ἵνα ἀναψύξῃ ὁ υἱὸς τῆς παιδίσκης σου Latinus interpres: *Refrigeretur filius ancillae tuae*. Idem verbum tam Graecum quam Latinum eâdem notione occurrit in fine Pſ. XXXIX. In actis vero SS. Perpet. & Felic. *refrigerare* ſaepius ponitur pro ἀναψύχειν, quatenus *refici* ſignificat, uti cap. 3. *Diacones* . . . *conſtituerunt pretio*, *ut* . . . *in me-*

meliorem locum carceris refrigeraremus. Itemque cap. 8. 9. 13. Sic & in aliis Actis Africanis; & apud Tert. de anima c. LI. *Mutatione ſitus ſibimet ipſi refrigeraſſent*. Plane tum hoc, tum aliis bene multis Africanorum idiotiſmis (quibus ſcatet vetus Itala verſio) adductus, auctorem illius fuiſſe Africanum, aliquando non temere ſuſpicabar.

AD IER. L. 39.

Habitabunt dracones cum Faunis Ficariis.] De *Faunis* iſtis *Ficariis* memini me primo in haec ſtudia appulſu chartae illeviſſe ſequentia.

DE FAVNIS FICARIIS.

Faunorum Ficariorum mentio occurrit in Vulgata verſione Ieremiae cap. L. 39. *Habitabunt dracones cum faunis ficariis*. Hebraice ibi eſt (ſicut etiam Iſaiae XIII. 21. & XXXIV. 14.) צִיִּים אֶת אִיִּים i. e. *tſiim* cum *iim*. Quae duo animalium genera alii aliter interpretantur. Cur τὸ *iim* ita verterit Hieronymus, hanc putat fuiſſe cauſſam Bochartus, quod ultimam literam radicalem putarit, ad num. pluralem notandum. אִיִּם *Im* autem *terribilem* ſignificat: Fauno vero terrores panicos veteres tribuerunt.

Quid autem hîc *Ficariorum* cognomen ſibi velit, non aeque facilis eſt conjectura. Occurrit ea vox non ſolum in Ieremiae latina interpretatione, ſed & apud S. Hieronymum ad Iſaiae caput XIII.; & apud S. Iſidorum in fine octavi Originum, & lib. XI. 3. quibus Iſidori locis editiones ne te fallant. Nam ea certe, quam ad manus habui, *Faunos ficarios* exhibet: unde, credo, Emmanuel Sa falſus, *Sicarios* apud Jeremiam legit; & hodieque in quaſdam recentes Bibliorum editiones hic error irrepſit. Sed & in Hiſtoriae miſcellae lib. duodecimo in Valentis rebus *Sylveſtres homines*, *quos nonnulli Faunos Phicarios vocant*, invenio: quorum cum Alyrumnis (id Magarum nomen fuit) congreſſu orti fuerint Hunni. In Gloſſis tamen, quae ſub Iſidori nomine circumferuntur, ſic ſcriptum inveni, *Ficarius*, *Faunus*, quaſi vero duo ſynonyma fuerint, non quaſi *Fauni* dicerentur cognomento *Ficarii*.

II. CONJECTVRA ALTERA.

Nec pigeat aliorum conjecturas referre. Quidam conjiciunt (eam certe notionem apud Cornelium a Lapide & in Calmetis lexico biblico inveni) Faunos, (quod genus animal homini perſimile revera exſiſtere ex multis hiſtoriis colligit Calmetus) & ex eo quod ficubus ſylveſtribus veſcerentur, audiſſe *Ficarios*. Verum *Ficarius* apud Latinos nunquam, quod ſciam, eum qui ficubus paſcitur, ſed id quod e ficu fit, ſignificat tum apud Catonem, qui *ficarias crates*, quae e ficu fierent, vocat; tum etiam apud Plinium, qui *ficarios culices*, quos Caprificus gignit, appellat. Idcirco ſuſpicabar, Fauni, cujus cultum Evander intulit in Italiam, ſimulacrum ficulneum exſtitiſſe: certe quia Faunus ſeu Pan idem fuit (teſte Phurnuto lib. de Nat. Deorum) qui Priapus diceretur. Hunc autem ficulneum exſtitiſſe ex Horatio demonſtratur: atque hinc ei *Ficario* cognomen quaeſitum. Sed pergo ad alias conjecturas.

III. BOCHARTI ET ALIORVM SVSPICIONES.

Bochartus (Hieroz. VI. 6.) eam appellationem non a *ficubus*, ſed a *ficis* i. e. tuberculis Faunorum faciem deturpantibus adſciſcit: cujuſmodi morbo laborantes *ficoſos* vocat Martialis.

Alius quidam vir doctiſſimus apud Bochartum cognomen iſtuc a *phicis* ingenioſe arceſſit, de quibus Feſtus in hunc modum: *Picati appellantur quidam, quorum pedes formati ſunt in ſpeciem ſphinguin, quod eas Dorii phicas vocant*. Et certe apud Heſychium Φίκα, φίγα, & σφίγγα invenias. Adhaec in Heſiodi Theogonia φίκ' ὁλοὴν, & apud Lycophronem in fine Alexandrae Φίκειον τέρας, quod de Sphinge Scholiaſtes interpretatur. Huic conjecturae id opponit Bochartus, quod Faunorum pedes caprini eſſent, ſphingum vero leonini. Quae tamen exceptio mihi tanti non videtur. Nam ſi quantulacunque quorumdam hominum ſimilitudo cum ſphingum pedibus fecit, ut inde *picati* ſeu phicati dicerentur: non video quin id vocabulum ad faunos potiore jure tranſire potuerit, quibus longe major cum ſphingum pedibus ſimilitudo intercedit.

IV. NOSTRA QVAEDAM CONJECTANEA.

Equidem nihil veriſimilius proferre poſſe mihi videor, quam eo cognomine faunorum ſalaciam potiſſimum notari: idque ex iis poteſt intelligi, quae de φάλλῳ συκίνῳ ac de ficulnea iſta religione dixi in Commentario meo quodam *De IVVENVM varia in lapidibus & auctoribus notione*. In cujus cap. IX. de *Suciniano Archineaniſco*, & de *Sacerdote Suciniano* agitur (quae huc transferri poſſent, ſi ſchedas illas facile nunc invenire poſſem) ac tandem ex eo potiſſimum quod Faunum eumdem eſſe atque *Ephialtum* ſive incubum veterum multi docent. In primis autem S. Iſidorus extremo octavo originum libro noſtrae opinioni mirifice favet: quippe qui *Faunum ficarium* interpretatur *incubonem*. *Quem autem*, inquit, *vulgo incubonem vocant, hunc Romani Faunum ficarium dicunt*.

AD

AD IEREMIAE PROPHETAE THRENOS SIVE LAMENTATIONES.

§. 1. *Hujus libelli titulus cujuſmodi initio fuerit.*

APud Hebraeos hîc libellus eſt ἀνεπίγραφος (titulo carens) niſi quod primâ libri dictione (ea eſt איכה *Echa*, *Quomodo*) loco tituli utuntur. Ac Graeci Latinique integram de ſuo praefigunt initio libri ſententiam, tamquam ſi libri pars ſit: *Et factum eſt* (inquiunt) *poſtquam in captivitatem* &c. *Ieremias* &c. *lamentatione hac ejulans dixit. ALEPH.*

Quomodo ſedet ſola civitas &c.

§. 2. *De θρηνῳδίας antiquitate, maxime apud Orientales.*

Inter Pindari deperdita memorantur Θρῆνοι apud Suidam & Pindari Scholiaſten. Videatur etiam Plutarchus Romulo, & in Conſolat. ad Apollon. Adhaec Θρήνους Simonidis (cujus poëtae praecipua laus in poëſi lugubri, & in cienda commiſeratione fuit, auctoribus Dionyſio Halic. Horatio, Catullo, Quintiliano) Suidas & Scholiaſtae Ariſtophanis & Theocriti celebrarunt: ſicuti & Porphyrion ad Hor. ait: *Threnos ſive planctus optime ſcripſit Simonides.* Hujus *Threnum* in Lyſimachum Eretrienſem Harpocration in Ταμύραι prodidit. Ad eosdem *Threnos* pertinuiſſe videtur ejusdem poëtae *Danaë* Ὀδυρομένη apud Dionyſ. Halic. Vox θρῆνος nonnunquam perſonam ſive auctorem & θρηνῳδὸν ſignificat, teſte Polluce, qui ait: Καὶ θρήνων ἔξαρχος, καὶ θρηνῳδὸς, ὃν καὶ θρῆνον ἐκάλουν. Illud θρήνων ἔξαρχος eſt ab Homero Il. Ω. 721. in Hectoris funere uſurpatum.

\- - - - Παρὰ δ' εἶσαν ἀοιδοὺς
Θρήνων ἐξάρχους, οἵτε γοήσασαι ἀοιδὴν
Οἱ μὲν ἀρ' ἐθρήνεον, ἐπὶ δὲ στενάχοντο γυναῖκες.
\- - - - *Juxtaque locarunt*
Flebile qui inciperent carmen, ſimul atque catervas
Sexûs alterius cum femineo ululatu.

Legenda profecto haec tota Homerica funeris Hectorei deſcriptio: quae ad Ieremiae Threnos illuſtrandos minime inutilis erit.

Videatur & noſter Dominicus Auliſius in Scholis Hebraicis quem memini ſatis erudite naeniarum originem ab Hebraeis repetere. Etſi autem viri tanti (haud vulgo noti) nunc non vacavit ſcripta rurſum cognoſcere; ipſius tamen ita me frangit auctoritas, ut ab Hebraeis potius prima θρηνῳδίας origo repetenda, quam aliunde videatur: Ieremia, ſi nemo alius, duce & auctore θρηνῳδίας.

§. 3. *Lugubres cantus, caeremonias, atque inſtituta apud Orientis populos maxime uſitata fuiſſe in rebus triſtibus praecipue apud Phoenices, Aegyptios, Palaeſtinos ab immemorabili tempore. Heſiodi carmina declarantur.*

Certe apud Phoenices voces illae MANEROS, LINOS, AILINOS ſunt lugubria immemorabilis antiquitatis Phoenicia nomina: de quibus poſtea dicam. Ac nihil magis luctûs triſtiumque caeremoniarum antiquitatem apud Phoenices proximoſque populos oſtendit, quam Heſiodi hexametri quatuor illi, qui initio fragmentorum Aſcraci vatis adhuc leguntur. Hexametri, quos Heſiodo nos debere dixi,

dixi, ſunt in hunc modum.

Οὐρανίη δ' ἄρ' ἔτικτε Λίνον πολυήρατον υἱόν,
Ὃν δὴ ὅσοι βροτοί εἰσιν ἀοιδοὶ καὶ κιθαρισταὶ,
Πάντες μὲν θρηνεῦσιν ἐν εἰλαπίναις τε χοροῖς τε,
Ἀρχόμενοι δὲ Λίνον, καὶ λήγοντες καλέυσι.

Quae ita pronum fuit nulla cum jactura ſententiae totidem hexametris reddere.

Linum, ex Vrania qui olim peramabilis ortus,
Cui quicunque exſtant cantores & citharistae,
Adſtant flebiliter cuncti menſisque choriſque,
Principioque Linum vocitant, nec fine reſiſtunt.

In Orientis linguis לון *lun*, & לין *lin* eſt *pernoctare*, choris ſcil. Significat etiam *conqueri* & *ejulare*: quae rei propoſitae quadrant. Nec egregius Herodoti locus eſt hîc omittendus, quippe cum verſibus Heſiodi valde conſentiens. Exſtat lib. II. cap. 79. Τοῖσι δὲ πολλὰ ἐπάξιά ἐστι νόμιμα, καὶ δὴ καὶ ἄεισμα ἔνεστι Λῖνος, ὅσπερ καὶ ἔστε φοινίκη ἀοίδιμός ἐστι, καὶ ἐν Κύπρῳ, καὶ ἐν τῇ ἄλλῃ· κατὰ μέντοι ἔθνεα ὄνομα ἔχει. Συμφέρεται δὲ ὠυτὸς εἶναι τὸν οἱ Ἕλληνες Λῖνον ὀνομάζοντες ἀείδυσι. Πολλὰ μὲν καὶ ἄλλα ἀποθωϋμάζειν με τῶν περὶ Αἴγυπτον ἐόντων, ἐν δὲ δὴ καὶ τὸν Λῖνον ὁκόθεν ἔλαβε τὄνομα. *Quibus* (Aegyptiis) *cum alia ſint egregia inſtituta, tum vero etiam eſt* (LINVS) *cantio in Phoenice & Cypro & aliis locis decantata: quae varium quidem pro ſingularum gentium differentia nomen habet; ſed quam convenit eamdem eſſe, quam Graeci Linum vocantes canunt; ita ut cum alia multa, quae ſunt in Aegypto, tum etiam illud admirer, unde Lini adſumpſerit nomen.*

De לין *lin* & לון fieri poteſt, ut (quod ſupra dixi) carmen querulum ſimul notent, ac ſimul etiam perſonam, aut, ſi mavis, numen, quod querulis hiſce caeremoniis eo aſſumpto nomine praeſit. Nec enim incredibile eſt, antiquitus ea plangentium collegia per Palaeſtinam & alias Orientis oras creviſſe.

Nihil autem antiquius in toto poëſeos genere θρηνῳδία fuit, quae Aegyptiis Μανέρως teſte Pauſania, at Graecorum aliis antiquiſſimis λίνος & αἴλινος appellabatur: cujus cantionis meminere Herodotus, Dionyſius Mythologus apud Diodorum Sic. lib. 3. Pauſanias, Athenaeus, Suidas, Euſtathius, alii. Volunt autem Λίνον ſic dictum, quod in Lini Vraniae filii celebratiſſimi, ab Apolline interfecti funere caneretur.

Ἄρχοντες δὲ Λίνον καὶ λήγοντες καλέυσι.

At viri docti λίνον a לין *lin*, quod phoenicio ſermone *ejulatum gemitumque* ſignificet, nomen traxiſſe ſuſpicantur. Olympo vetuſtiſſimo poëtae Suidas (in Ζυγαυλίαν) tribuit νόμους αὐλητικοὺς & θρηνητικούς· iſque, auctore Ariſtoxeno apud Plutarchum de morte Pythonis, primus αὐλῆσαι ἐπικήδειον λυδιστί dicitur.

Simonidis θρῆνοι celebres fuere in tantum, ut Ariſtides παροιμιωδῶς dixerit: ποῖος ταῦτα Σιμωνίδης θρηνήσει h. e. *Ecquis Simonides uſpiam reperietur idoneus ad haec lugenda* pro merito? Atque haec omnia cum ſint antiquiſſima, nil mirum ſi ſint etiam obſcuriſſima.

AD

AD THREN. I. 1.

Quomodo ſedet ſola, civitas plena populo.] Pulchra ſuperiori πολυανδρία, *multitudini* civitatis opponitur ἡ ἐρημία *ſolitudo*. Tale eſt illud Comici veteris in nomine *Megalopolis* ludentis apud Strabonem fine libri VIII.

Ερημία μεγάλη ἐστὶν ἡ Μεγαλόπολις.

Niſi ita potius verſus eſt legendus:

Ερημία μεγάλη ἔσθ' ἡ Μεγαλόπολις.

Eſt ſolitudo magna, Magna-civitas.

Quomodo ſedet ſola civitas &c.] Is ſitus proprius lugentium fuit, ex nummis cognoſcere licet, quibus provinciae captae ſub imagine ſedentis humi mulieris exhibentur; ut in nummis Veſpaſiani & Titi cum inſcriptione IVDAEA CAPTA. Virg. VI. 612. - - - - *Sedet aeternumque ſedebit*

Infelix Theſeus &c. Paſſim etiam in hoc Lamentationum libro & alibi, ſitus ſedentis, idem qui lugentis.

AD THREN. I. 13.

Poſuit me deſolatam] i. e. *fecit*, ut in Hebraeo millies; Sic & ſexcenties quoque Homerus, ut Il. XVII. 37.

Ἄρρητον δὲ τοκεῦσι γόον καὶ πένθος ἔθηκας.

Infandum luctum POSVISTI utrique parenti.

Sic & alii Scriptores Graeci verbum τίθημι eâdem notione haud raro uſurparunt. Latini non aliter: in veteri monumentorum formula paſſim legitur ὁ δεῖνα POSVIT i. e. FECIT.

AD THREN. II. 8.

Luxitque antemurale & murus pariter diſſipatus eſt.] In luctu magnorum virorum etiam pinnas dejici moenium ſollemne fuit, ut ipſae ſcil. urbes lugere, atque ſic quaſi amiſſa caeſarie, calveſcere viderentur. Fecit hoc Alexander (apud Plut. in ejus vita pag. 704. E) in luctu Hephaeſtionis. *Hunc caſum* (inquit) *tulit parum ſapienter Alexander, ſed confeſtim equos omnes muloſque tonderi lugubriter juſſit, circumjectorum oppidorum pinnas detraxit* (καὶ τῶν πέριξ πόλεων ἀφεῖλεν τὰς ἐπάλξεις) *miſerum medicum egit in crucem* &c. Vide an non tale ejuſmodi ſit, quod hîc Propheta innuat.

AD THREN. II. 10.

Conſperſerunt cinere capita ſua.] Mos aliis etiam populis in luctu uſitatus: Apuleius Mileſ. IX. *Et diſcerptae comae ſordentes inſperſu cineris.* Achilles Il. XVIII. 23.

Ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἑλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν
Χεύατο κὰκκεφαλῆς.

Quod totidem verbis de Laërte dicitur Od. XXIV. Apud Virg. Aen. XI. Pater Lauſi occiſi:

Canitiem multo deformat pulvere.

Et lib. XII. Latinus

Canitiem multo perfuſam pulvere turpans.

AD

AD THREN. II. 14.

Prophetae tui viderunt tibi falsa & stulta.] *Videre* (maxime cum dativo) pro *Vaticinari* Homerus etiam interdum usurpavit, ut Il. XXIV. 172.

Οὐ μὲν γάρ τοι ἐγὼ κακὸν ὀσσομένη τόδ' ἰκάνω.
Haud etenim huc venio ipsa tibi mala vaticinari.

Cicero quoque haud raro *videre* pro *praevidere* eleganter usurpat. Vt III. ad Att. 14. *Nunc velim, mihi plane perscribas, quid videas*, h. e. quorsum haec evasura augureris. Est enim *videre* pro *praevidere* divinatricis scientiae proprium verbum. Spartianus de Severo cap. 2. *Cum sollicitus mathematicum consuluisset, positaque hora ingentia vidisset astrologus.*

AD THREN. II. 15 16.

Sibilaverunt & moverunt caput suum super filiam Jerusalem . . . . fremuerunt dentibus & dixerunt: devorabimus &c.] De motu capitis vide dicta ad Matth. XXVII. 39. Ibi & Psal. XXI. 8. CVIII. 25. IV. Reg. XIX. 21. Isa. XXXVII. 22. & Eccli. XIII. 8. capitis oscillatio vix aliud quam irridentis & insultantis est. Hîc etiam aperta est insultatio; sed praeterea cum comminatione conjuncta est, quam in partem saepe apud Homerum is motus usurpatur. Od. XVII. 465. & 491.

Αλλ' ἀκέων κίνησε κάρη, κακὰ βυσσοδομεύων.
Sed tacitus capite oscillans, mala corde struebat.

Nemo non videt eam capitis nutationem hîc designari, quam in comminando usurpare solet, quisquis (ἀκέων) *tacitus* mala aliis intentat. Sic etiam Od. Δ.

ὁ δ' ἐχώσατο κηρόθι μᾶλλον,
Κινήσας δὲ κάρη, ποτὶ ὃν μυθήσατο θυμόν.

Taciturnitas his locis cum capitis oscillatione non irrisionem, sed apertam comminationem designat, qua utimur, quoties malum alicui cogitatione struimus. Imitatur id Virg. neque enim illud VII. 291. irridentis est, sed minantis, ubi Juno

Stetit acri fixa dolore,
Tum QVASSANS CAPVT, haec effudit pectore dicta:
Heu stirpem invisam &c.

AD THREN. III. 28.

Sedebit solitarius & tacebit.] H. e. sedebit tacens: ἓν διὰ δυοῖν. Sicuti loquturi surgebant, sic sessus tacentium proprius habebatur. Idem jam tum aetate heroica observabatur apud τοὺς ἔξωθεν. Nam quoties Homerus aliquem loquentem facit, praefatur, τοῖσι δ' ἀνέστη hic aut ille: apud eumdem quotiescumque aliquis quietem aut silentium indicit, ea formula utitur, Τέττα, σιωπῇ ἧσο, *amice tacitus sede*: sic Il. Δ. 412. & alibi pluries.

AD THREN. IV. 5.

Qui nutriebantur in croceis.] Graeci interpretes οἱ τιθηνούμενοι ἐπὶ κόκκων. Vnde auguratur Salmasius ad Vopisci Aurelianum cap. 34. e manu veteris Interpretis fuisse *In cocceis*, ex quo librarii fecerint *in croceis*; maxime cum in laudato Vopisci loco *Chlamyde coccea* scriptum praeferat tum vetus codex Palatinus, tum

tum & princeps editio pro *coccinea*, quod vulgo nunc legitur.

AD THREN. V. 7.

Patres noſtri peccaverunt & non ſunt, & nos iniquitates eorum portavimus.] *Porto* Latinis idem nonnunquam quod *aufero*; & כבל *ſabal* hîc & Iſ. LIII. 4. 11. *auferre* ſignificat, ut ad Iſaiam diximus, & potiſſimum ad Matt. VIII. 17. *Abſtulimus*, (hîc inquiunt) *in noſmet ſuſcipiendo*.

AD EZECHIELEM PROPHETAM

AD EZECH. II. 3.

Fili hominis, mitto ego te ad filios Iſraël, ad gentes APOSTATRICES, quae receſſerunt a me.] Cum in univerſis Linguae Latinae Theſauris multae ex voce *Apoſtaſis*, quaſi ex radice, dictiones pullulent (puta *Apoſtaſium*, *Apoſtata*, *Apoſtaticus*, *Apoſtatice*, & verbum *Apoſtato* unde *Apoſtatare*) poterat etiam vocis APOSTATRIX (quae hoc Ezechielis loco legitur) haberi ratio. Levis quidem iſthaec eſſe dices. Tamen, ſi me audis, in albo vocabulorum aevi argentei referatur hoc quoque, arbitror, cum ſexcentis aliis ejuſdem aevi argentei vocibus. Sed his tamen nunc colligendis horas quis, rogo, conſumpſerit? Satis nunc lectorem fuerit de re tam levicula monuiſſe.

AD EZECH. IV. 3.

MVRVM FERREVM.] Vide paullo ſuperius dicta ad Jerem. I. 18.

AD EZECH. X. 21.

Quatuor alae uni.] Fere omnes dii gentium, maxime juvenes, in veteribus monumentis (ſive ſigna ſint, ſive picturae, ſive vermiculata opera, quae *Muſiva* vocant) viſuntur alati, nec raro pluribus alis praediti: Sic Phoenicum Saturnus, & paſſim Mercurius aliique ſive duas ſive plures alas gerebant, ut hîc in Ezechiele. Hoc ethnicos ex Hebraeorum Prophetis, inſtigante diabolo imitatos difficile eſt non credere.

AD EZECH. XVI. 4.

In die ortus tui, non eſt praeciſus umbilicus tuus, & aqua non es lota in ſalutem &c.] Graeca interpretatio loco τῆς ὀμφαλητομίας (quomodo apud Suidam ea dicitur actio qua umbilicus praeciditur) habet οὐκ ἔδησας τὰς μαστάς σου: nimirum quia in שרך loco caninae litterae ſimilem alteram ד legerunt. At Druſius hîc citat οὐκ ἐτμήθη ὁ ὀμφαλός σου: neſcio unde, niſi forte ex correctione ſua. At apud Suidam in ὀμφαλός ſic legi hoc adagium: ὀμφαλός σου ὁ περιτμήθη. Ex profano ne ſcriptore aliquo, an (quod videtur veriſimilius) ex ignoto aliquo Ezechielis Graeco interprete id hauſerit, incertum habeo.

AD EZECH. XVI. 46.

Et ſoror tua major, Samaria, ipſa & filiae ejus, quae habitant ad ſiniſtram tuam: ſoror autem tua minor te, quae habitat a dextris tuis, Sodoma & filiae ejus.] De ἀδελφότητι (*fraternitate*) civitatum conferantur dicta ad I. Mach. XII. 7. 10. 21. Sicuti de *Maternitate*, & *filiatione* earumdem, videtur Oriens (maxime florente Rom. imperio) buccis crepantibus ſemper inſonuiſſe; ſicuti etiam & ex hoc loco innoteſcit.

AD EZECH. XVII. 7.

Vt irrigaret eam de areolis germinis ſui.] *Areolarum* per ſulcos irrigatio talis, qualis hodie in hortis fit, jam tum heroicis temporibus in uſu erat; uti conſtat ex Hom. Il. XXI. 257.

Ὡς δ' ὅτ' ἀνὴρ ὀχετηγὸς ἀπὸ κρήνης μελανύδρου
Ἀμφυτὰ καὶ κήπους ὕδατος ῥόον ἡγεμονεύει,
Χερσὶ μάχελλαν ἔχων, ἀμάρης δ' ἐξ ἔχματα βάλλων.
Τοῦ μέντε προρέοντος, ὑπὸ ψηφῖδες ἅπασαι
Οχλεῦνται· τὸ δὲ τ' ὦκα κατειβόμενον κελαρύζει
Χωρῷ ἐνὶ προαλεῖ· φθάνει δέτε καὶ τὸν ἄγοντα.

Quae etſi pluſcula, tamen quia pulcherrima, ſic ſtudui vertere.

Vt cum vir aquilex ſcite plantas per & hortos
Ductum a fonte nigro rivum diſpenſat aquaï:
Prenſo diſjicit ille ligone repagula ſulcis;
At leni pede lympha fluens, agitatque lapillos
Suppoſitos, rapideque volans immurmurat alveo
Prono, ducentem ſatagens ducta ipſa praeire.

AD EZECH. XVIII. 6.

In montibus non comederit, & oculos ſuos non levaverit ad idola domus Iſraël.] Adeo conjunctum cum ſacrificiis epulum (quod hîc *comeſtio* dicitur) fuit, ut *epulandi* verbo tota ſacrificalis actio interdum notetur. Virg. IV. Aen. 206.

Jupiter omnipotens, cui nunc Maurusia pictis
Gens epulata toris, Lenaeum libat honorem.

AD EZECH. XVIII. 9.

Vita vivet.] Et ſic infra & paſſim alibi in SS. Scripturis: quod & alii imitati. Verbi cauſa eâdem phraſi utitur S. Criſpina martyr Africana in Actis apud Ruinartum pag. 450. ubi ſe non conſenſuram ait quamdiu duxerit ſpiritum. *Nec facio*, inquit, *uſquequo vita vixero.*

AD EZECH. XXII. 10.

Verecundiora patris diſcooperuerunt in te.] Hebraice ערות אב *ervath ab* h. e. *nuditatem* ſive *pudenda patris*. Ex hoc Hebraico vocabulo videtur mihi Latinum *Verpa* factum (quod Catullo, Martiali, & auctori carminis ithyphallici uſurpatum fuit) nimirum aſpiratione in digamma Aeolicum, & *Vau*

Digitized by Google

& *Vau* in ejuſdem organi *Pe* commutatis. Ex *Verpa* vero *Verpus* eſt, Judaeorum contumelioſa ἐπίκλησις. Noſter autem interpres tam hîc, quam Jer. XIII. 22. *Verecundiora* uſurpavit, παθητικῶς ſumpto vocabulo, cum Latini Scriptores *verecundum* hominem aeque dixerint, ac rem *verecundam* ſive *pudendam*. Nam quo aevo fuere translata Biblia vox *verecundus* de re quoque uſurpabatur. Tert. de poenitentia c. 10. *Velut illi, qui in verecundioribus partibus corporis contracta vexatione, conſcientiam medentium vitant, & ita cum erubeſcentia ſua pereunt.* Victor Vitenſis V. 1. *Verecunda tamen membra nolite nudare.* Victor idem Vitenſis II. 7. de Hunerico: *Dirigens Vandalos cum ſuae gentis obſtetricibus ad inſpicienda . . . contra jura verecundiae verecunda pudoris.* Jerem. XIII. 22. *Revelata ſunt verecundiora tua.* Amm. Marcellinus XIV. 6. *Populique Romani nomen circunſpectum & verecundum.* Cujus loci inſignem Graeciſmum notat Valeſius: eſt enim Graece τὸ περίβλεπτον ὄνομα καὶ αἰδέσιμον. Zeno Veronenſis ſerm. 2. de Abraham dixit *ſenectus verecunda* pro veneranda: & paullo poſt, *Chriſti verecunda nativitas.* His & ſimilibus locis praeiverat unus, quod ſciam, ex paullo antiquioribus Quintilianus VII. 2. *Hoc dicere ruſtico verecundum eſt, quia innocentem fuiſſe patrem fatetur.* At *verecundum eſt* dixit pro *pudendum*.

AD DANIELEM PROPHETAM

AD DAN. I. 6.

Ananias, Miſaël & Azarias.] Ananiae nomen paullo infra haec tempora uſitatum reperitur in profanis ſcriptoribus. Nam fuit *Ananias* ſive *Ananius* jambographus aequalis Hipponactis (hic autem circiter Olympiadem LX. claruit) qui memoratur Athenaeo lib. III. pag. 78. lib. VII. p. 282. & lib. IX. p. 370. Memoratur & ab Ariſtophanis Scholiaſte ad Ranas v. 671. tum & in Tzetzae proleg. ad Lycophronem. Poſtremo Hepheſtion pag. 16. Enchirid. ait ſcazontici carminis inventionem ab aliquibus Hipponacti, ab aliis Ananiae acceptam referri.

AD DAN. II. 37.

Rex regum] Titulum ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ qui Arſacidarum veluti peculiaris fuit (id quod & ex auctoribus, & Arſacidarum nummis patet) ex hoc loco conſtat eſſe opinione antiquiorem. De eo titulo (Βασιλεὺς Βασιλέων, multis regib. communi) vide quae Spanhemii congeſſit diligentia Diſſ. V. *de praeſt. & uſu num.*

AD DAN. III. 2.

Ad dedicationem ſtatuae.] Fallitur Grotius qui felicius Latinum interpretem vertiſſe *dedicationem*, quam Graecum ἐγκαίνια putavit. Ex iis quae pluries copioſe *De Dedicationibus* diſputavi, patet idem prorſus eſſe Latinis, *Dedicationem*, quod Graecis ἐγκαίνια. Ac vide prae ceteris Diſſertat. noſtram *De Dedicatione ſub aſcia*.

AD DAN. III. 4.

Et praeco clamabat valenter.] Ad praeconium faciendum non nisi viros vasta voce praeditos fuisse delectos, ex multis antiquorum locis intelligo, in quibus eorum μεγαλοφωνία commendatur. Homerus. Il. II.

Στὰς ἐν μέσσοισιν μετεφώνεεν ἠπύτα κήρυξ.

Vociferabatur mediis stans praeco canorus.

Hinc teste Eustathio, praeco quidam Ἤπυτος *Epytus* (quem *Vociferatorem* interpretari possis) vocabatur. Xenoph. in II. *Hellenic.* ὁ τῶν μυστῶν κήρυξ μάλ' ἐμβριθὴς ὤν, κατασιωπησάμενος ἔλεγεν. *Initiatorum praeco magna voce praeditus, indicto silentio, dicebat.* Cicero pro Flaceo: *Citat praeco MAXIMA voce legatos Aemonenses.* Virg. V. Aen.

Victorem magna praeconis voce Cloantum
Declarat.

Appulejus in VIII. Met. *Tunc praeco diruptis faucibus & rauca voce faucius*, &c. Vbi *faucium* dicit, quia clamore *vulnerari* arterias & fauces Auctor ad Her. III. 12. docet. Hinc in Actis S. Mauri Mart. *Vox praeconia* tantumdem est quod *ingens* & *immensa*. Ibi enim cap. 4. num. 18. sic legitur: *Qui dum caederentur, sub voce praeconia dicentibus quaestionariis: Praecepta principum nolite contemnere.* Jam vero clamando maxime iidem *vocem exercere* satagebant. Plautus in prologo Paenuli V. 11.

Exsurge praeco: fac populo audientiam . . . .
Exerce vocem, quam per vivis & colis.
Nam nisi clamabis, tacitum te obrepet fames.

Seneca epist. 47. *Vocem praeco experitur*, clamando scil. De ea vocis exercitatione vide Senecam epistola XV. media & Apuleium in XVII. Floridor.

AD DAN. III. 24.

Et ambulabant in medio flammae &c.] Ex Diaboli zelotypia huic aemulum miraculum apud gentiles fidem invenit, nimirum in Apollinis sacerdotibus juxta Soracte montem super prunas impune gradientibus. De quo videndus Strabo lib. V. pag. 226. qui tamen Feroniae tribuit, quod alii omnes Apollini. Adhaec videatur Virgilius, & ad eum Servius, insuper Silius, & alii apud Cluverium lib. 2. Ital. antiquae cap. 3.

AD DAN. III. 27.

Et omnia opera tua vera.] Hebraice haec non exstant, sed Graece sic leguntur: Καὶ πάντα τὰ ἔργα σου ἀληθινά. Est autem in operibus vox *Verum* idem quod *Bonum*. Opera enim ubi artificis ideae conformia exsistunt, tum demum *vera*, itemque eadem *bona* sunt: eoque spectat Divina approbatio Gen. I. singulis subjecta operibus, *Vidit Deus quod esset bonum*, h. e. verum suoque exemplari conforme. Atque eo sensu Vitruvius, lib. I. c. 1. ubi architectum aequum & fidelem & sine avaritia esse oportere dixisset, subjunxit: *Nullum enim opus VERE sine fide & castitate fieri potest.* Habetque hunc usum vox Ἀληθὴς, quae hic reperitur, ut non tantum *verum*, sed & *bonum* significet. Polybius initio lib. I. ἀληθινωτάτην μὲν εἶναι παιδείαν καὶ γυμνασίαν πρὸς τὰς πολιτικὰς πράξεις τὴν ἐκ τῆς ἱστορίας μάθησιν. *Verissimam* (i. e.) *optimam quidem institutionem ac praeparationem ad capessendum remp. esse doctrinam illam, quae ex historia paratur.* Nihil enim dubito, quin ἀληθινωτάτην Polybius pro καλλίστην posuerit, ut ex eodem lib. I. pag. 51. potest

poteſt intelligi, ubi ipſe ſe Polybius interpretatur in hunc modum: Ἐξ ὧν συνιδόντι ΚΑΛΛΙΣΤΗΝ παιδείαν ἡγητέον πρὸς ἀληθινὸν βίον, τὴν ἐκ τῆς πραγματικῆς ἱστορίας περιγιγνομένην ἐμπειρίαν. Xenophon VIII. παιδ. venationem eſſe rerum bellicarum μελέτην καὶ ἄσκησιν ἀληθεστάτην dixit. Plato eâdem notione dixit ἀληθινὴ πόλις h. e. *bene formata civitas*, & 1. Pol. ἀληθινὸς ἄρχων. Eodem ſenſu in Novo Foedere Chriſtus *Lux vera*, & *Vitis vera* dicitur, & ſexcenta hujuſmodi. Prae ceteris Johannes familiare habet *Verum* pro *Bono* uſurpare.

AD DAN. III. 94.

Sarabala eorum non fuiſſe immutata.] *Sarabala* genus erat bracarum praelongarum ad pedes uſque pertinentium. Eorum figuram vide apud Bonarrotium in Obſervationibus ad Vitra coemeterialia pag. 68.

AD DAN. V. 27.

Appenſus es in ſtatera, & inventus es minus habens.] Ex hoc loco elegans extremi judicii emblema manavit, quo Divinus Judex inducitur alterâ lance bona opera, alterâ peccata appendere. Prudentius Peri ſteph. IV. 9.

Cum Deus dextram quatiens coruſcam,
Nube ſubnixus veniet rubente,
Gentibus juſtam poſiturus aequo
Pondere *libram.*

Addatur hîc pulcherrimus Ambroſii locus ep. ad Conſtantium l. 1. ep. 2. num. 16. *Pendet ſingulis noſtrorum ſtatera meritorum, atque exiguis vel boni operis, vel degeneris flagitii momentis huc atque illuc ſaepe inclinatur: ſi mala vergant, heu me! ſi bona, praeſto eſt venia. Nemo enim a peccato immunis: ſed ubi propendunt bona; ELEVANTVR peccata, obumbrantur, teguntur. Ergo in die judicii aut noſtra opitulabuntur nobis opera, aut ipſa nos in profundum, tamquam molari depreſſos lapide, mergent.* Ex hoc porro Ambroſii loco animadvertimus, cur Latini melioris aevi ſcriptores ELEVARE poſuerint pro eo quod eſt *extenuare, minuere*. Eſt enim locutio ſumpta a ſtatera, in qua quod minus eſt, elevatur. Ac ſimul ea proverbialis locutio ab Orientali ſapientia (uti ex Jobi locis, & hinc conſtat) per Etruſcos in vetus Latium penetraſſe videtur. Maimonides in tract. de poenitentia cap. 3. §. 3. poſt mortem uniuſcujuſque juſtitiam & iniquitatem in ſtatera appendi docet: idem quoque anno ineunte fieri: qui juſtus reperietur, ad vitam, qui improbus, ad mortem ſignari: qui porro medii deprehendentur, eos rejici ad diem Expiationis, quo eos ſi poeniteat, ſignari ad vitam; ſi ſecus, ad mortem. At vulgo pictores examinis hujus per libram miniſterium Archangelo Michaëli attribuunt. Vide dicta ad pares Jobi VI. 2. 3. & Pſ. LXI. 10. locos. Adde & Homerum Iliad. XXII. 209.

Καὶ τότε δὴ χρύσεια πατὴρ ἐτίταινε τάλαντα,
Ἐν δ' ἐτίθει δύο κῆρε ταλαπλεγέος θανάτοιο
Τὴν μὲν Ἀχιλλῆος, τὴν δ' Ἕκτορος ἱπποδάμοιο,
Εἷλκε δὲ μέσσα λαβών, ῥέπε δ' Ἕκτορος αἴσιμον ἦμαρ.
Tunc geminas librae lances Saturnius aureas,
Quis poſuit duo fata trucem importantia mortem,
Hectoris hinc domitoris equûm, hinc immitis Achillei:

Ποῖς

Troïs at atra dies deorſum inclinata recumbit.

Quod in pari argumento imitatur Virg. XII. 725.

Jupiter ipſe duas aequato examine lances
Suſtinet, & fata imponit diverſa duorum,
Quem damnet labor, & quo vergat pondere letum.

Similis eſt alter Homeri locus Il. Θ. 69. quem attuli ad Job VI. 2. 3. Fatendum tamen eſt, in Homerica quidem ſtatera meliorem lancem levari, deteriorem deſidere; contra quam in Scriptura fit, ut alibi notavimus.

AD DAN. VI. 24.

Et in lacum leonum miſſi ſunt ipſi, & filii, & uxores eorum.] Ex Perſarum inſtituto, quo poena ad omnes propinquos extendebatur. Cujus exempla dedit Briſſonius de regno Perſ. lib. 2. p. 251. edit. Paris.

AD DAN. VII. 24.

Per cornua decem, reges decem hîc deſignari a Propheta dicuntur, e Syriae puta aut Aegypti regibus: qui utpote ſucceſſores Alexandri, cornigeri in nummis conſpiciuntur, ut obſervat Spanhemius diſſ. V. de praeſt. & uſu numiſm. pag. 368. ſecundae editionis.

AD DAN. VIII. 20.

Rex Perſarum per arietem cornigerum hîc deſignatur, quia vetus fortaſſe Perſarum regum diadema fuit, quod Ammianus ſuo tempore eos geſtaſſe tradit lib. XIX. *Aureum capitis ARIETINI figmentum interſtinctum capillis pro diademate.* Vide animadverſiones Spanhemii diſſ. V. de praeſt. & uſ. numiſm. pag. 362. edit. ſecundae. Confer & Valeſium in notis ad Ammianum.

AD DAN. IX. 24.

Septuaginta hebdomades abbreviatae ſunt ſuper populum tuum & ſuper urbem ſanctam tuam.] Annorum hebdomadas norunt & aliae nationes, in calculis adhibere, uti liquet ex Macrobio I. in ſomn. Scip. 6. ubi multus eſt in docendo quid una quaelibet annorum hebdomas in hominis aetate mutationis afferat, ac ſingularum ſeptimanarum proprietates tradit. Ac facile Macrobius ſive ab Ariſtotele id hauſit dicente in Polit. VII. in fine, Οἱ γὰρ ταῖς ἑβδομάσι διαιροῦνται τὰς ἡλικίας; ſive ex M. Varrone apud Gellium III. 10.

AD DAN. X. 13.

Princeps autem regni Perſarum reſtitit mihi viginti & uno diebus: & ecce Michaël unus de principibus primis venit in adjutorium meum, & ego remanſi ibi juxta regem Perſarum.] Inter antiquos ferme convenit, *Principem hunc regni Perſarum* eſſe Angelum ejus regni cuſtodem; etſi recentiores quidam regem ipſum Perſidis intelligunt.

intelligunt. Prius si sequimur; tum eam Judaeorum doctrinam (qua non singulis tantum hominibus, sed & civitatibus singulis atque regnis suus est peculiaris Angelus in custodiam assignatus) profanos quoque imbibisse dicendum erit, ut genios singulis hominibus, urbibus, provinciis, societatibus vindicarint. Ac de geniis pleni sunt eruditorum libri, in quibus eadem ferme reperias, ac quae nostri Theologi de bonis malisque angelis tradiderunt. Etiam quod hîc de Angelorum aemulatione atque pugna narratur, id ad gentiles manavit. In Appiani certe Particis legitur Aegyptius quidam magus dixisse Antonii fortunam (τύχη Graecis tantumdem quod Latinis *Genius*) ceteroqui maximam, a Caesaris Octavii fortuna obscurari: proinde optimum factu fore, si ab Octavio Antonius quam longissime recederet. ὁ γάρ σος, ἔφη, δαίμων τὸν τούτου φοβεῖται: *Nam Genius tuus, inquit, illius Genium reformidat*. Verum haec parcius in Angelis quam in Geniis Theologi senserint. De his nolo equidem quidquam affirmate pronuntiare.

AD DAN. XIII. 2.

Accepit uxorem nomine Susannam.] Susannae nomen & historiam compertum habuit Nicolaus Damascenus, sive quisquis ille fuit, auctor dramatis *Sosannidis* cujus meminit Eustathius ad Dionysii v. 976. Ibi genitivum τίγριδος Arriano, & Auctori illius, quod dixi, dramatis, usurpatum tradit in haec verba: ὁ μέντοι Ἀρριανος διὰ τοῦ Δ κλίνει Τίγριδος, καθὰ καὶ ὁ γράψας τὸ δρᾶμα τῆς Σωσάνιδος, οἶμαι ὁ Δαμασκηνὸς, ὡς ἐκ τῆς ἐπιγραφῆς φαίνεται. Certe ὁ Δαμασκηνὸς quis alius esse potest quam ille celeberrimus Nicolaus, qui Herodis & Augusti familiaritate floruit? qui praeter cetera etiam Τραγῳδίας, inquit Suidas, ἐποίει καὶ κωμῳδίας εὐδοκίμους. Et quidem Susannae historiam (quam supra dixi Nic. Damasceno tributam) aptissimam dramati materiam nemo non reperiet.

AD DAN. XIII. 30.

Et venit cum parentibus & filiis & universis cognatis suis.] Latini veteres dixissent: *venit cum advocatis*. Id enim antiquitus *advocati* nomen significabat, propinquos scil. amicosve, qui reo se comites dabant, ut periclitanti jus suggererent, aut certe gratia praesentiaque aliquid favoris opisve apud judices afferrent. Sero admodum id vocabulum ad causidicos designandos tractum fuit. At primitiva notione Plautus in Casina usurpavit: *Dum asto* (inquit) *advocatus cognato meo*. Apud Livium lib. 3. in liberali caussa Virginiae frequens est *advocatorum* mentio, qui non alii sunt quam *Itilius* sponsus, *Numitorius* avunculus, aliique necessarii & amici, quos etiam cap. 47. *Advocationem* appellat. Asconius in divinationem: *Qui defendit alterum in judicio, aut patronus dicitur, si orator est: aut advocatus, si aut jus suggerit, aut praesentiam suam commodat amico*. Nec aliud veteri Graeciae οἱ παράκλητοι erant. Demosthenes in or. περὶ παραπρεσβείας scripsit: Αἰδὲ τῶν παρακλήτων αὗται δέησις.

AD DAN. XIII. 42.

Deus aeterne qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant.] Ecclesia Africana in professione fidei apud Victorem Vitensem lib. 3. cap. 13. citat sic, ex Italica opinor: *Deus qui occultorum cognitor es, qui praescius es omnium antequam nascantur*.

AD

AD DAN. XIV. 4.

Non colo idola manufacta, sed viventem Deum.] Apud Cypr. epist. 56. & epist. ad Fortunatum: *Nihil colo ego nisi Dominum Deum meum.* Sed vulgata cum Graeco textu consentit, in quo diserte est εἴδωλα χειροποίητα, *Idola manufacta.*

IN PROPHETAS ALIOS DVODECIM

Qui vulgo Minores nominantur

EISAGOGE.

PRophetae quatuor, ad quos hactenus pauca contulimus, MAJORES ab vulgo cognominantur, longioris scriptionis respectu magis, quam majoris spiritûs ac dignitatis habita ratione; quia cum inspiratio in omnibus divina sit, par in omnibus fuerit necesse est, habito certe fontis respectu. Hinc inter priores quatuor vates, & posteriores hos duodecim nullum unquam fuit in Bibliis Vulgatis tale discrimen, quo quatuor illi Majores, *bi vero inscribantur* Minores. *Nam re vera additamentum istud in Biblia numquam admissum fuit, sed tantum in Commentariorum commodum aliquamdiu permissum. Ergo quatuor illi ab Isaia ad Danielem (qui hodie non nisi vulgo* Quatuor Prophetae Majores *vocantur) absolute* Prophetae *dicendi sunt; sicuti & illi alii ultimi ab Osee ad Malachiam* Duodecim *quidem sed non* Minores *(quamvis re vera breviores plerumque sint) sed simpliciter* Prophetae *sunt appellandi. Nec alia vetus in Bibliis consuetudo fuit, ut omnes Prophetae sedecim pari gradu procederent sine* Majorum Minorumque *discrimine. Quod discrimen, ignotum semper in Bibliis (quia par in Prophetis omnibus Spiritus, & acqua semper habita dignitas) tamen in privatorum dumtaxat commentariis hoc mansit, ut longiores tantum quatuor prophetae, Isaias, Jeremias (cum suo scriba Baruco) Ezechiel, Daniel, vocarentur* Majores, *reliqui vero duodecim* Minores *dicerentur: duabus, opinor, causis in id influentibus, tum quia bi duodecim re vera breviores sunt, tum etiam quia peculiaris hos XII. libellus seorsum completi apud quosdam privatos coepit: qui tamen libellus titulo peculiari carere debet. Daniele enim absoluto, statim* Osee *sequitur, non alio titulo discretus a superioribus quam hoc, PROPHETIA OSEE: Ac deinde PROPHETIA IOEL, & sic in ceteris.*

Ergo quatuor longioribus illis Isaiae, Jeremiae (quocum Baruc coaluscit) Ezechielis, Danielis vaticiniis expositis, subjiciuntur prophetiae duodecim breviores, initio facto ab Osee: post quem Joël aliique usque ad Malachiam sequuntur qui bis seniorum ultimus.

PRO-

PROPHETIA OSEE.

AD OSEE III. 5.

Dies multos ſedebunt filii Iſraël ſine rege & ſine principe, & ſine ſacrificio, & ſine altari, & ſine ephod, & ſine theraphim.] Locus parum adhuc explicabilis habitus, quippe cum *Theraphim* paſſim alibi in meliorem partem accipiatur, nim. pro objecto aut inſtrumento cultûs Divini. Hanc enim notionem ſuperiora omnia ingerunt. Verum idem locus evadet ſtatim facillimus, ſi (id quod eſt) pro idolis accipias *Theraphim*, ſicuti & in locis pluribus uſurpatur. Nimirum is ſcopus Prophetae eſt. Poſt adventum Meſſiae Judaei, praecipuis Divini cultus inſtrumentis privabuntur (nempe Templo, ſacrificio &c.) nec tamen ad idola deflectent. Id quod etiam hîc v. 3. ſignificatur, *Non fornicaberis & non eris viro.* Quia poſt Meſſiae tempora forma reipublicae Judaicae diſſolvetur, quippe cum Judaei rege ac principe ſuo carebunt, temploque & ſacrificiis legitimis privabuntur. Ac ne idolis quidem tamen ſervient. Sic enim neceſſe fuit. Nam ſi idolis ſe dedidiſſent; diſſolutio illa πολιτείας in idololatriae poenam, non in ſignum adventus Meſſiae accipi debuiſſet. Atqui Deus, quia regnum & ſacra Judaeis in ſignum Chriſti adventus abſtulit, câ gratiâ eam Judaeis mentem indidit, ut idola tunc cum maxime averſarentur: idque per Prophetam praenuntiari hîc voluit.

Re vera id totum adamuſſim impletum fuit. Nullum enim aliud tempus exſtitit, quo ſe Judaei ab idololatria magis alienarint quam ſub Meſſiae tempus ac poſtea; ut & Oſeae vaticinio fides conſtaret, ac ſimul intelligeretur, illam reip. everſionem non tam in religionis adulterium eſſe conferendam, quam quod πολιτείαν Hebraicam ſtatim, ac Veritas exeruiſſet caput, aboleri neceſſe fuerit.

Non defuere quidem, qui *Theraphim* hîc pro idolis ſumerent (quos vide in Synopſi Crit.) ſed & aliorſum rem totam acceperunt, & ad alia tempora retulerunt; cum tamen ex commate ſequenti apertum ſit, haec cum noviſſimis temporibus (h. e. cum Meſſiae adventu & cum vocatione gentium) jungi debere.

AD OSEE VIII. 4.

Ipſi regnaverunt, & non ex me.] Cypr. ep. 55. & 68. affert ſic: *Sibimetipſis regem conſtituerunt, & non per me.* Sic & fons Hebraeus המליכו *himlichu*, *regnare fecerunt*. Vulgatus interpres ſequi ſibi viſus eſt Graecos, qui habent hîc ἑαυτοῖς ἐβασίλευσαν. Sed ſciendum ſignificationem τῦ βασιλεύω aeque hîc eſſe μεταβατικὴν (vulgo tranſitivam) ac 1. Reg. 8. βασίλευσον αὐτοῖς βασιλέα; quippe cum Helleniſtae ingenium ſermonis Hebraici hîc imitati videantur.

AD OSEE X. 5.

Et aeditui ejus.] In Hebraeo eſt כמריו *chemarau*, quod verti poterat, *Atrati ejus*. Huc pertinent μελανφόροι h. e. *pullati* ſacrorum miniſtri quorum fit mentio tum apud Grut. 84. 3. tum apud Reineſium I. 134. Ex utraque vero inſcriptione, Iſiacos aut aliorum Aegyptiorum numinum cultores eos fuiſſe, liquet. Itaque ab Oriente is mos ultimis temporibus etiam Graecas civitates invaſit. Imo & eodem ſpectat id quod in Actis prorſus fide dignis S. Philippi Heracleae in

Thracia epiſcopi num. XI. legitur, ubi S. Hermes diaconus ita gentiles Thraces irridet: *Vos autem qui cum ingenti inluvie veſtis* (pullae ſcilicet ac ſordidae) *& corporis, capillis ſordidis ac dimiſſis, quibus tumulos* (i. e. colles) *& templa obſervatis & carceres* (illos, ex quibus quadrigae emittuntur, ut ad ea Acta ad XIX. April. animadverti) *videmini mihi Deos veſtros non colere, ſed lugere.* Idque ex vero Martyr dicit; quia plures erant Aegyptiorum numinum, (ut Adonidis, Oſiridis &c.) lugubres caeremoniae.

AD OSEE XI. 8. 9.

Pariter conturbata eſt POENITVDO mea.] Archaiſmus eſt pro *Poenitentia*, quod & in Teucro Pacuvius uſurpavit, & ſi quis alius iſtorum ſectator etiam poſtea id imitatus, uti ex Nonio & ex Auſonio conſtat. Ceterum apud hunc Prophetam ver. 9. ſic Deus de ſua poenitudine (ſive poenitentia) loquens inducitur: *Non faciam furorem irae meae* (de qua paullo ante locutus) *non convertar, ut diſperdam Ephraim; quoniam Deus ego & non homo.* Vix credi poteſt quam multus apud hunc prophetam Deus in ſua amplificanda clementia videatur.

PROPHETIA JOELIS.

AD JOELIS I. 3.

Filiis veſtris narrate, & filii veſtri filiis ſuis, & filii eorum generationi alterae.] Iſtud *Alterae* pro *Alteri* rarum eſt. Vtitur tamen Terentius Heaut. II. 3. 30. Columella V. 11. & uti volunt Plautus in Rud. III. 4. 4. Hinc jam Joëlis locus non inutilis fuerit ad faciendam turbam in re licet minime neceſſaria.

AD JOELIS I. 4.

Reſiduum erucae comedit locuſta, reſiduum locuſtae comedit bruchus &c.] Familiare ſcriptoribus eſt incurſiones gentium barbararum cum locuſtis aut hujuſmodi inſectis aliis conferre. Praeter exempla ab aliis producta, Jornandes de reb. Get. c. 31. *Qui* (Ataulfus) *ſuſcepto regno revertens item ad Romam, ſiquid primum remanſerat, more locuſtarum erafit, nec tantum privatis divitiis Italiam ſpoliavit, imo & publicis.* Quare ſi aliorum barbarorum invaſiones Prophetae noſtro memorandae poſtea ſequebantur, quid opportunius quam bruchorum, erucarum & ſimilium adſciſcere comparationes ei fuiſſet?

AD JOELIS I. 12.

Vinea confuſa eſt . . . Confuſum eſt gaudium.] Et hic & ubicunque Hebraice eſt verbum בוש *boſch*, Graeci interpretes αἰσχύνω aut αἰσχύνομαι poſuerunt. בוש autem, & Hellemiſticum αἰσχύνω i. e. *pudefacere* cum de inanimis dicitur eſt *laedere* & quoquo modo nocere; ex quo nocumento quia pudor in laeſos redundat, idcirco effectus pro cauſa μετωνυμικῶς ponitur, imo & inanimatis καταχρηστικῶς tribuitur. Eadem notione apud Homerum hymno in Apoll. cum Apollo Delphuſae fluenta exſiccaſſet, inde *Delphuſii* nomen is Deus accepit, ſic enim canit v. 387.

Οὕνεκα Δελφύσης ἱερῆς ἤσχυνε ῥέεθρα.

Sacrae Delphuſae quoniam pudefecerat amnem.

Porro his locis omnibus pro בוש & αἰσχύνω Noſter *confundendi* verbis utitur: quod

quod verbum Latinis Scripturis & Patribus uſitatiſſimum. Apud Tertullianum a gentilium ſermone non abhorrentem *Confuſio* notat pudorem. Livius etiam ſic alicubi dixit: *Adeo ut ipſum quoque confunderent* (h. e. pudefacerent) *dicentem.*

AD JOELIS I. 20.

Sed & beſtiae agri, quaſi arca ſitiens imbrem, ſuſpexerunt ad te.] Pro *Suſpexerunt* in Heb. eſt תיערג i. e. *vociferabitur, glocitabit ad te.* Ac facile hoc ex Ezech. XVII. 10. expreſſum, ubi *areae germinationis* mentio. על-ערגות עבחה *Cum areolis germinationis ſuae ſiccabitur*; ubi צמא *tſame* i. e. *ſitiens* aut *tſama, ſitis* legiſſe videntur interpretes.

AD JOELIS II. 13. 14.

V. 13. *Convertimini ad Dominum Deum veſtrum, quia benignus & miſericors eſt . . .* V. 14. *Quis ſcit, ſi convertatur, & ignoſcat* (Deus) *& relinquat poſt ſe benedictionem* &c.] Omnia quae hinc ad finem uſque capitis ſequuntur, eo tendunt, ut fiduciam excitent, & animos addant. Cur ergo iſtud, *Quis ſcit ſi . . . ignoſcat*, interjicit, quod potius ad exanimandum valet? Atqui locutiones hujuſmodi *Haud ſcio an, Haud ſcio an non* ſaepe vim affirmandi habebant, maxime apud aevi melioris Latinos, itemque apud Graecos. Sicuti apud Homerum Il. XI. 791. interrogatio non ad dubitandum valet, ſed ad meliora auguranda: quippe cum ibi Neſtor cum Patroclo de Achille ad miſerationem eicndo in hunc modum agat.

Τίς δ' οἶδ' εἴ κεν οἱ σὺν δαίμονι θυμὸν ὀρίναις;
Quis ſcit an ille favente deo miſeretur Achivos?

Etiam ex Il. XV. 401. quaedam huc referri poſſunt. Sed mittamus, utpote obſcuriora.

AD JOELIS II. 28.

Et erit poſt haec: Effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem: & prophetabunt filii veſtri & filiae veſtrae: ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt, & juvenes veſtri viſiones videbunt.] Vt vere hoc impletum agnovit Petrus Actorum II. 17. ita per idem tempus talem hujuſmodi δωρεὰν χαρίτων Judaei ad emungendam pecuniam praeſeferebant. Juvenalis Sat. VI. 542.

Arcanam Judaea tremens mendicat in aurem
Interpres legum Solymarum & magna ſacerdos
Arboris, ac ſummi fida internuntia caeli.
Implet & illa manum, ſed parcius: acre minuto
Qualiacunque voles Judaei ſomnia vendunt.

Sed & Strabo diſertiſſime ubi de Judaeis lib. XVI. pag. 761. Ἐγκοιμᾶσθαι δὲ, inquit, καὶ αὐτοὺς ὑπὲρ ἑαυτῶν, καὶ ὑπὲρ τῶν ἄλλων ἄλλους τοὺς εὐσεβεῖς· καὶ προσδοκᾶν δεῖν παρὰ τοῦ Θεοῦ καὶ δῶρον ἀεί τι, καὶ σημεῖον τοὺς σωφρόνως ζῶντας καὶ μετὰ δικαιοσύνης, τοὺς δ' ἄλλους μὴ προσδοκᾶν. *Ergo indormientibus ipſis tum pro ſe tum pro aliis bona offerri ſomnia: & quidem non niſi caſte juſteque viventibus talia dona atque oſtenta contingere, aliis nihil eſſe ſperandum.*

PROPHETIA AMOS.

AD AMOS I. 3.

Super tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quatuor non convertam eum.] Tertio ſcelere condonato, quarto non parcitur. Cur? quia quaternio multitudinem ſignificabat apud orientales. Vide derivata ab ארבע quae multitudinem notant, quae protulimus ad Voſſii Etymologicum in voce PETORA. Ab orientalibus id hauſit Pythagoras, cujus in ſchola quaternio tanto in honore erat, ut nullum eſſet ſanctius jusjurandum, quam quo per quaternionem jurabant. Rationem arceſſit Plutarchus ex eo quod denarius ſumma numerorum omnium eſſet, tum quia ad δεκάδα ubi perventum, rurſus ad unum fit reditus, tum quia denarius ipſe in quaternario continetur. Etenim *Vnum*, *Duo*, *Tria*, *Quatuor* (qui gradus ſunt per quos ad quaternionem aſcenditur) ſi integra junctim in unam ſummam colligantur, efficient decem. Hanc doctrinam procul dubio Pythagoras ſive a ſe inventam, ſive ex peregrinatione conraſam attuliſſe creditur in Magnam Graeciam.

AD AMOS I. 9.

Super tribus ſceleribus Tyri, & ſuper quatuor non convertam eum: eo quod concluſerint captivitatem perfectam in Idumaea, & non ſint recordati foederis fratrum.] Principio obſcurum eſt, quid ſibi velit *concludere captivitatem*. Sed ex ver. 6. lux aliqua affulget, ubi de Gaza dicitur: *Eo quod tranſtulerint captivitatem perfectam ut concluderent eam in Idumaea*. Ergo *transferre captivitatem* eſt *deportare*: quod vero ſequitur, *ut concluderent*, &c. locum deportationis notat. Eadem igitur hîc quoque ſententia, ſed explicatior. Habes ergo jam quinam deportarint (nempe ſupra v. 6. Gazaei, hîc vero Tyrii) habes & quo deportarint, in Idumaeam ſcilicet. De deportatis ſcire libet; quorum neque hîc, nec v. 6. ulla fit mentio. Nec plane intelligo, quid ſibi velit *captivitas perfecta* in Heb. שלמה *ſcelemah*, quam Aquila ἀπηρτισμένην appellat, Symmachus ἀναπεπληρωμένην, Theodotio τελείαν: ubi tres omnes ſi non verbis, at re inter ſeſe, cumque Hebraeo conſentiunt. At LXX longe aliud ſecuti videntur, utpote mutatis in Hebraeo vocalibus, legiſſe videntur ſuum illud Σαλωμὼν pro *perfectam*. Ergo, uti dixi, LXX ab hodierna Maſoretharum lectione recedentes, non *ſcelemah*, ſed *ſcelomoh* (mutatis tantum vocalibus) legiſſe ſe produnt: verterunt enim αἰχμαλωσίαν τῷ Σαλωμών. Eaque lectio veriſſima eſt; ſimulque de deportatis nos admonet. Judaeorum enim haec deportatio fuit; non quidem ſub Salomonis regno, quod pacificum fuit, ſed ſub aliquo poſteriorum regum Juda, qui Salomonis fortaſſe nomine intelligatur.

Verum quid cauſſae fuit, quamobrem Salomonis potiſſimum nomine hîc Judaei deſignarentur? Nimirum ob id quod ſequitur: *Et non ſunt recordati foederis fratrum*. Quodnam hoc foedus, aut qui tandem hi *fratres*? Salomon & Hiram Tyri rex intelliguntur, quorum foedus & amicitia 3. Reg. V. narratur: quae cauſa fuit, ut 3. Reg. IX. Salomonem Hiram ſic alloqueretur: *Haecine ſunt civitates, quas dediſti mihi FRATER?*

Atque haec mihi vera hujus loci niſi fallor, ſententia viſa fuit. Ceterum ſi vulgatam ſequimur lectionem; non potes effugere, quin *concludere captivitatem perfectam in Idumaeam* (vel *in Idumaea*; utraque enim vis eſt in ſervili ל) mali aliquid factum in ipſos Idumaeos notet a Tyriis, in quos propterea minae hîc jactantur;

jactantur; non secus ac cap. II. 1. in Moab ultum iviſſe dicitur Deus, *quod incenderit ossa regis Idumaeae*. Id vero ſi cui forte arriſerit: tum id quod ſequitur (*& non ſint recordati foederis fratrum*) notat ἀδελφότητα non inter Judaeos Idumaeoſque, (quod vulgo ſibi perſuadent) quippe ab uno parente Iſaaco propagatos, ſed potius foedus Tyrios inter Idumaeoſque deſignat. Quorſum enim iſta Judaeorum ἀδελφότης, quorum nulla hîc mentio? Tyrii autem Idumaeorum fratres idcirco appellantur, eo quod Phoenices ἀνέκαθεν Idumaei fuere, teſtibus Herodoto, Strabone, & aliis, quorum loca vide in Bocharti Chanaan lib. 1. c. 43. & in Stephano Morino De ling. primaeva exerc. 1. cap. 12. ubi Bocharti ſententiam quod Phoenices ſint Chananaei, conatur evertere, ſuamque confirmat, nim. Phoenices Idumaeorum eſſe ἀποίκους.

Et quoniam incidit de coloniis iſtis ſermo; cura quaerendi ſubiit, undenam *Byrſae* in Africa nomen manarit, & in ipſa Phoenice *Boſtra* Strabonis, & Dionyſii *Boſtrenus* amnis, niſi ab Idumaeae metropoli *Boſra* ſive Boſtra? Videri poſſunt quae in hanc ſententiam ad Iſaiae LXIII. 1. diſputavimus.

Poſtremo quid cauſſae fuiſſe putem, cur in hac *Amoſi* comminatione prophetica, ſicut Ammon cum Moab I. 13. & II. 1. & Judas cum Iſraëlitis II. 4. 6. & cum Damaſco Gaza I. 3. 6. ita cum Tyro Idumaea conjungitur, niſi quia non minus Tyrii Idumaeorum fratres, quam Ammonitae Moabitarum, Judaei Iſraëlitarum, atque uti ſuſpicor, etiam Damaſceni Gazaeorum item fuere fratres. Atque has digreſſiones, modo cum judicio inſtituantur, haud inutiles fore cenſeo.

AD AMOS II. 3.

Et diſperdam Judicem de medio ejus.] *Judicis* nomine quemvis rectorem intellige, quocumque nomine vocaretur. Moabitarum praeſidem rectoremque ſive *Regem* ſive alio nomine dixerimus, tamen hîc ſacri textûs auctoritas *Sufetem* (Heb. *Sophet*) vocatum ſuadet, tum quia ſic in Hebraeo hîc dicitur, tum quod Carthaginenſes aliique in Oriente eo utebantur nomine. Livius XXX. 7. *Senatum itaque Suffetes* (aliter *Sufetes* cum ſimplici conſona) *quod velut conſulare imperium apud Carthaginienſes erat, vocaverunt*. Et alibi Livius ubi Poenorum id *Conſulare imperium* vocaſſet, ſimul annuum ſimulque ſummum, ſicuti Romae, intellexit. Id contra Carthaginem apud ſuos Romani imitati, ut loco Regum ſufficerent imperium annuum. Ac quod dixi Romanis in ſtatuendo conſulatu Poenos exemplo fuiſſe, de eo noli dubitare; quia Carthagine quam Romae antiquiores fuerant ſummi annui magiſtratus.

AD AMOS V. 26.

Et portaſtis tabernaculum Moloch veſtro, & imaginem (in Heb. כיון *Chiun*) *idolorum veſtrorum, ſidus dei veſtri, quae feciſtis vobis.*] Locus eſt vexatiſſimus: in quo plura difficultatem creant, ſed potiſſimum illud כיון *Chiun*, quod *imaginem* vertit Hieronymus: & LXX Ραιφὰν pro eo poſuerunt, cui voci in Lucae textu Act. VII. M inſeritur, quia legitur Ρεμφάν. Mihi non eſt animus, locum hunc pro dignitate tractare, jam ceteroqui ab aliis copioſe expoſitum. Tantum quid de *Kiun* ſentiam, paucis exſequar. Eam vocem alii *baſim*, alii aliud exponunt. Mihi videtur

videtur *columnam* ſignificare. Nec aliam quam *columnae* notionem Hebraico כיון *Kiun* ſubjectam eſſe, oſtendere poſſim ex Graeco vocabulo Κίων; quod cum nullas in Graeca lingua radices infixas habeat (nam quod Favorinus, credo ex antiquo alio grammatico, deducit a κίειν καὶ ἀνίναι εἰς ὕψος, *quod ſurſum eat*; id nihil eſt) omnino ex Hebraeo *Kiun* manavit κίων. Ergo ejus vocabuli eadem in utraque lingua origo & ſignificatio fuerit oportet. Cum autem *Columnam* dico, nolim tibi verſetur ob oculos teres columna talis, qualis in variis Architectonices diſpoſitionibus conſideratur. Apud antiquos enim Latii ſcriptores *Columna* & *Statua* & *Cippus* erant ſynonyma: unde *cippus* ille ſive *columna* in Freto Siculo, in quam viarum itinera deſinebant, etiam *STATVA* (*) dicebatur. Vnde in vetuſtiſſima inſcriptione, quae nunc dicitur Pollae exſtare (locus is in Regno Neap. eſt ea inſcriptione notabilis uti narrant) quot milliaria ex his illiſve locis AD STATVAM colligantur, notatur. Sic etiam apud Graecos tum ΣΤΗΛΗ tum ΚΙΩΝ non modo teretem columnam, ſed & *cippum* quemlibet, & *ſtatuam* ſignificabant. Ea nominum promiſcua uſurpatio ex eo venit; quod apud antiquiſſimos mortalium, ſive ex artis inſcitia, ſive alicujus ſuperſtitionis gratia, ſimulacra non aliud quam cippi ac lapides informes eſſent: id quod forſitan ex eo lapide manavit, quem Gen. XXVIII. 18. & ſeq. Jacob *in titulum* ſtatuiſſe dicitur. Vide quae de eo more lapidem informem colendi habent Clemens Alex. Protreptico pag. 29. 30. Euſebius lib. 1. Herodotus I. 131. III. 8. aliique; quaeque alibi (in exercitationibus Biblicis in Geneſis illum locum, ubi de Jacobi lapide) de Baetylis diximus. Et conſer Bochartum (to. 1. pag. 707. 708.) ex quibus conſtabit Baetylos illos Saturno ſacros fuiſſe.

Ergo in Prophetae verbis כיון צלמיכם τὸ *Kiun tſalmeechem* per appoſitionem poſita exiſtimo, *Kiun* ſive cippum, *ſimulacra veſtra*, hoc ſcil. ſenſu, *Cippum, quem in modum tunc figurabantur ſimulacra veſtra*. Ac facile totus hic locus ſic verti poſſit: *Et portaſtis tabernaculum regis veſtri* (i. e. idoli veſtri; nam מלך *melec* hoc loco non eſt *molochi* peculiare nomen, ſed idolis commune, ſicuti & בעל *baal*; utrumque enim & *dominum*, & *idolum* cujus ſervituti ſe mancipabant, hae voces notant) *cippum* inquit (quem in modum tunc ſigna effigiabantur) *ſimulacra veſtra*, (puta) *ſidus, deum veſtrum, quem* (ſive cippum, ſive deum) *feciſtis vobis*. Poſteriora haec *Sidus deum veſtrum* etiam per appoſitionem ponuntur, ut intelligatur, quid ſub cippi ſimulacro illi voluerint; Saturni ſcil. aſtrum, ut viri eruditi ſcite augurantur. Itaque etiam in lexica hoc jam transſuderunt, in quibus Arabicum כיון *caivan* & Syrum כאון *cheun* exponitur *Saturnus*. Id ſi verum eſt; ex eo id nomen is deus eſt conſecutus, quod illius ſimulacrum olim non aliud quam cippus informis fuerit.

Jam

(*) Id quod ex inſcriptione prope Pollam exſtante, quam alicubi didiciſſe olim memini. Nunc quid exemplo ejus marmoris factum ſit, nec reperi nec recordor. Ex ejus cippi verbis colligebatur quot millia paſſuum loca quaedam diſtarent A STATVA, h. e. ut ego accipiebam, ab aliquo inſigni cippo, quem in freto Siculo aliquando fuiſſe ex eo, quem dixi lapide, collegiſſe videbar. Prope *Pollam* (uti eum locum vocant) neſcio quod diverſorium fuiſſe ſimulque marmor, de quo dixi, meminiſſe non temere videor: nec tamen confirmare audim, quia chartas eo pertinentes amiſi.

Jam ſi quaeras cur LXX ραιφὰν id expoſuerint; nego id ex corrupta ſcriptura ortum, aut ex mutatione τῦ *Caph* in *Res*: ſed potius quia, quod Syris & Arabibus *Cheun* (i. e. *Saturnus*) dicitur; id Aegyptiis Ραιφὰν dicebatur; uti conſtat ex Lexico Coptico, cujus meminit Lud. de Dieu apud Calmetum in Diſſert. ante hos 12. Prophetas. Ac de *Chiun* deque vocibus cognatis hactenus ſatis.

AD AMOS VII. 14.

Reſpondítque Amos . . . Non ſum propheta & non ſum filius prophetae.] Prophetandi munus non tam ſtirpe aut ſtudio, nec itando ad prophetarum ſcholas comparabatur, ſed magis ſimplicitate, modeſtiâ, frugi victu, aliiſque virtutibus, in primis autem divina vocatione.

Sed armentarius ego ſum, vellicans ſycomoros.] Hoc non ita dicitur, quaſi vita ruſtica dona Dei excludat, ſed quod non ſecum prophetiam afferat, quia potius requiruntur virtutes conciliatrices prophetici ſpiritus, in primis ſimplicitas, animique demiſſio: quam hîc Amoſi ſermo praecipue ſignificat. De Sycomoro plura in Voſſiano Etymologico habes: ubi & quaedam de *Sycamino* aſperguntur in ultima editione.

PROPHETIA ABDIAE.

Haec prophetia nitidiorem prae ceteris vatem nacta fuit, hunc ſcil. Abdiam, clariorem ſimul brevioremque ac ſimul etiam elegantiorem prae ceteris: qui Scriptor fuit in ſermone variando ita ſollicitus ut hoc etiam in propriis nominibus ſervet. Nam Eſavi nomina ubique mutans, modo *fratrem Jacobi* eum vocat, modo *Eſavum*, imo & (initio ipſo v. 1.) *Edomum* perſpicue dicit. Ergo perſpicuitas apud hunc prae ceteris vatibus multa nitet, intra fines tamen neſcio cujus propheticae continentiae. Utinam plura nobis reliquiſſet. Sed Jonas, qui ſequitur, tanta perſpicuitate procedit, ut hiſtoricum magis quam prophetam appelles.

PROPHETIA JONAE.

AD JONAE I. 2.

Surge & vade in Ninivem civitatem grandem.] In linguis orientalibus mera poſitiva nomina loco ſuperlativorum uſurpabantur. Ninivem ergo parum erat inter grandes recenſere urbes, utpote inter maximas merito numerandam, niſi mos linguarum Orientis intercederet, *Magna* pro *maximis* uſurpantis. Ergo civitatem *Grandem* pro *Metropoli* accipe; aut vero dimenſio exponitur, ut infra III. 3. *Civitate magna itinere trium dierum*; aut (ut IV. 11. ſcribitur) *Civitati magnae, in qua ſunt pluſquam centum viginti millia hominum*. Ceteroqui *Civitas magna* ita quoque dicitur ſicuti Roma Graecis Μεγαλόπολις (*magna civitas*) vocabatur: de quo plura ad Apoc. XVII. notata habeo.

AD

AD JONAE I. 6.

Et acceſſit ad eum (Jonam) *gubernator, & dixit ei: Quid tu ſopore deprimeris? Surge, invoca Deum tuum, ſi forte recogitet Deus de nobis, & non pereamus.*] Vis Hebraea ejus verbi, quod Latine hîc vertitur (*Recogitet de nobis Deus*) videtur ex Hebraeo exeri debere. Sed antequam id praeſto, Hebraice vox יתעשת *ithaſſet* quid hîc valeat, exponendum eſt.

Ac vulgo quidem olim ac nunc hoc loco *cogitandi* ſignificatum in eo verbo agnoverunt. Verum equidem re penſitata nihil recedendum puto a primitivo vocis ſignificatu: quae vox in *Kal* valet *niteſcere* aut *candere*: unde & עשת *eſet* eſt *nitor* & Ezech. XXVII. 19. *barzel aſot* eſt ferrum nitidum ac terſum, ac veluti ſi dicas *chalybeum*. Hinc apud Jonam haec ita verto: *Si forte nitidum ac ſerenum ſe praebeat nobis Deus.* Nautae illi, qui Jonae ſic loquebantur, non alia loquendi ratione utebantur, quam ubi poëtae apud nos *Jovem nubilum*, *pluvium*, *frigidum*, *ſerenum* vocabant: ex quo patet ex oriente locutiones iſtas huc manaſſe. Exſtat apud Sponium IOVI. SERENO dicata inſcriptio, quae ſortaſſis illa ipſa eſt, ex qua hanc nomenclationem attulit Fleetwodus pag. 9. Ad haec ſicuti *Jovem pluvium* profani dicebant, ſic etiam Joſephus in 1. Antiq. cap. 3. num. 5. in hiſtoria diluvii: ὕειν ἀῤξαμένῳ (τῷ Θεῷ) dixit, ſive ut alii legunt ὄντος. Ibid. num. 8. ubi promittit Deus, non ultra ſe diluviem immiſſurum: εἰ δ' ἐπὶ πλέον ποτὲ χειμάσαιμι &c. *quod ſi quando* (ait Deus) *plus ſolito procelloſus fuero &c.*

AD JONAE I. 8.

Et dixerunt ad eum: indica nobis, cujus cauſa malum iſtud ſit nobis: quod eſt opus tuum? quae terra tua, & quo vadis? vel ex quo populo es tu?] Plura interrogata hîc coacervantur, quae veriſimile eſt ſigillatim fuiſſe propoſita, ac ſingulis ſeorſum reſponſum, ſed Prophetam ea acervatim poſuiſſe, pro more ſcil. ſcriptorum antiquiſſimorum. Apud Homerum, quoties hoſpites rogantur qui ſint, plures hujuſmodi interrogationes ſimul fiunt. Exempla ſunt paſſim obvia in ſcriptoribus vetuſtiſſimis, praeſertim Homero.

AD JONAE I. 10. 11. 12.

Ver. 10. *Et dixerunt ad eum* (Jonam Ninivitae) *Quid hoc feciſti?* (*cognoverunt enim viri Ninivitae, quod a facie Domini fugeret quia indicaverat eis*) v. 11. *Et dixerunt ad eum: quid faciemus tibi, & ceſſabit mare a nobis?* v. 12. *Et dixit* (Jonas) *ad eos: Tollite me & mittite in mare, & ceſſabit mare a vobis.*] Quae Jonas modo praedixerat, (*Me . . mittite in mare, & ceſſabit mare a vobis*) ex iis multa intelliguntur, ac praeſertim illud, fuiſſe hanc procellam peculiarem, quae duntaxat navem, qua Jonas tranſvehebatur impeteret, cetero mari tranquillo, uti ex Hieronymi & Theodoreti ſententia docemur.

AD JONAE II.

Jonae Canticum: Quod dum Propheta de ventre piſcis Domino cecinit, tandem Propheta ipſe a ceto ſoſpes evomitur.

Uno eodemque tempore Dominus cetum ingentem Jonae veluti in domicilium praeparavit, ac ſimul Propheta orſus eſt Canticum, quod ex ore Jonae ſic incipit: *Clamavi de tribulatione mea*: cujus finis talis eſt, *Et dixit Dominus piſci, & evomit Jonam in aridam.*

AD

AD JONAE III. 5. & seq.

Ver. 5. *Et crediderunt viri Ninivitae in Deum: & praedicaverunt jejunium, & vestiti sunt saccis a majore usque ad minorem.*] Haec omnia fecerunt, quia spem prope certam conceperant, fore ut Deus animadversa tam aperta insolitaque conversione placaretur: id quod accidit.

Vers. 7. *Et clamavit* (pro *edictum fuit*) *ex ore Regis & Principum ejus dicens: Homines & jumenta, & boves, & pecora non gustent quidquam, nec pascantur, & aquam non bibant*, h. e. aquatum non ducantur.

Vers. 8. *Convertatur vir* (Heb. איש *ish: Vir*, scil. pro *unusquisque*) *a via sua mala.*

AD JONAE IV. 2. 3. 4.

Hic liber pluribus in locis specimen dramatis exhibet: at praecipue in hoc ultimo capite ver. 2. 3. dialogus incipit, dum Jonas causam affert, cur fugam a terra sua arripuerit, ne scil. post annuntiata Ninivitarum mala inconstans reperiretur quia, inquit, *tu Deus clemens & misericors es, patiens & multae miserationis &c.* At v. 4. negat Dominus ob hanc causam prophetam iratsci debuisse. Interim Jonas egressus contra civitatis orientem sedit sub umbraculo, quod sibi paravit, Domino cooperante: qui ad id hederam (sive קיקיון *kikajon*, arborem valde umbrosam) vati praeparavit. Verum idem Dominus post ea commoda tamen simul & vermem paravit, qui hederam, sive *kikajon* illud arefecerit. *Kikajon* volunt idem fuisse ac *Palmam Christi*, quae sic vulgo dicitur. Mitto cetera, quae a ver. 8. ad finem capitis scribuntur, ex quibus Deus ostendit, quam merito ipse urbi Ninive pepercerit, *In qua*, inquit, *sunt plusquam centum viginti millia hominum, qui nesciunt quid sit inter dexteram & sinistram suam.* Qua descriptione videtur parvulos designasse: Quid nunc de provectioribus aetate ac senibus sentiemus? quorum multitudo certe innumerabilis.

Antequam hinc abeo ad *hederam* hujus loci, quae in Hebraeo est קיקיון *kikajon*, redeundum. Haec apud LXX κολοκύνθις est i. e. *cucurbita*, quod & Latini ante Hieronymum secuti. Eadem Aquilae Κισσὸς i. e. *hedera* dicta fuit. Hieronymus cur Κικάϊον reddiderit *Hederam*, parum eruditis probavit: quam tamen ita ipse describit, ut ei lata & levia folia tribuat: adhaec umbram densissimam, ac vix ut sementem in terram jeceris, consurgere in arborem, trunco se sustinentem. Videri meretur S. Augustini epistola 71. & altera Hieronymi. Scio recentiores interpretes alias plantae hujus afferre notitias; nec enim in his rebus finis, ac novitates in eisdem plantis quotidie plurimae.

AD JONAE IV. 10. 11.

Ver. 10. *Et dixit Dominus: Tu* (o Jonas) *doles super hederam, in qua non laborasti* (quia subito nata) *neque fecisti ut cresceret: quae sub una nocte nata est, & sub una* (non diu post subsequente) *nocte periit.*

Atque ad hunc locum pertinet inventum plantae cujusdam, cujus aetas diebus pauciissimis continebatur, ut quae una nocte nata, postea sub una altera periisse scribatur. Haec, mihi crede, de illo genere fuerit necesse est, ad quod *Solstitialis herba* illa pertinuerit, de qua Plautus in Pseudolo Act. I. sc. 1. v. 36. ubi Calidorus ita loquitur:

Quaſi ſolſtitialis herba, pauliſper fui:
Repente exortus ſum, repentino occidi.

De hac *ſolſtitiali herba* Plautina aliis aliud in mentem venit: verum illud mihi ſit probabilius, quod Taubmannus in ſuo Plauto ex Chriſtiani Becmani judicio credidit. Becmanus ergo *Herbam ſolſtitialem* de quavis intelligit, quae ſolſtitii tempore exoritur, nocte praeſertim frigidula, uti ſolet, & rorulenta. At ea poſtmodum diurni ſolis calore langueſcit. Plautum imitatus Auſonius verſiculos hoſce fudit,

Oſtentatus,
Raptuſque ſimul,
SOLSTITIALIS
Velut HERBA ſolet.

Quod Plautum ſecutus, de re fugaci, nec diuturna uſurpavit. Vide & Muretum Var. lect. IX. 6.

MICHAEAS.

Gravis magnique momenti Prophetia Michaeae ſequitur, obſcuritatem prophcticam plerumque oſtentans; etſi non raro ad perſpicuitatem ſeſe demittat. Non plane aequalis ſed potius ſuppar Iſaiae fuit; Vt tamen (quoties opus) ac vehementiâ uterque valet.

Equidem in hunc Prophetam hiſtorica jam aliis notata ſicut & alia a grammaticis notari ſolita, miſſa faciens ad ea me refero, quae a communi ſermone diſcedunt: veluti quod cap. II. v. 2. ſcribitur, *Vae qui cogitatis INVTILE* i. e. damnoſum, & mox v. 2. *concupierunt agros* i. e. occuparunt, ſicuti in Novo itemque in V. T. in fine Decalogi uſurpatur; eademque locutio in Bibliorum verſionibus uſitatiſſima occurrit; ex Hebraeo tamen derivata.

Adhaec mox cap. VI. ver. 11. *Saccelli* (alicubi *Sacculi*) *pondera doloſa* in hoc Propheta ſunt *pondera injuſta*: quae ideo forſitan ab hoc Propheta & facile ab aliis diminutivo *faccelli* nomine deſignabantur, quia non aſſervabantur vulgo ac palam expoſita cum ceteris legitimis ponderibus, ſed clam cum *doloſis*; Nam quae illegitima eſſent, aptiſſime *Doloſa* vocabantur, & in ſaccello ſeorſum aſſervabantur.

Sed idem verſus decimus clarius illuſtrandus reſtat. *Adhuc* (inquit Propheta) *Adhuc ignis in domo impii: Theſauri iniquitatis* (quos & *Pondera injuſta* vocat) *& menſura minor irae plena*. Adhaec etiam Peſſimae rei copiam dici poſſe *Theſaurum* Plautus voluit in Amphit. *Qui domi* (inquit) *uxorem meam, impudicitiâ impedivit, teneo theſaurum ſtupri*. Ex Plauto Nonius ita citat: *In eodem Comico & Theſaurus Mali legitur in Merc.* I. 2. 51. *Perii. Tu quidem theſaurum huc mihi apportaſti mali. In epitaphio Naevii Theſaurus Orci de ſepulcro uſurpatur. Poſtquam Orci traditus eſt theſauro*. Atque haec ad illuſtrandum hunc Michaeae *Theſaurum iniquitatis* ſufficiant.

NAHVM.

NAHVM.

Nemo, quod ſciam, accuratius breviuſque Auguſtino Calmeto NAHVMI hujus res geſtas collegit initio ſui in eum commentarii.

Noſtrum hunc prophetam ex *Elceſai* vico Galilaeae, arceſſivit Hieronymus cum aliis: unde non aliter hic libet ſemper inſcriptus fuit, quam hoc modo: *Liber viſionis Nahum Elceſaei*, ab Elceſai ſcil. ita dicti.

Ergo haec prophetia ex calamo Nahum mihi profecta videtur: qui in *Elceſai* Galilaeae urbe natus proinde ad Samariae regnum pertinebat. Stylus prophetae hujus videtur proximus fuiſſe poëtico. Grandis certe & magnificus eſt.

AD NAHVM II. 10.

Diſſipata eſt, & ſciſſa & dilacerata: & cor tabeſcens, & diſſolutio geniculorum, & defectio in cunctis renibus, & facies omnium eorum ſicut nigredo ollae.] De Ninivitica quidem depopulatione Propheta haec loquitur: ſed aliter fons habet Hebraicus, aliter Graeci interpretes. Hebraice legitur בוקה ומבוקה ומבולקה *bukah umbukah umbullakah*: quae tria ſunt ejuſdem rei ſynonyma; tam enim *buk* ſive *bakak* (unde priora duo verbalia proficiſcuntur) quam *balak* (unde tertium exſiſtit) *exinanire*, ſeu *deſolare* ſignificat. Quid ergo venit in mentem Graecis interpretibus ſic interpretari? Ἐκτιναγμὸς καὶ ἀνατιναγμὸς, καὶ ἐκβρασμός, h. e. *excuſſio*, & *deturbatio* (nam ἀνατιναγμὸς Heſychio eſt μετάστασις, μετακίνησις h. e. *emotio* e loco ſuo in alium) & *ebullitio*? Sed aptiſſima videtur interpretatio. Nam videntur LXX in primo Hebraeorum verborum paronomaſiam, numerum, & τὰ ὁμοιοτέλευτα conſequi voluiſſe, deinde ſenſum ſi minus verba, ita probe ſecuti, ut & oratio creſceret, nihilque de verborum Propheticorum energia decederet.

Quamquam quis vetat quin aut τὸ *bakak* vere ἐκτινάσσειν ſignificet (quomodo bis hoc eodem cap. verſ. 2. vertitur a LXX.) aut certe cauſam pro effectu poſuerint: nam & arbor dum excutitur, ſimul foliis ac fructibus denudatur, & urbs ipſa belli quaſſata turbine, ſimul habitatoribus ſpoliatur. Ac vide quam recte verborum ordinem LXX. ſervaverint: 1. ἐκτιναγμὸς, eſt ubi quatitur civitas: 2. ἀνατιναγμὸς, h. e. quaſſata civitate, deturbantur e ſuis aedibus habitatores: 3. ἐκβρασμὸς, quia velut ebulliendo exſpumantur atque expuuntur incolae: Sane vehementiſſimum verbum ad notandam ſubitam eruptionem ex concuſſione tanquam ex aeſtu ſecutam. Vide dicta de ἐκβράσσω & ἀναβράσσω ad 2. Mach. 1. 12. & ad Sap. X. 19. Et, in quo caput eſt, praecedentibus vocabulis (σεισμὸν quemdam ſignificantibus) aptiſſime ἐκβρασμὸς ſubjicitur, quod eſt σεισμῶ genus, ex quo plurima ſurſum propelli ex terrae viſceribus conſequitur. Σεισμῶν τῶν καλουμένων βραστῶν meminit ex Ariſtotele Strabo lib. IV. pag. 182. quorum vi ſurſum lapides propelluntur. Quem βραστὸν Strabo appellat, Poſidonius βρασμὸν, alii plures βρασματίαν vocarunt, de quo Seneca Nat. quaeſt. VI. 21. Ammianus XVII. 7. *Fiunt autem terraemotus modis quatuor: aut enim braſmatiae ſunt, qui humum intus ſuſcitantes, ſurſum propellunt immaniſſimas moles.* At reliqua nunc textus initio propoſiti videamus.

Diſſipata eſt & ſciſſa & dilacerata.] Quae in Hebraeo hic occurrunt tria

vocabula *bukah*, *umbukah*, *umbullakah*, eodem omnia τῷ ἐρημῶι (*desolandi*) significatu donantur in lexicis; ac si qua inter ea est differentia, nobis in praesenti latet. Tertia vox בלק *balak* (quam ad Is. XXIV. 1. Graeci interpretes item ἐρημόω interpretantur)-hîc tamen per ἐκβρασμὸς *ebullitio* exponunt. Videntur enim hîc Graeci interpretes sensum unice persecuti, qui sic posuerunt: ἐκτιναγμὸς, καὶ ἀνατιναγμὸς, καὶ ἐκβρασμός. Est enim metaphora, ut opinor, petita a ferarum câveis, ex quarum concussione foras catuli propelluntur, atque *ebulliunt*. Persius Sat. II. 10. . . . . *O si*

Ebullit patrui praeclarum funus!

Hoc est, uti puto, utinam foras erumpat funebris ille comitatus; de quo dixi etiam ad 2. Mach. I. 12. Ergo in his ἐκτιναγμὸς ex mente Graecorum sunt civitatis motus, quibus concussa facit, ut cives ebulliant, h. e. turmatim foras erumpant; atque in hunc modum civitas *eximaniatur*, quae demum propria videtur Hebraici vocabuli significatio, quam illi interpretes per antecedentia exposuerunt.

AD NAHVM III. 10.

Vers. 10. *Numquid* (o Ninive) *melior es Alexandria populorum, quae habitat in fluminibus? aquae in circuitu ejus: cujus divitiae mare: aquae, muri ejus?* In Hebraeo pro *Alexandria* est *No Ammon*. Quaenam hujus admirandae interpretationis causa fuisse dicatur, exsequi paucis non licet. Praestat ad Calmeti commentarium in *Nahum* III. 8. lectorem rejicere, ex quo (si parum Calmetiana satisfecerint) ad uberiores recentesque doctores licebit recurrere: est enim hic locus nodis ac difficultatibus implicatus.

HABACVC

Bipertitum est hoc Habacuci vaticinium. Pars prior, quae inscribitur *Prophetia Habacuc*, binis constat capitibus. At hac parte expletâ, occurrit res altera cum inscriptione hujusmodi: ORATIO HABACVC PROPHETAE PRO IGNORANTIIS. Atque hanc epigraphen sequitur statim ab initio pulcherrimus hymnus, quo Propheta Deum alloquitur usque ad hujus capitis octavi (quod totum Habacuco tribuitur) finem.

Verum haud facile intelligitur, ecquo pacto hae duae libelli partes ita inter se coalescant, ut prophetiam unam efficiant, & hanc uni Habacuco inscriptam. Quare rectius dicturi videbimur, duo prima capita sola proprie absolvere prophetiam. Quod autem statim sequitur, cum sub titulo diverso procedat, esse opus a superioribus sejunctum, ac certe ab hoc eodem Habacuco (ac forsan post spatium temporis aliquod) additum. Vis ac spiritus hymni hujus a superiore scriptione non dissidet.

SOPHO-

SOPHONIAS

JOsiae Regis Juda temporibus Sophonias in primis illustris vaticinator claruit, non ultra tamen caput tertium suis minis atque terroribus pravos impetens. Nam a capitis tertii dimidio faustissima Israëlitis promittit, Ecclesiae Christianae institutionem satis perspicue pollicens.

AGGAEVS

ILlustris hic propheta fuit ob templi reaedificati verbum illud, II. 8. *Et veniet desideratus cunctis gentibus & implebo domum istam gloria.*

Vox *Aurugo*, quae ibidem v. 18. legitur, est Latinitatis illorum temporum, qua Tertullianus aliique utuntur, ex qua fluxit apud Tuscos vox *Ruggine*. Levia quidem ista, sed minime contemnendum putavi vocum insolentium apud antiquos patrocinium.

ZACHARIAS

PRopheta hic capita non multo pauciora Daniele (qui ultimus inter priores quatuor numeratur) scripta reliquit; utriusque enim quatuordecim numerantur, etsi Danielis capita multa longiora his Zachariae. Ergo non aliud quam temporum praerogativa fecit, ut quatuor illi prophetae priores ceteris posterioribus praeponerentur, imo & passim vocarentur *Majores*. Pauca ad hunc Zachariam observata hîc subjicio.

AD ZACHAR. VII. 10.

Et malum vir fratri suo non cogitet in corde suo.] Graeci interpretes ad μνησικακίαν hoc retulerunt: Καὶ κακίαν ἕκαστος τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ μὴ μνησικακείτω ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν. Cum hoc Zachariae loco consonat & Barnabas parte 2. suae epistolae cap. 1. sic habens: ἐὰν μὴ μνησικακήσῃς τῷ ἀδελφῷ σου.

AD ZACHAR. X. 8.

Sibilabo eis & congregabo illos, quia redemi eos: & multiplicabo eos &c.] Pro *sibilabo* Graeci interpretes habent σημανῶ αὐτοῖς *dabo illis signum*. Rectissime: nam sibilo (uti etiamnum fit) jam olim heroicis temporibus signa dabantur. Il. X. 502. Vlysses.

Ποίζησεν δ' ἄρα, πιφαύσκων Διομήδεϊ δίῳ.
Significare volens Diomedi assibilat auri.

Confer Is. V. 26. VII. 18.

AD ZACHAR. XIV. 20.

Erit quod super frenum equi est, sanctum Domino.] Impletum hoc vaticinium scribit Sozomenus II. 1. quando Constantinus ex clavis Dominicae crucis galeam & equi frenum fabricavit. Vide locum.

MA-

MALACHIAS

Vltimus Prophetarum Malachias fuit, qui circiter centum & quinquaginta annis ortum Divini Servatoris praevenit. Vltimum dixi Hebraeorum vatum, quamvis non ingenti post hunc spatio prodierit alter proximus Christi praecursor, cui *Joanni Baptistae* nomen: quem tamen Propheta Malachias (IV. 5.) *Eliam Prophetam* vocavit. *Ecce ego*, inquit, *mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis*. Ac de hoc praecursore subjicit: *Et convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum*. Ecce tibi Evangelium Eliae sive S. Joannis Baptistae, mox martyrio consummatum. Ac Baptista Johannes ad Vetus Novumque foedus aeque pertinet, & ad utrumque ex aequo refertur. At Malachias veteris ultimus, novum ex vicino salutavit.

AD

AD INITIVM PRIORIS MACHABAICI.

CHaldaicum hujus libri initium ſervavit nobis Origenes apud Euſebium VI. Hiſt. 25. Ἔξω δὲ τούτων ἐστὶ τὰ Μακκαβαϊκά, ἃπερ ἐπιγέγραπται, Σαρβὴθ σαρβανὶ ἔλ. . . . *Extra horum cenſum ſunt libri Maccabaeorum, quī inſcribuntur, Sarbeth Sarbane el.* In codicibus pluribus manu exaratis ſcriptum teſtatur Valeſius σαβαναϊὴλ.

AD 1. *MACH. II.* 30.

Ipſi, & filii eorum, & mulieres eorum, & pecora eorum.] Pronominis ſuffixi perpetua iteratio peculiaris eſt Hebraeorum. Hic autem liber ex Hebraico Graecus factus fuit.

Hinc hujus generis hebraïſmos & in hoc libro pluries, & in N. T. ſcriptoribus, atque in Joanne potiſſimum obſervabis.

AD 1. *MACH. III.* 46.

Quia locus orationis erat in Maſpha ante in Iſraël.] Vide quae de hac omnium antiquiſſima proſeucha dicemus ad Luc. VI. 12. ubi & illud eſt adnotatum, proſeuchas in editis locis plerumque poſitas.

AD 1. *MACH. IV.* 38.

Et paſtophoria diruta.] De paſtophoriis voce Alexandrina (quae ſaepe a LXX uſurpatur pro Hebraeo *liſcha* i. e. *cubiculum*) praeter notata a Salmaſio in exercit. Plin. & aliis; reperi id vocabulum in inſcriptione apud Fleetwood pag. 32. num. 1. ubi Theophilus quidam ΤΗΝ ΚΟΝΙΑCΙΝ ΤΟΥ ΗΑCΤΟΦΟΡΙΟΥ . . . ΑΝΕΘΗΚΕΝ CΑΡΑΠΙΔΙ ΙCΙΔΙ ΑΝΟΥΒΙΔΙ. &c.

AD 1. *MACH. V.* 14.

Et adhuc epiſtolae legebantur.] Etiam Gr. numero plur. ἐπιστολαί hîc uſurpatur. At una erat, illa ſcil. quae ſupra v. 10. vocantur γράμματα *litterae*. Et paſſim hoc libro uſurpatur *Epiſtolae* num. plur. ubi de una eſt ſermo, idque tum in Graeco tum in Latino textu. Id porro apud Graecos non eſt inſolens. Herodianus lib. IV. ἐπιλύεται τὰς ἐπιστολάς, & apud alios haud raro. A Graecis & Latini id hauſerunt. Tacitus 1. Annal. *Placitum ut epiſtolae nomine principis ſcriberentur.* Juſtinus lib. 1. *Lectis ille epiſtolis, eadem ſomno egredi juſſus eſt.* Et lib. XI. *Scribit itaque & tertias epiſtolas.*

AD 1. *MACH. V.* 28.

Et occidit omnem maſculum in ore gladii.] Sic etiam eodem lib. v. 35. Adhaec Strabo de Rhaetorum & Vindelicorum latronibus haec ait lib. IV. p. 206. Τῆς δὲ πρὸς τοὺς Ἰταλιώτας τῶν λῃστῶν τούτων χαλεπότητος λέγεταί τι τοιοῦτον, ὡς ἐπειδὰν ἕλωσι κώμην ἢ πόλιν, ἐ μόνον ἁβρῶν ἀνδροφονοῦντας, ἀλλὰ καὶ μέχρι τῶν νηπίων προϊόντας τῶν ἀρρένων, καὶ μηδ' ἐνταῦθα παυομένους, ἀλλὰ καὶ τὰς ἐγκύους γυναῖκας κτείνοντας, ὅσας φασὶν οἱ μάντεις ἀρρενοκυεῖν. *De horum latronum in Italos ſaevitia hoc narratur, eos pago aut urbe potitos, non modo puberes omnes mares*

mares necare, sed ne infantibus quidem masculis parcere: imo ne hic quidem subsistere, sed gravidas etiam mulieres occidere, quas eorum vates virilem foetum utero ferre docuerint. De iisdem Dio. lib. 53. Πᾶν δὲ δὴ τὸ ἄρρεν τῶν ἀλισκομένων ἐχ ὅτι τὸ φανὸμενον, ἀλλὰ καὶ τὸ ἐν ταις γαστρὶσιν ἔτι τῶν γυναικῶν ὂν ταις μαντείας τισὶν ἀνευρίσκοντο. Idem facinus a filiis Jacob Gen. XXXIV. 25. narratur. Qui mos videtur ab orientalibus per Tyrrhenos ad Rhaetos forsitan antea transiisse. Nam omnis qua late patet togata Gallia & Inalpini tractus olim Tyrrhenia fuit, teste Plutarcho in Camillo.

AD 1. *MACH. VI.* 29.

Sed & de regnis aliis & de insulis maritimis venerunt ad eum excercitus conductitii.] Graece καὶ ἀπὸ νήσων θαλασσῶν. Sic infra XIV. 5. *in insulis maris* ἐν νήσοις τῆς θαλάσσης & XV. 1. *Misit rex Antiochus . . epistolas ab insulis maris Simoni,* ἀπὸ τῶν νήσων τῆς θαλάσσης. Hebraisinus est, qualibus multis scatet hic liber, utpote initio scriptus Hebraice h. e. Syriace: quo sermone tunc utebantur. Nam & Is. XXIV. 15. legitur ἡ δόξα Κυρίου ἐν ταὶς νήσοις ἔσται τῆς θαλάσσης. Fortasse hîc quoque θαλάσσης additur, ut distinguantur ab insulis fluvialibus, quas Isaias XXIV. 15. commemorat; de quo genere haud paucae in Euphrate, Niloque conspiciebantur. Ceteroqui ℵ haud raro non tam insulam mari circumfluam, quam maritimam provinciam notat; ut Is. XX. 6. ubi *habitator insulae hujus* de Hierosolymorum sive omnino Judaeae incolis dicitur.

AD 1. *MACH. VII.* 8.

Elegit rex Bacchidem.] Aliusne est a Bacchio Judaeo cujus est mentio in denario gentis Plautiae apud Vaillantium in gente Plautia num. VII.? In cujus nummi aversa parte BACCHIVS IVDAEVS (sic enim fert inscriptio) genu flexo dextra oleae ramum, sinistra camelum capistro tenet. Arabiae regulum ex cameli scalpti indicio (nam & Aretus Arabiae rex item cum camelo insculpitur in denariis M. Scauri) fuisse putat Vaillantius. At quid attinebat patriam Bacchii adscribere, de regno silere? Ah non videtur potius alicujus Judaeae portionis regulus fuisse?

AD 1. *MACH. XI.* 31.

Lastheni parenti nostro.] Graece τῷ συγγενεῖ, *cognato*. Apparet Constantiniano fermè aevo hanc prodiisse vocis translationem, quo aevo *parentum* vox non tantum τὲς γονέας, sed & quoscunque cognatos significabat. Exempla petas licet e Casaubono ad cap. V. Capitolini in M. Antonino. Quibus plura addere liceret, si res tanti esset.

AD 1. *MACH. XII.* 2.

Et ad Spartiatas.] Spartiatae a Lacedaemoniis praecipue distinguuntur, veluti pars praecipua distingui a toto debuit. Diodorus Sic. lib. XI. τῶν μὲν ἐν Λακεδαιμονίων ἦσαν χίλιοι, καὶ σὺν αὐτοὶς Σπαρτιᾶται τριακόσιοι.

AD

AD 1. *MACH.* XII. 7. 10. 21.

V. 7. *Jampridem missae sunt epistolae .... quoniam estis fratres nostri* . V. 10. *Maluimus mittere ad vos renovare fraternitatem & amicitiam* . V. 21. *Inventum est in Scriptura de Spartiatis & Judaeis , quoniam sunt fratres , & quod sunt de genere Abraham* .] Urbes interdum *sorores* appellatas ex Ez. XVI. 45. 46. & seq. constat. Ἀδελφότης ista maxime erat inter urbes amicas; nam & hîc V. 10. ἀδελφότητα καὶ φιλίαν *fraternitatem & amicitiam* Jonathae epistola conjungit . Nota est ex innumeris plane nummis urbium quamlibet dissitarum ΟΜΟΝΟΙΑ *consensio*. Inter quas autem ὁμονοία constiterat , etiam ἀδελφότης mutua jactabatur . Itaque Strabo lib. XVI. urbes quatuor Syriae (quae ob id *Tetrapolis* dicebatur) Antiochiam , Seleuciam , Apameam & Laodiceam (quarum ΟΜΟΝΟΙΑ in nummis aliquot consignatur) *Sorores* appellatas scribit . Aristides sermone de Ephesо, Smyrna, Pergamo, (quarum etiam ΟΜΟΝΟΙΑ ex nummis constat) ait: Νῦν χρὴ πάσας τὰς πόλεις ἀδελφὰς ἀλλήλαις ὑπολαμβάνειν . *Nunc decet omnes urbes sorores se invicem reputare* . Tert. de pallio : *In proximo soror civitas* . Ac mihi persuadeo Spartiatas , Judaeorum tam recte de Numine sentientium, fama motos, eum eorum ὁμόνοιαν & ἀδελφότητα ambirent, & aliunde scirent hos, nisi cum gentilibus suis , nihil habere commune , praetexuisse olim sub Onia Pontifice nescio quam ὁμοιότητα , quo facilius in ὁμόνοιαν & communionem admitterentur . Hoc nimirum illud est , quod in Spartiatarum ad Oniam epistola scribebatur , inveniisse se in tabulariis, *Quoniam* (Spartiatae & Judaei) *sunt fratres* , & *quod* (Spartiatae) *sunt de genere Abraham* . Id cum ab Judaeis sub Onia creditum fuisset (nam nota proverbio Judaeorum credulitas) ὁμόνοιαν & ἀδελφότητα cum Spartiatis haud aegre firmarunt; quam demum Jonathas, adverso reip. tempore, renovare studuit. Plura de his addere nostra non interest.

AD 1. *MACH.* XII. 52.

Illi autem venerunt omnes cum pace in terram Juda .] Illud *cum pace* Hebraice erat בשלום *beshalom* , i. e. *in pace* . At Graecus hujus libri interpres ἑλληνικώτερον scripsit ut supra, μετ' εἰρήνης *cum pace* . Id porro Latini veteres dicebant adverbialiter PACE . Apud Plautum prologo Amphitr. versu 32. Mercurius ita proloquitur inter cetera:

Propterea pace advenio, & pacem ad vos affero.

AD 1. *MACH.* XIV. 41. 43.

Consenserunt eum esse ducem suum & summum sacerdotem . . . Et cura sit illi de sanctis . . & ut scribantur in nomine ejus omnes conscriptiones in regione .] Gr. πᾶσαι συγγραφαὶ, h. e. omnes contractus, stipulationes, pacta conventa. Nam in Asiae & Graeciae civitatibus non consulum , sed ἀρχιερέων nomina in συμβολαίοις sive συμφώνοις apponi solita , testatur egregius Arriani dissertationum locus, quem pulchre illustravit Casaubonus ad Suet. Octavium cap. 18. Adhaec testantur & nummi plures apud Spanhemium & alios . De quo nos etiam nonnulla ad illud Evangelii Lucae III. 2. (*sub principibus sacerdotum Anna & Caipha factum est verbum Domini*) insperximus.

IN II. MACHABAICVM.

AD 2. MACH. I. 10.

Ariſtobulo Magiſtro Ptolemaei (Philometoris) regis.] Vide Valeſium ad Euſeb. VII. hiſt. 32. pag. 160. ubi putat fuiſſe hunc celebrem illum Ariſtobulum Peripateticum, qui ſuos in Moſis legem commentarios Ptolemaeo Philometori nuncupavit. Ac fuiſſe hic eidem Valeſio videtur cognomento διδάσκαλος, non ſecus, ac duo illi Agathobuli ἐπίκλην διδάσκαλοι, quorum Anatolius apud Euſebium ibidem meminit. Verum aliud eſt magiſtrum fuiſſe Ptolemaei regis qualis Ariſtobulus ille fuit: aliud διδασκάλου cognomentum tuliſſe: quod alterum de utroque Agathobulo Anatolius apud Euſebium VII. 32. narrat. Profecto enim Agathobuli illi duo Rabbini fuiſſe videntur. Atque hoc alterum ſibi vult illud τῶν ἐπίκλην διδασκάλων, quod Anatolius dixit. Ceterum ibidem cum Anatolius Ariſtobulo additamentum illud (ὁ πάνυ) adjecerit ſcribens (Ἀριστοβούλου τοῦ πάνυ) quis dubitare poſſit, utrum hoc Helleniſticum cognomentum Ariſtobuli fuerit, tantumdem valens, quod *Rabbi* aut *Rabban* i. e. διδάσκαλος? Niſi vero aliud elogium fuerit ab Anatolio profectum. Verum vide dicta ad Matth. XXIII. 8.

AD 2. MACH. I. 12.

Ipſe enim ebullire fecit de Perſide eos qui pugnaverunt contra nos, & ſanctam civitatem.] Rectiſſime addidit interpres de ſuo iſtud *de Perſide*, ut vim verbi ἐκβράσσω (de quo diximus ad Sap. X. 19.) exprimeret. Id verbum cum motum de loco ſignificet, operae pretium fuit, unde illae copiae in ſanctam civitatem eruperint, hîc addi ad ſupplendam ſententiam. Ἐκβράσσω eſt *ebullio*, & pulchra translatione eſt etiam *foras propello*, ac veluti *exſpumo*. Latinis *ebullire* eâdem ſignificatione dicitur. Perſius Sat. 2. verſ. 10. . . . . *O ſi*

Ebullit patrui praeclarum funus!

h. e. (ut opinor) o ſi foras erumpat funebris ille comitatus.

AD 2. MACH. III. 35.

Recepto exercitu repedabat ad regem.] *Repedo* verbum Pacuvius apud Feſtum uſurpavit: *Paullum repeda, gnate, a veſtibulo gradum*: necnon Lucilius apud Nonium. Deinde longo intervallo ea vox in obſoletis jacuerat; donec illud quarti & quinti Chriſtiani ſaeculi ſcriptores reduxerunt, quorum exempla vide apud Cellar. in curis poſterioribus. Tametſi aetas verſionis Machabaicorum librorum videtur quarto ſaeculo paullo vetuſtior, quam ei libro aſſignarat Cellarius.

AD 2. MACH. IV. 9.

Super haec promittebat (Iaſon regi Antiocho) *& alia centum quinquaginta* (talenta) *ſi poteſtati ejus concederetur gymnaſium & (ἐφηβίαν αὐτῷ συστήσασθαι) ephebiam ſibi conſtituere* &c.] Apud ſcriptores quidem profanos ἐφηβία & ἐφηβότης prima aetas erat adoleſcentiae & extrema pueritiae. Tempus fuiſſe annuum Artemidorus in Oniroer. 30. docet, idque tempus in chlamydibus agebatur. Dixi apud profanos ἐφηβίαν primam aetatem illam τῶν ἐφηβευόντων *pubeſcentium* fuiſſe: etſi non dubito, quin longius anno patuerit, & interdum ut fratriae, gymnaſia & ſimilia, ſic etiam & *ephebia* inter inſtituta & exercitationes juventutis numeraretur. Pluribus huc pertinentibus volens abſtineo: ſed Strabonis locum quippe

pe manu medica indigentem non poſſum omittere. Egregius is auctor lib. V. pag. 246. de Neapolitanorum Graecanicis inſtitutis agens ait: Πλεῖστα δ' ἴχνη τῆς Ἑλληνικῆς ἀγωγῆς ἐνταῦθα σώζεται, γυμνάσιά τε καὶ ἐφηβικὰ, φρατρίαι &c. At cui unquam Ἐφηβικὰ fando audita? ſed facilis eſt medicina, ſi legeris καὶ ἐφηβίαι καὶ Φρατρίαι &c. Vertes igitur. *Plurima tamen ibi Graecorum inſtitutorum veſtigia ſuperſunt, ut gymnaſia, ephebeorum coetus, curiae.*

AD 2. MACH. VI. 7.

Ducebantur autem cum amara neceſſitate in die natali regis ad ſacrificia.] Graece εἰς τὴν κατὰ μῆνα τοῦ βασιλέως γενέθλιον, ἡμέραν ἐπὶ σπλαγχνισμόν. Ubi ἡ κατὰ μῆνα γενέθλιος ἡμέρα eſt *Natalis quot-menſibus*, non *quot-annis*, i. e. ducebantur in Regis natali quot-menſibus recurrente ad viſcerationem. Quam viſcerationem Natali Auguſti recurrente adhibitam, equidem, memini in inſcriptionibus legere; eamdemque viſcerationem *ire AD VESCENDVM* vocabant. Is autem natalis non quotannis tantum, ſed & quotmenſibus agebatur; ſed tamen eodem ſemper menſis die. Sane obſervatum a viris doctis memini, Caeſarum decennalia, ſi quando ſuo die, qui eſſet natalis imperii, celebrari nequiviſſent, in ἰσάριθμον (i. e. aequalis numeri menſis ſequentis diem) fuiſſe dilata; ut alibi adnotavi ad Paſcha ſecundi menſis, quod item XV. die ſecundi menſis celebrabatur.

Porro de γενεθλίοις vide quae nos ad Eccleſiaſtae VII. 2. & ad Marci VI. 21. adnotamus.

AD 2. MACH. VI. 18.

Compellebatur carnem porcinam manducare.] Cur ſuillum pecus tantopere Judaei exſecrarentur, aliis aliud opinantibus, illa nonnullis probabilis opinio viſa fuit, nempe ut ethnicam ſuperſtitionem ſtirpitus ex animis evellerent. Quippe cum ſus apud gentiles & prima victima fuiſſe credatur (uti teſtatur Ovid. XV. Met. ſcribens, *Et prima putatur -- Victima ſus meruiſſe mori*: item Varro aliique) unde olim θῦς dictus a θύειν, eodem Varrone II. de R. R. 4. Athenaeo, Clemente Alex. Porphyrio in II. περὶ ἀποχῆς, & aliis teſtantibus.

Idcirco igitur Judaeis tantopere ſuillam exſecrantibus gentiles contra porcinam nolentibus aut invitis apponebant ingurgitandam, uti hîc de Eleazaro aperte narratur. *Igitur Eleazarus unus de primoribus ſcribarum, vir aetate provectus & vultu decorus, aperto ore hians compellebatur carnem porcinam manducare.* Quae hîc de ſenis Eleazari, ac mox toto cap. VII. de VII. fratrum cum matre conſtantia admirabili, iiſque pari de cauſa cruciatis narrantur, ea nequeunt lacrymas non elicere.

Hanc Machabaeorum parem animorum firmitatem adverſus Regem cogentem porcina uti videtur reſpexiſſe Porphyrius in I. de Abſtinentia p. 5. & ſeq. & lib. 2. p. 236. & ſeq. & lib. 3. pag. 391. Non mihi licuit auctorem nunc adire.

AD 2. MACH. XV. 14.

Hic eſt fraternitatis amator.] Graece ſignificantius cum articulo, ὁ φιλάδελφος οὗτός ἐστιν. Non puto alluſum hic ad Φιλαδέλφου cognomen notum in aula Aegyptia: imo potius φιλάδελφος illis eſt eodem ferme ſenſu, quo φιλοπάτωρ, aut φιλομήτωρ, non quo Hebraei ſe fratres invicem compellabant. De φιλαδελφία (quae in Apoſtolor. epiſtolis ſaepe) vide quae dixi ad Rom. XII. 10. ſicut etiam & 1. Pet. III. 8. vox φιλάδελφοι legitur.

FINIS.

INDEX PRIMVS

Locorum Sacrae Scripturae, quae in hujus Spicilegii tomo altero ſparſim aut explicantur aut illuſtrantur.

Numerus primus paginam, Littera (*c*) columnam, Littera vero (*n*) Adnotationes indicat.

Geneſeos

Cap.	*pag.*
III. 5. & 22.	42. n. 20.
VIII. 22.	187.
X. 9.	271.
XI. 4.	207.
XIV. 13.	141.
XXIV. 60.	260.
XXIX. 14.	97.
XXXIV. 30.	13.
XLIII. 11.	139.
32.	141.
XLVIII. 22.	140.
XLIX. 11.	168. c. 1.

Exodi

XV. 21.	201.
XXIII. 12.	274.

Levitici

XVII. 5.	210.

Deuteronomii

XVI. 1.	23.
XXXIII. 17.	175.

Joſue

X. 12.	261. c. 1.

Judicum

VI. 21.	72. c. 1.
IX. 55. & XX. 33.	121.

I. Samuelis ſeu I. Regum

IX. 24.	83. n. 2.
XXIV. 15.	163.

II. Samuelis ſeu II. Regum

VI. 19.	76. c. 2.
IX. 8.	163.

III. Regum

V. 6.	201.
VIII. 37.	18. n. 7.

IV. Regum

VII. 2.	28.
XV. 5.	190.

II. Paralipomenon.

XXVI. 21.	190.

Judith

V. 11.	3.
7.	122.
VIII. 5.	155.

Cap.	*pag.*

Job

VI. 2. & 3.	285.
XIX. 12.	156.
XXII. 15.	144. c. 1. n. 3.
XXX. 12.	156.

Pſalmorum

Pſal.	
XVII. 42.	189.
L. 6.	200.
LIV. 16.	260.
LIX. 8.	140.
LXI. 10.	173. & 285.
LXV. 6.	144. c. 1. n. 3.
LVIII. 5.	156.
LXXIII. 17.	256.
LXXVII. 21. & 31.	72. c. 1.
LXXXI. 3.	178.
CXIX. 118.	177.

Proverbiorum

XVI. 17.	62.
XV. 19.	156.
XXV. 16.	142.

Sapientiae

IV. 7.	274.

Eccleſiaſtici

XXXVIII. 32.	273.
XLVII. 17.	260.

Iſaiae

I. 17. & 23.	178.
XIII. 21.	275. & ſeq.
XVII. 2.	123.
XX. 6.	304.
XXXIV. 14.	275. & ſeq.
XLIII. 27.	122.
LVII. 14.	156.
LXI. 4.	211.
LXII. 10.	156.

Jeremiae

IX. 26.	67. c. 2. n. 4.
XIII. 22.	283.
XV. 7.	175.
XVII. 6.	123. c. 1.
XVIII. 3.	5.
15.	156.

Cap.	pag.
XLIX. 13.	268. c. 1.
L. 26.	156.
LI. 2.	175.
LXVIII. 6.	123.
Threnorum	
I. 15.	171.
Baruch	
III. 34.	163.
Ezechielis	
IV. 3.	270.
12.	75. c. 1.
XXI. 12. ad 17.	273.
XXXIV. 3.	210.
Danielis	
III. 27.	14.
V. 11.	42. n. 20.
27.	172.
VI. 14.	13.
Amosi	
I. 9.	268. c. 2.
Micheae	
VI. 11.	112.
Aggaei	
II. 4.	116.
I. Machabaeorum.	
I. 13.	199.
IV. 50.	72. c. 2.
II. Machabaeorum	
I. 8.	72. c. 2.
12.	299. & seq.
II. 12.	237.
Matthaei	
III. 12.	176.
VIII. 17.	259.
XII. 40.	83.
XVIII. 6.	183.
XXVI. 18.	145.
XXVIII. 1.	20.

Cap.	pag.
Marci	
X. 19.	39. & 40. n. 18.
XIII. 11.	254.
XIV. 3.	111.
XV. 22.	125. c. 2.
Lucae	
I. 44.	183.
VI. 35.	169.
VII. 35.	200.
X. 18. 19.	261. c. 2.
XI. 28.	208.
5.	166.
XII. 37.	168.
XVIII. 14.	200.
Joannis	
IV. 6.	113.
XII. 3.	111.
XIII. 4.	168.
XIX. 17.	125. c. 2.
Actorum	
II. 17.	291.
V. 41.	90.
VI. 19.	3.
VII. 25.	9. & seq.
X. 38.	168.
XIII. 6.	91.
XXVII. 14.	262. c. 1. & n. 2.
Pauli	
I. ad Corinthios	
XII. 23.	209.
Ad Coloſſenſes.	
II. 18.	237.
Jacobi	
II. 7.	90.
Apocalypſeos	
VIII. 12.	19.
XVIII. 22.	273.

INDEX SECVNDVS

Scriptorum, qui notantur, illuſtrantur, reſtituuntur.

A

Acta S. Mauri Mart. ill. 284.
S. Perpetuae & Felicitatis ill. 274.
S. Philippi Heracleae Epiſc. ill. 252. 290.
S. Polycarpi Epiſc. & Mart. ill. 30.
Aelianus ill. 17. 21. 216.
Aeſchines ill. 88.
Aeſchylus ill. 66. *c.* 1. & 67. *c.* 2.
S. Ambroſius explic. 118. 132. 194. *ill.* 157. 162. 173. 196. 213. 233. 249. 271. 285.
Ammianus Marcellinus ill. 48. 121. 136. 155. 209. 286. *notatus* 109.
Ammonius Grammaticus ill. 199. *n.* 2.
Ammonius Saccas notatus 224. *c.* 2. & *ſeq.*
Anthologia ill. 273.
Apicius illuſtratus 193.
Appianus illuſtratus 137.
Apulejus ill. 21. 111. 159. 160. 279, 284.
Aquila defenditur 78. *c.* 1.
Aratus illuſtratus 100. 124. *c.* 1.
Archelaus Epiſc. ill. 155.
Ariſtophanes illuſtr. 138. 145.
Ariſtoteles ill 33 141. *c.* 2 199. 208.
Arnobius illuſtratus 201
Athenaeus notatus 22. 49. *n.* 23 *illuſtr.* 64. *c.* 1 224.

104. 131. 136. 142. 167. 207. 243. *c.* 2. 273.
Auctor Dialogi de Orator. ill. 50. *n.* 26.
S. Auguſtinus ill. 50. 52. *notatus* 234.
Auliſius Dominicus laudatus 277.

B

S. Barnabae Ep I Catholica ill 177. 191. 246. 301.
Bochartus Samuel laudatus 160.
Buxtorfius Jo: notatus 125. *n.* 2. 138. 201.

C

Caſar illuſtratus 129.
Calaſius notatus 36. *n.* 14.
Callimachus ill. 264. *c.* 2.
Calliſtratus Jeſus ill. 35.
Calmetus laudatus 160. *notatus* 10. 12. 13. 24. 60. 98. 186.
Capitolinus ill. 69. *n.* 3. 176. 210.
Capitularc Aquiſgranenſe ill. 235.
Caſaubonus notatus 66. *c.* 1. 67. *c.* 1. 205. *n.* 2.
Cato illuſtr. 51. *n.* 28. 74. *c.* 2.
Catullus illuſtratus 114.
Choerilus apud Joſephum ill. 67. *n.* 4.
Cicero ill. 35. 40 *n.* 18 41. *n* 19. 161. 179. 198. 200. 209. 224. *c.* 2. 240 242. *c.* 1. 266 *c.* 1. 274. 280. 284.
Clemens Alexandrinus ill. 207.
Columella ill. 178. 194.
Coſmas Indopleuſtes ill. 137.
Curtius illuſtratus 137. 143.
S. Cyprianus ill. 90. 121. 145. 178. 194. 234.
Cyrilli Gloſſae ill. 24. *n.* 8. 84. 126. *c.* 2.
S. Cyrillus Hieroſolymit. ill. 245.

D

Demoſthenes ill. 105. 236.
Diodorus Siculus ill. 17. 61.

E

Ennius illuſtratus 51. *n.* 28. 242. *c.* 2.
Erotianus defenſus 73. *c.* 2. & *ſeq.*
Euripides ill. 5. 155. 187. 195. 223. *c.* 1.
Euſebius ill. 61. 90. 200. 274.
Euſtathius expon. 54. *ill.* 147. *c.* 2. 155. 168. 185. 199. *notatus* 214. 225. *c.* 1.
Ezechiel Poeta Judaeus reſtit. 9. *ill.* 63. *c.* 1. 163. 197. 247. 254.

F

Fabricius laudatus 19.
Favorinus ill. 4. *n.* 2. *notatus* 294.
Ferrarius notatus 125. *n.* 2.
Feſtus ill. 27. 38. *n.* 16. 49. 68. *c.* 1. 74. *c.* 2. 88 108. 229. 276.
Fulgentius ill. 265. *c.* 2.

G

Galenus reſtit. & *ill.* 266. *c.* 2.
Aul. Gellius ill. 37.
Geoponicorum libri illuſtrati 242.
Gloſſae Veteres ill. 4. *n.* 2. 24. *n.* 8. 126. *c.* 2. 166. 174. 265. *c.* 2. & *n.* 1.
S. Gregorius Nyſſenus ill. 63. *c.* 2. & *ſeq.*
Grotius laud. 123. *c.* 1. *defend.* 67. *n.* 4. *notat.* 24. 25. *n.* 10. 284.

H

Harpocration ill. 199.
Herodianus ill. 61. 303.
Herodotus ill. 205. *c.* 1. 217. 269. *c.* 1. 278.
Heſiodus ill. 38. 263. *c.* 1. 270. 278.
Heſychius ill. 4. *n.* 2. 48. 64. *c.* 1. 84. 88. 147. 149. 185. 203. *c.* 1. & *ſeq.* 214. 266. *c.* 1.
Hierocles ill. 184.
S. Hieronymus defenſus 78. *c.* 1. 131. *illuſtr.* 204. *n.* 1. *notatus* 248.
Hippocrates ill. 266. *c.* 2.
Homerus ill. 4 15. 21. 29. 32. *n.* 13. 37. 38. 43. 47. 59. 62. 64. *c.* 2. 67. *c.* 2. 83. *n.* 2. 89. *n.* 1. 104. 110. 112. 113. 115. 116. 118. 124. *c.* 1. 127. 136. & *n.* 2. 138. 147. *c.* 1. 149. 252. *c.* 1. 153. 155. 157. 158. 163. 166. 170. 172. 176. 181. 186. 189. 190. 203 *c.* 1. 205. *c.* 1. & *nn.* 1. & 2. 214. 216. 222. 228. 235. 250. 257. 259. 263. *c.* 1. 270. 273 277. 279. 280. 284. 285. 290. 291. 301. *an Solin liberatur* 272.
Horatius ill. 69. *n.* 1. 85. 103. 128. 140. 159. 265. *c.* 2. & *n.* 2. 267. *c.* 1. *n.* 3. 271. *reſtituit.* 76. *c.* 1. *n.* 5.
Hygenus ill. 120.
Hymnus in Mercurium ill. 83. & 139.

I

Jamblichus ill. 132.
S. Ignatius Mart. ill. 90. *expon.* 179.
Inſcriptiones Illuſtratae.
Epheſina 91.
Fleetwoodiana 225. *c.* 1. & 226. *c.* 1.
Gruterianae 18. 76. *c.* 1. *n.* 4. 128. 129. 169.
Gudiana 185.
Maffeii 89.
Romanae 40. *n.* 18. 99. 111. 154.
Spanii 226. *c.* 1. 250. 296.
Joſephus ill. 37. 296 *notatus* 160.
Iſaeus ill. 236.
Iſidorus illuſtr. 73. *c.* 2. 76. *c.* 1. 276.
Junius Franciſcus notatus 91. *n.* 1.
Juſtinus illuſt. 22. 84 303.
Juvenalis ill. 291.

L

Laertius ill. 199. 203. *n.* 1. 236. 243. *c.* 2.
Lampridius ill. 86. 120 145. 225. *c.* 2.
Laodicenæ Concilii Canon ill. 225. *c.* 1.
Livius ill 22. 29. 41. & *n.* 19. 55. 78. *c.* 2. 111. 129. 144. 178. 287. 291. 293.
Lucianus ill. 15. 136.
Ludolfus Jobus notatus 242. *c.* 1. *n.* 1.
Lycophron defend. 95. *illuſtr.* 57. 124. *c.* 2.
Lyſias illuſt. 106.

M

Macrobius ill. 38. 91. *reſtit.* 79. *c.* 2. *n.* 3. *notat.* & *ill.* 136. *n.* 1.
Marcellus Sidetes ill. 166.

Martialis

Martialis ill. 201. 208. 260.
Martinius notatus 197.
Mercurialis Hieronymus refutatus 74. *c.* 1.

N

Nepualius apud Fabricium illuſtr. 248.
Nicetas Choniates laudatus 59.
Nonius Marcellus notatus 14. *n.* 6. 27.
Nonnus illuſt. 34.

O

Origenes illuſt. 63. *c.* 2. *& ſeq.*
Orpheus illuſtr. 188. 256.
Orphicorum Scriptor illuſt. 7.
Ovidius illuſtr. 88. 111. 125. *c.* 1. 159. *notatus & illuſtr.* 135. *n.* 1.

P

Pauſanias illuſtr. 88. 105. *notatus* 104.
Perillus Donatus laudatus 195.
Perſius illuſt. 62. 267. *c.* 1. *n.* 3. 300.
Petavius Dionyſius notatus 197.
Phalarides illuſtr. 138.
Philo illuſtr. 107.
Philoxeni Gloſſae ill. 162. 194.
Plato illuſt. 131. 136. 194. 218. 242. *c.* 1. 285.
Plautus illuſt. 119. 163. 201. 238. * 266. *c.* 1. 271. 273. 284. 287. 298.
Plinius illuſtr. 160. 201. 216. 229. 269. *c.* 1.
Plutarchus illuſtr. 138. 183. 193. * 279. *notatus* 96.
Pollux illuſtr. 28. 64. *c.* 1. 88. 138. 168. 203. *c.* 2. 273.
Polybius illuſt. 88. 147. *c.* 2. 284.
Pontius illuſtr. 90. 234.
Porphyrion illuſtr. 204. *n.* 1. *c.* 1.
Porphyrius illuſt. 101.
Proclus illuſtr. 242. *c.* 1. *n.* 1.
Prudentius illuſtr. 90. 285.
Pſellus Michael illuſtr. 242. *c.* 2.
Ptolomaeus illuſtr. 123. *c.* 1.

Q

Quintilianus illuſtr. 283.

R

Rufinus notatus 225. *c.* 1.

S

Salmaſius notatus 269. *c.* 1.
Scaevola illuſtr. 191.
Scholiaſtes Ariſtophanis illuſtr. 64. *c.* 1.
Scholiaſtes Homeri illuſtr. 147. *c.* 2. *notat.* 64. *c.* 2. *& n.* 2. 115.
Schrevelius notatus 176.
Seneca illuſtr. 84. 211.
Seneca Tragicus explic. 124. *c.* 1.
Servius illuſtr. 38. 68. *c.* 1. 70. *c.* 1. 85. *notatus* 136. 265. *c.* 2.
Severus Sulpicius illuſtr. 244. *c.* 1. *n.* 3.
Silius Italicus illuſtr. 41. 60.
Solinus ill. 133.
Sophocles illuſtr. 54. *n.* 35. 178. 187.
Sozomenus illuſtr. 101.
Spartianus illuſtr. 69. *n.* 3. 101. 173. 282.
Statius illuſtr. 264. *c.* 1.
Stephanus illuſtr. 124. *c.* 1. *& n.* 1. 268. *c.* 2. *notatus* 269. *c.* 1.
Strabo illuſtr. 15. 43. 66. *c.* 2. 84. 85. 88. 105. 109. 110. 120. 132. 150. 158. 166. 182. 186. 205. *c.* 1. *& ſeq.* 208. 217. 269. *c.* 2. 291.
Suetonio lux. 193.
Suidas illuſtr. 3. *n.* 2. 19. 28. 61. *& ſeq.* 147. 199. 200. 203. *c.* 2. 250. 254. 281. *notatus* 188. *n.* 1.

T

Tacitus illuſtr. 22. 150. 303.
Terentius exponis. 36. 201.
Tertullianus illuſtr. 24. *n.* 8. 69. *n.* 1. 204. *n.* 1. *c.* 2. 238. 246. *& ſeq.* 258. 274. 283.
Themiſtius illuſtr. 35.
Theocritus illuſtr. 101. 257.
Theon illuſtr. 100.
Thucydides illuſtr. 174. 199. 200. 269. *c.* 1.
Tibullus expon. 69. *n.* 2. 90.
Trebellius Pollio illuſtr. 169.
Tzetzes refellit. 124. *c.* 2.

V

Vaillantius notatus 78. *c.* 2. *& n.* 2.
Valeſius notatus 95. 224. *c.* 2.
Varro illuſtr. 108. 229.
Vegetius illuſtr. 68. *c.* 1. 121. 224. *c.* 2.
Victor Vitenſis illuſtr. 271, 283.
Virgilius illuſtr. 32. 41. *& ib. n.* 19. 51. *n.* 27. 70. *c.* 1. 124. *c.* 1. 139. 194. 229. 235. 264. *c.* 1. 279. 280. 286.
Vitruvius illuſt. 13. 177. 208. 284.
Vopiſcus illuſtr. 101. 120. 144. 178.
Wowerius notatus 19.

X

Xenophon illuſtr. 64. *c.* 2. 143. 234. 285.

Z

Zeno Veronenſis illuſt. 283.

INDEX TERTIVS

Vocum aliquot Hebraearum expoſitarum.

א

אבן *Eben* quid 5. quidve אבנים *Obnaiim ib.* vocis origo *ib.*
אדיר *Addir* quid 188. *& ſeq.*
אובות *Oboth* quid 267. *c.* 1.
און *Aven* ſeu *On* quid 59.
אי *Ii* quid 304. pro maritima provincia uſurpatum *ib.* quive איים *Iim* 275. *& ſeq.*
איתן *Ethan* quid 30.
אלהים *Elohim*, appellativum nomen 42. *n.* 20. propria ejus notio *ib.* ubi Deum deſignat quid, quidve cum judicibus tribuitur, *ib.*
אלם *Elem* quid 185.
אם *Im*, hujus particulae vis in jurejurando 161.
אפים *Appajim* quid 61. quidve ארך אפים *Erech appajim* & קצר אפים *Keſſar appajim ib. & ſeq.*
ארז *Erez* quid 201. viginſiquatuor arborum picearum genera eo nomine veniebant *ib.*

ב

באש *Baaſe* quid 182. quidve באשים *Beaſim ib. n.* * באש & בוש *Baaſe* & *Boſe* verba cognata *ib.*
בון *Bun*, ſaepe ad ſenſus relatum 177.
בוש *Boſch*, quumde inanimis dicitur, quid 190.
בין הערבים *Bin Laarbajim* quid 20.
בלק *Balak* quid 299. *& ſeq.*
בצק *Batſek* quid 24.
בקק *Bakak* quid 299. *& ſeq.*
ברכה *Bereehah* quid 165.
בשל *Biſchtl* pro *Aſſare* uſurpatum 138.
בשורה *Beſorah* quid & unde 150. cur pro *praemio* & *laeto nuntio* uſurpatum *ib.*
בשר *Baſar*, *Caro* an cum בשר *Biſſer laeta* nuntiare aliquid commune habeat 138. verbi בשר *Biſſer laeta* nuntiandi notio unde nata *ib.* de triſti nuntio etiam acceptum *ib.* an etiam de ſimplici nuntio 149.

ג

גגולתא *Gogulta* aut גלגלתא *Goglotha* quid 125. *c.* 2. *& ſeq.*
גזרה *Gezera* & גזירתא *Gezirta* quid 85.
גלל & גלגל *Galal* & *Gilgal* aut *Galgal*, quid 114. & 126. *c.* 1. גלל *Galal* an de qualibet mutilatione uſurpatum *ib.*

ד

דלק & דלקים *Dalak* & *Dolekim* quid 275.

ה

הגר *Hagab* quid 254. & 264. *c.* 1. *& ſeq.* an tantumdem quod *Cogito ib.* cur per Μεδιτάω a Graecis Interpretibus & per *Meditor* a Latino redditum *ib.* modo linguae, modo ori, modo palato aut gutturi tributum 265. *c.* 1. an vocis magis quam mentis verbum *ib.* de avibus & de hominibus uſurpatum *ib.* ejus propria notio *ib.* an *ſuſurrare* aut *ſubmurmurare* notet *ib. & ſeq.* ventriloquorum & columbarum peculiare verbum 266. *c.* 1.
הצפצף *Tſiphtſeph* ejus ſynonymon 267. *c.* 2.
הילל *Helel* quid 261. *c.* 2.
הכין *Hachin* quid 113.
הרים *Herim* quid 46. cur auferendi notionem habeat *ib.*

ז

זבח & זבחים *Zabach* & *Zebachim quid* 210.
זהב מקשה *Zahab mikſchiah* quid 47.

ח

חבל *Chebel* quid 220.
חוג & חוגה *Chug* & *Chugah* quid 75. *c.* 1. an tantumdem ac *Torta ib.*
חידות *Chidoth* quid 206.
חיל *Chail* quid 208.
חלב *Cheleb* quid 99.
חלה *Challah* quid 74. *c.* 2. ejus forma *ib.* an eadem quae Latinis *Torta ib.*
חלת אלהים *Cholath Elohim* quid 17.
חמד *Chamad* quid 39.
חפשי *Chopſci κατ' ἐνάντιωσιν* pro *Captivo* 190. quid *Domus* חפשית *Chophſhit ib.*
חרג *Charag* quid 189.
חרושים *Charuſim* quid 227.
חרוץ *Charuts* quid 208.
חשן *Choſen* quid 56.

ט

טבל *Tabal* quid 141.
טבעת *Tabbahat* quid 54. *n.* 33.

כ

כור *Cur* ſive *Cor* quid 52.
כידון *Cidon* quid 116.
כיון *Chiun* 293. *& ſeq.* an tantundem quod *columna* 294.
ככר *Chiccar* quid proprie 75. *c.* 1. ubi de pane agitur cur *Torta* ab Vulgato Interprete reddita *ib. c.* 2.
כמרים *Comarim* qui 266 *c.* 2. & 289.
כפור *Cephor* quid & unde 202.
כרובים *Cherubim* unde dicti 47.
כרוסא *Ceruſia* ſeu *Cruſia* quid 75. *c.* 2. *n.* 3.
כרכב *Carcob* quid 53. *n.* 32.
כרכרות *Chircharoth* quid 260.

ל

לון & לין *Lun* & *Lin* in Orientis linguis quid

לחם פנים *Lebem pavim* quid 48. cur id nomen *pani* ſacro Hebraeorum quaeſitum *ib.*
למנצח *Lammatſeah* an idem quod לנצח *Lanetſah* 177.
לשון *Lashan* quid 36.

מ

מה *Meh*, interdum relativum 116.
מוט *Mots* quid 175.
מטה *Matteh* 141.
מכרכר *Mecarcher* quid 153.
מלך *Meleck* interdum tantumdem ac Judex 133.
מלכוכם *Malkochaim* quid 180.
מסלה *Meſillah* quid 156.
מעיל *Meil* quid 203.
מעשה חשב *Maaſeh Choſheb*, *Opus textoris*, quid 51. quidve מעשה רוקם *Maaſeh Rokem*, *Opus acu pictoris*, *ib.*
מצוח *Mitſvah* quid 14. & *ſeq.*
מקרא *Mikreh* quid 18. *n.* 7.
מקטה *Miktſhiah* quid 47.
מרגמה *Margemah* quid 212. & *ſeq.*
מרקולים *Markolis*, apud Chaldaeos atque Thalmudicos *Mercurii* nomen 213. & *ſeq.* unde ortum *ib.*
משל *Maſhal* quid 102. 174. 206. & 261. *c.* 1. quidve נשא כשל *Naſa Maſhal* 102.

נ

נאמנה *Neemanoth* quid 111.
נוגשים *Nogeſchim* qui 13. 2 שטרים *Schoterim* diſtincti *ib* Aegypti generis *ib.* a Rege creari ſoliti *ib.*
נוף *Nuph* quid 46. *n.* 21.
נשא *Naſa* quid primario 46. & 259. cur *auferendi* notionem habeat *ib.*

ס

סבל *Sabal* quid 259. & 281.
סלה *Solah* quid 176. an id verbum *Silendi* aut *Silentium indicendi* notione praeditum *ib.* & *ſeq.* cur *Conculcandi* notio eidem vulgo tributa 177.
סלה *Selah* quid & unde 176.
סלילה *Solelah* quid & unde 156.

ע

עגה *Ugah* quid 74. *c.* 2. an tantumdem ac Torta *ib.*
עולה *Olah*, *Holocauſtum*, unde dictum 71. *c.* 2.
עולם *Olam*, quo pacto vocabulis Graecis Αἰὼν & Κόσμος, itemque Latinis *ſaeculo* & *Mundo* congruat 244. *c.* 2. & *ſeq.* ſaepe pro *Mundo* poſitum *ib.* & *n.* 3. quando pro *ſaeculo* uſurpari coeperit *ib.* & *n.* 4. utraque hujus vocis notio unde manarit 245. *c.* 2.
עלה *Alah*, ejus quae primaria notio 71. *c.* 1. & *ſeq.*
עצל *Aſel* quid, quidve עצלתים *Aſſaltaim* 221.
ערב *Ereb* quid 20.
ערגה *Arugah* quid 228.
ערער *Arar* quid & unde 123. *c.* 1.
עשה *Aſah* quid 296.

פ

פי ראש *Pi roſh* quid 56.
פלוני אלמני *Phaloni Almoni* quid 144.
פן *Phen* quid & unde 207. interdum pro אולי *ſequam* acceptum *ib.*
פצע *Phetſah* quid 173.
פרש חרבה *Phaſh Charebah* quid 210. & *ſeq.*

צ

צירים *Tſiiadim* qui 271.
צפון *Tſaphon* quid 262. *c.* 1. an idem qui Gentilium Poëtarum *Typhon ib.* & *ſeq.* quidve ירכתי צפון *Jarchethe Tſaphon* Iſaiae 263. *c.* 2.
צפצף *Tſphtſeph* quid 267. *c.* 2. cur verbo אזנו *Hagah* jungatur *ib.* an Avium peculiare *ib.*
צרעה *Tſara* quid 97.

ק

קוה *Kavah* quid 180.
קרן *Karan* quid 78. *c.* 1.
קשת *Keſheth* quid 149.

ר

רחת *Reahh* quid 13.
רעים *Raim* qui 99.

ש

שבלת *Scibboleth*, quo ſenſu ab Euphrataeis Jordanis vada tranſituris uſurpatum 130. quid notet 173. & *ſeq.*
שבת *Sabbat* quid 88.
שטרים *Schoterim* qui 13. quid a נוגשים *Nogeſchim* differant *ib.* ex Hebraeis delecti *ib.*
שך *Sac* quid 183.
שכם *Sbechem* cur pro *ſelectiſſima portione* quandoque uſurpatum 140. & 180.
שלישים *Scialiſeim* quid 28. & ſuſius 63.
שלם *Shelem* & plur. שלמים *Shelamim* quid 40. & *ſeq.*
שלמה *Scelemah* quid 292.
שמים *Sciamaim* Arabibus quid 107. quidve שמי השמים *Sheme-haſſhamaim ib.*
שנים *Schanim* quid 218.
שפם *Schapbat* quid 127.
שפריר *Saprir* quid 274.

ת

תמים *Thamim* quid 57.
תנופה *Tenupha* quid 46. quibus vocibus apud LXX. Interpp. reſpondeat *ib.* quid apud Hebraeos Doctores *ib.* primaria vocis notio *ib.* & *n.* 26. an vocis תרומה *Synonymon ib.*
תרומה *Teruma* aut *Truma* quid 46. etymon *ib.* primaria notio *ib.* quid apud Hebraeos Doctores *ib.* LXX viralis hujus vocis verſio defenditur *ib.* an vocis תנופה *Tenupha* ſynonymon *ib.*
תרפים *Theraphim* quid 289.
תשורה *Theshurah*, quid 139.

INDEX QVARTVS
RERVM ET VERBORVM.

A

Aaron an Moſis propheta 10. & 15. ejus miniſterii fines ib.

Abra quae 167. & ſeq. quando haec vox in Latium illata ib. an tantundem quod Latinis *Delicata* 168. ejus etymon an orientale ib.

Abraham an ab Idololatriae culpa ſemper vacuus 121. & ſeq.

Ἀγριελαίου quid 200.

Adeps Hebraeis vetitus qui 82. an adeps ſanguine permixtus ib. & ſeq. id edulium apud veteres in deliciis ib. *Adeps olei, vini, tritici*, quid 99.

Adorare pacem quid 41. n. 19.

Adulteri apud Ethnicos etiam lapidati 87.

Advocatus veteri Latio quid 287. ſero id vocabulum ad Cauſidicos tractum ib.

Aedes inſcribere in direptionibus civitatum Orientalibus in uſu 22.

Aegyptii a profanis ſaepe cum Hebraeis confuſi 3. eorum fecunditas fabuloſa ib. ea de Hebraeis in Aegypto moraniibus praedicanda ib. Joſephi tempore unum eundemque Deum cum Hebraeis colebant 12. quo tempore in apertam Idololatriam proruperint ib. Moſem ſub hominis cornuti primum ſimula. cro, poſtea ſub Tauri ſpecie coluere 79. c. 2. Joſephum Hebraeum ſub Bovis ſpecie in Memphitico templo adoraruut ib. eorum Reges communi Pharaonis nomine appellati 158. an ſtatim ac regnum capeſſerent, eo nomine uterentur ib. quid id nomen valeret ib. eorum Reges Paſtores quinam fuerint 99. triticum & hordeum ad panificium adhibere probro ducebant 162. ex Olyra ſive Zea victitabant ib. lugubribus ceremoniis plures Deos venerati 290.

Aeris opera Ferri operibus antiquiora 270.

Aethiopia apud veteres duplex, Libyca & Arabica 2. 67. c. 2. 98. & 104. Arabica etiam *Cus* dicta ib.

Ἀγχαιδίσκος quid 132.

Aggeres qui 156. quive Fundi aggeres 157.

Agri apud veteres funibus finiebantur 190. bello adquiſiti ſortibus dividebantur 119. & ſeq.

Αἰθαλία Ilvae inſulae in ora Etruriae nomen 71. c. 2. cur Graecis ita appellata ib. n. 1.

Ἄλλος quid & unde 278.

Αἰνίγματα veteri Graeciae γρῖφοι dicebantur 206.

quid fuerint 236. ars aenigmatica in Oriente in pretio ib. ſero in Occidente uſurpata fuit ib.

Αἰσίμητα quae 227.

Αἰσχύνω Helleniſtis quum de inanimis dicitur quid 290. an verbi Καμάνω LXX. Interpretibus ſynonymon 257.

Αἰὼν & Κόσμος Judaeis Helleniſtis ſynonyma 244. c. 2. & nn. 3. & 4.

Ἀλαζόνες quid 111. & 284. Ἀλαζονεύεσθαι pro Καλλίστος ib.

Ἀλείπτειν quae 222.

Alienigenae Sacris Scriptoribus qui 196.

Allegare pro Excuſare veteribus poſitum 240.

Ἀλλεφυλοι qui 196.

Ἄλογος pro Balbus 14.

Altaris praecipua pars apud Graecorum antiquiſſimos in quo poſita 54. Altaria ex ceſpitibus initio componebantur 69 n. 1. ea cur *temeraria* Tertulliano dicta ib. *Aras temporales* quoque appellatae ib.

Altaris Moſaici deſcriptio 53. & ſeq. idem ex ceſpite initio paratum ib & 70. c. 1. & ſeq poſtea aeneum & inane fuit ib. quoties Deo ſacrificabatur, ceſpitibus rudibuſque lapidibus replebatur ib. ejus *Arula* quid ibid. annuli aenei quo valerent ib. craticulae ſive foci ſitus ib. dimenſio ib. figura quae 55. parietes ib. in mediis caſtris ponebatur ib. ejus *Cornua* quid 57.

Alterae pro Alteri 290.

Ἀμφιτροδέξιοι qui 133.

Ἄμωμος pro integer 57.

Ἀναμεῖς qui & unde dicti 127.

Anacharſis Scyta an Figlinae artis inventor 272.

Ἀνάλιτοι & Ἀναλιτήριοι quid 228.

Ἀνάλημμα quid 250.

Ἄναξ apud Graecorum veteriſſimos quid 127 etymon ib. Dii Ἄνακτες qui ib.

Ἀναστασιασμὸς quid 299. & ſeq.

Ἀναφέρω pro Ἀναφίημι Helleniſtis uſurpatum 258.

Ἀναψύχω quid 274.

Anchora ſacra 281.

Ἀνδεία quid 208.

Angelus Satuae cur quandoque Angelus Domini dictus 181.

Animalium mactatorum ſanguis aut alia quaevis portio Diis libabatur apud veteres 85.

Anna Perenna Dea in Latio culta quae 135. n. 1. an ex Anna & Perenna uxoribus Elcanae

tanae Patris Samuelis conflata ib.
Annuli aenei in Altari Moſaico quid, eorumque munus 53. & 54. n. 33.
Annus in duas Horas ab Hebraeis diviſus 187. & ſeq. & 256. in ternas horas apud plurimas nationes ib. Annus dierum Sacris Scriptoribus quid 97. Annus quinquageſimus juſtam remiſſionem apud plures Reipubl. dabat 91. Anni an clavis in Templo Hieroſolymitano ſignati 165. Annorum hebdomadae a multis nationibus in calculis adhibitae 286.
Antennarum Cornua etiam in re tabernacularia uſurpata 89.
Antiſthenes an primus omnium pallium duplicaverit 203. n. 1. an ſolo pallio ſuper nudo indueretur ib.
Ἀπελπίζω quid 169.
Apis Aegyptiorum Deus idem ac Joſeph Hebraeus 79. c. 2. ſub Bovis ſimulacro in Memphitico templo cultus ib.
Ἀπλοῦς aut Ἁπλοῖς an eadem ac Χλαῖνα ſimplex 203. c. 1. & ſeq. nunquam duplicata ib.
Ἀποκαθημένη LXX. viris quid 87.
Apollinis Sacerdotes juxta Soracte montem ſuper prunas impune incedere creditum 284.
Apoſtatrix, aevi argentei vox 281.
Ἀποτρέπω quid 40 n. 18.
Ἀποτίθεσθαι & Ἐκτίθεσθαι quid differant 5.
Appeto quid 40. n. 18.
Aqua Bethleemitica tantum David ad potum uſus eſt 157.
Aquae probationum apud diverſas nationes uſurpatae 93. & ſeq Aquaevivae quae 100. Aquae fontium fluminumque in luſtrationibus ib.
Aquila Jovis miniſtra 34. ei inequitantes mortales ἀποθεούσης in caelum deportati ib. unde id ſumptum ib.
Aquilonis latus aut femur quid 263. c. 2.
Ἀρὰ ſaepe pro Precatione 54 an apud Graecos heroicorum temporum idem quod Latinum *Ara* ib. an pro *Sacro* item id nomen olim uſurpatum ib. ejus originatio ib. n. 34.
Ara apud veteres Latinos quid 54. pro *Sacro* apud eoſdem frequens ib. *Foci* ſynonymon ib. n. 34. vocis origo ib. Arae apud Gentes in mediis caſtris poſitae 55. unde id deſumptum ib. Arae portatiles Romanorum inanes 70. c. 2 quoties erat ſacrificandum, ceſpes iis ſuperimponebatur ib. Arae gramineae Virgilio quae ib. c. 1.
Arabes quomodo tonſi 67. n. 4.
Arabicus ſinus Λίμνη χαλκοείδουσα antiquis dictus 66. c. 1. unde haec appellatio orta ib. eundem vere lacum fuiſſe aliquando creditum ib c. 2 ſacris & profanis Scriptoribus Mare Rubrum appellatum ib. n. 2. cur Aethiopibus ab Aeſchylo tributus 67. c. 1.
Ἀράομαι non raro idem ac Precor 54.
Arar aut Aroër Hebraeis primario quid 123. c. 1. plurium civitatum aut locorum in Palaeſtina nomen ib. cur id nomen ils locis inditum ib. num extra Palaeſtinam idem reperiatur ib. c. 2 & ſeq.
Areolarum per ſulcos irrigatio antiquiſſimis temporibus in uſu 282.
Arietinum Caput Pertarum Regum vetus diadema 286.
Armus, pars carnium ſelectiſſima olim habita 83. n. 2. & 139. honoratioribus convivis reſervabatur ib.
Ἄρτοι ἐνώπιοι aut Ἄρτοι τῆς προθέσεως LXX. ſenioribus quid 48. & n. 22. cur id nomen panis ſacro Hebraeorum quaeſitum ib. Ἄρτοι θαλάσσιοι aut Θάργηλοι quid 89.
Arva quae 211. vocis origo ib.
Aruia in Altari Moſaico quid 53. craticulae imminebat ib. in ea victimae adolebantur ib.
Aſininum caput an ab Hebraeis cultum 59 haec calumnia de cultu Aſinino Judaeorum unde nata ib.
Aſſatura quid 153.
Aſſumere parabolam, ſacris Scriptoribus quid 102.
Aſtrorum cultus veteriſſimus 163. cur Aſtra exercitus appellarentur ib. cur animata a veteribus credita ib.
Auris ima memoriae ſedes apud veteres 57.
Aurugo, aevi argentei vocabulum 301.
Aves olim vento exſiccabantur 98.
Autariatae ranarum imbre patriam deſerere coacti 17.
Autumnus in anni horis ab antiquis non numeratus 198. & 256.
Ἀξιωματικοὶ qui 167.
Ἄυλα, Syriae tractus, unde id nomen habuerit 123 c. 1.
Azymorum Paſchalium lex an ante egreſſum ex Aegypto Hebraeis lata 22.

B

Baetyli cur Saturno ſacri 294.
Bajulus ſequiore aetate qui 155.
Βαπτισμὸς & Βαπτίζεσθαι in N. T. quid 230.
Barjeſus cur *Barſchuma* Syris appellatus 91.
Βασιλεῦσι Helleniſtis quid 289.
Βασιλεύς, Βασιλεῖον, titulus multis regibus olim datus 283.
Βασιλικὴ ὁδὸς quae 101.
Baſtra ſive Baſtris Phoeniciae an Βόστρα appellata 269. c. 2. Boſtra vetus hujus urbis nomen ib. an Boſtra Africana antiquior ib. an a Boſtra Idumaeae metropoli nomen mutuata ib.
Beelſamin Deus idem ac ſol 86. Mithrae Menotyranni ſynonymon ib. Beelzebub ab Hebraeis per contemptum vocatus 161.

Bella apud veteres rhythmo inita 61. ſingulari aut plurium certamine dirimi apud eoſdem frequentiſſimum 142.
Bellatores Θεράποντες Ἄρεος appellati 113.
Bellonarii in furorem acti ſeipſos cultris cruentabant 161.
Benigne facere alicui 185.
Beleleel Moſis nepos an ſententiarum ſcriptor 58. Sapientia ei tributa quid notet ib.
Boſra duplex, Moabitica una, altera Idumaeae metropolis 268. c. 1. Boſra etiam antiquum Carthaginis nomen ib.
Boſra in Phoenice & Boſtrenus amnis unde id nomen acceperint 293.
Βοτρυς unde 269. c. 2.
Bovem aratorem mactare apud veteres nefas 100.
Βραβεύω, verbum ἀγωνιστικὸν, quid 237. interdum & *praemia diſtribuere*, & ἀγαθὰ pro ſimplici *tribuere* ib. quo pacto verbum judiciale evaſerit ib.
Brachmanes Indiarum an ex Judaeis ſanioris philoſophiae placita arripuerint 223. c. 2. & n. 2. an ex eiſdem orti ib.
Βραχμᾶς & Ἐμβραχμᾶς quid 299.
Βράσσω quid 237.
Buccella ſicca quid 210. & ſeq.
Buccinarum clangor juſſu Dei inſtitutus an quandam virtutem Sacramentalem apud Hebraeos habuerit 95. & 115.
Burattare Italorum quid & unde natum 237.
Byrſa, antiquum Carthaginis nomen, unde manarit 268 c. 1. an a Boſra Idumaeae ib. & ſeq. num a Baſtra ſive Baſtri Phoenices 269. c. 2. & 293. nominis ſignificatio ib.

C

Cadavera canibus & avibus diſcerpenda exponere apud veteres ignominioſum & immite 143. de eorum ſepultura pacta inibantur ib.
Cadere, de ſortibus Latinis aeque ac Hebraeis tritum verbum 119.
Caeci qui dicantur 150.
Caelus veteribus pro Caelum 112. pluralivum neutrius generis an unquam uſurpatum ib. Caelum Aeneum Hebraeis & Latinis quid 311. Empyreum, unde ea appellatio orta 197. Caelum & Mundus apud veteres Graecos & Latinos ſynonyma 242. c. 1. & ſeq.
Calce luctari veteres conſuevere 185.
Calcei quando inducti 21.
Callidus, in meliorem partem acceptus 209. & ſeq.
Κάλλος Homero quid 259.
Calvaria & Calvarium proprie & primario tantundem ac Calvities & Calvitium 126. c. 2. cur Calvariae nomen Golgothae Hieroſolymitano colli impoſitum 125. c. 2. & ſeq.
Calvata vina quae 126 c. 1.
Calvo & *Calvor*, verbum vetus, quid 4. n. 2.
Camelorum manſiones aquationibus diſtinguebantur 104.
Camilli Romanorum qui 45. eorum nomen & munus unde ſumptum ib.
Candelabri Judaici deſcriptio 49.
Canes ad praelia a veteribus adhibiti 186. Canis de demiſſo animo dicitur 163.
Canticum Canticorum cur Ἄσμα Ἀσμάτων a LXX. ſenioribus appellatum 227.
Capillorum primitiae Apollini aut alii cuipiam Deo vulgo dicatae 94.
Capitium quid 56.
Καπηβάται qui 205. c. 1. & ſeq. cur Myſis id nomen tributum ib.
Caput in luctu operiri aut cinere conſpergi antiquis in uſu 155. & 279. Capitis nutatio irridentis aut inſultantis motus 280.
Carneorum Feſtum quo tempore celebraretur 89. unde dictum ib.
Carnes aſſae principio edebantur 21. elixae in Oriente primum in uſu ib. & 136. an ab Homero Heroibus ſuis appoſitae ib. Carnes apud veteres in praemium bene nuntiantibus datae 138. unde is mos ib.
Carthago, Phoenicum ne, an Idumaeorum Colonia 268. c. 1. & ſeq. ejus conditores an arcem tantum principio aedificarint ib. Graecum ejus nomen *Byrſa* unde detortum ib. an *Boſra* Phoenicio ſermone initio appellata ib. Boſra ſive *Byrſa* an prioris oppidi appellativum nomen ib. varia ejus nomina ib. c. 2. cur *Ornuſſa* vocata 269. c. 1. id nomen an vocabuli *Boſra* Graeca interpretatio ib. quis Carthadam eam appellaverit ib. an a Boſtra Phoenices Boſrae nomen acceperit ib. c. 2.
Κατ' αἶγας ἀγρίας, haec formula unde fluxerit 84.
Καταφλέγματα quid, ejuſque uſus 3. & n. 2.
Καθάρματα in mare, aut in paludes projici ſolita 84.
Κέδρος, Graecis & Latinis plurima arborum genera complectebatur 201.
Cenacula quae 167. in iis mulierum cubicula poſita ib.
Κίρας pro prominentia, promontorio 57.
Cervus, id nomen utrumque ſexum notabat 179.
Ceſpes quid 68. c. 1. ad certum modulum olim caeſus ib. & 40. ejus etymon ib. c. 2. Altaria ex ceſpitibus congeſta 69. n. 1. vivus ceſpes, quoties ſacrum fieret, caedebatur ib. elatiores ceſpites inmenſis componendis adhibiti ib. n. 2. Ejus uſus in vallo & bellicis operibus ib. n. 3. in tribunali allocuturi imperatoris ib. n. 4. in ſubitis ſacrificiis apud Romanos ceſpes Arae impoſitus 70. c. 1.
Ceſſatio ab operibus famulis an apud Gentes obſervata

observata 37. & 88.
Cetteorum ſedes primitiva, Myſia circa Caicum 103. quo tempore in Italiam ſeſe diffuderint ib. eorum prima ſedes in Italia quae 104.
Chanaan Lingua quae Iſaiae 255.
Chananitarum poſteri in Italia qui 27.
Cherubinorum Arcae operculo inſiſtentium aſae quam ſpeciem exhiberent 137.
Χλαῖνα quae 203. c. 1. ſimplex plerumque uſui erat ib. ea Ἁπλαῖς aut Ἁπλοΐς vocabatur ib. Χλαῖνα διπλοῆ aut Διπλαῖς aut Διπλοΐς quae ib. & 56.
Χοιρίδια quid 97.
Χρηματίσαι abſolute poſitum 233.
Chriſti ſepulcrum an in horto conſito poſitum 126. c. 1.
Chriſtiani veteres manibus ſublatis orabant 33. eorum brachia a ſervis fulciebantur ib. eorum erga Jeſu Chriſti nomen reverentia 90. quando bovem & aſinum in Jeſu parvuli antrum induxerint 252.
Chuſcitis Regio cur Aethiopia Graecis interpretibus appellata 98.
Χυδαῖοι Hebraeis quid 161.
Χυτρίζειν quid 5.
Cinaei ubi ſiti 103. montanis locis plerique inſederunt ib.
Κίων quid & unde 294 pro columna, cippo aut ſtatua poſitum ib.
Civitatum fraternitas, aut maternitas, aut filiatio apud Orientales frequens 282.
Clavi numeri annorum indices an in Templo Hieroſolymitano fuerint 165. apud Tyrrhenos in uſu ib. Clavos ſummis verticibus aut in pectore defigere unde Tyrrheni didicerint 128.
Κοιμᾶσθαι frequenter pro *Mori* 177.
Colocynthides quae 162.
Columbis pro tabellariis veteres Orientales uſi 185. eae cur ſilere dicantur tum etiam quum maxime ſuſurrant ib. cum vatibus ἐγγαστριμύθοις multa habebant communia ib. etiam ἐγγαστριμῦθοι appellatae 266. c. 2. & ſeq. cur Ezechieli Μολιττόμεναι dictae 264. c. 2.
Columna, & Statua & Cippus apud veteres ſynonyma 294.
Comae Diis dicatae 94. plerumque Diis fluvialibus nutriebantur ib. unde is mos manarit ib.
Comburo pro Conſumo 8.
Comedere panem pro Convivium agitare 34. quid Comedere ſermones 271.
Concupiſco pro Interverto, Adpeto 39. & 40. n. 18.
Condicere quid 144.
Confundere pro Pudefacere, & Confuſio pro Pudore 290. & ſeq.
Conſilior aevo meliore uſurpatum 181.
Conſiſtorium Tertulliano quid 170. quidve aevo Conſtantini ib.
Conſparſio & Conſperſio quid 24. nn. 8. & 9.
Conſtantinus Crucis tentorium extra caſtra poſuit 61. ecquod exemplum ſecutus ib.
Contiuere manus quid 37.
Contrahere pro legere aevo meliore in uſu 153.
Convivia ferme uti ſacrificia apud veteres peracta 81. & 85. heroicis temporibus regibus cum popularibus communia 139. in iis prima ſedes, & potiſſima carnium portio regi reſervata ib.
Corcyraei unde nomen nacti 153. & 260.
Cornua Moſis quae 77. c. 1. & ſeqq. in Deorum, Heroum & Regum ſimulacris Moſis aemulatione ornamenti loco ſignata ib. c. 2. *Cornuum* & *Cornuti* vocabulis quo tempore ignominioſa notio addita ib. c. 2. Moſaica cornua ab animalium cornibus longe diverſa 78. c. 1. quidnam fuerint ib. Cornus L. Marcii Philippi ib. c. 2.
Corrugare nares quid 62.
Cortes unde dictae 51. n. 28. & 52. earum figura ib.
Cortina pro Aulaeo an probum vocabulum 50. & 52. vetus & primaria vocis notio ib. olim vaſis genus inferne rotundum diverſis miniſteriis deſtinatum ib. Phoebi Cortinae forma ib. & n. 30. omnes fabricae in ſummo convexae *Cortinae* dictae ib. Caeli ſinuoſitas item Cortina appellata 51. & n. 28. Tabernaculi Judaici Cortina quae ib. ex minoribus Cortinis compoſita ib. cujus operis, textoris an plumarii ea fuerint ib. vocis originatio 52.
Κόσμος, variae hujus vocis notiones 241. c. 2. & ſeqq. primitus pro rerum omnium univerſitate uſurpatus ib. Platoni pro Fixarum ſphaera ib. an Pythagoras primus rerum univerſitati Κόσμου nomen impoſuerit 242. c. 1. antiquitus Graecis & Latinis idem ac Caelum ib. poſtea pro terrarum orbe ſumptus ib. c. 2. & ſeq. unde haec notio fluxerit 243. c. 1. eadem Helleniſtis peculiaris 244. c. 1. & ſeq. Αἰὼν & Κόσμος iiſdem ſynonyma ib. c. 2.
Κρανὸς, de Tellure uſurpatus, quid 126. c. 2.
Κρανεῖον Corinthi Gymnaſium, unde id nomen 126. c. 2.
Κρανίον Helleniſtis quid 125. c. 2. & ſeq. cur id nomen Golgothae Hieroſolymae colli impoſitum ib. Κρανίον in Geographicis quid 126. c. 2. Κρανίον Cephallenlae oppidum cur ſic appellatum ib.
Κρεανομία quid 138.
Κρίται Areopagitis in dies ſingulos e publico tributum 138. unde id nomen ib. Κρίσεις heroicis temporibus Regum praemia ib.
Cremia quid 194.

Κρυπτάκτης Lacedaemoniorum magiſtratus 138.
Κρύπτη ὑδραυλὶς quid 178.
Cruci tentorium a Conſtantino extra caſtra conſtitutum 61.
Cruſta & Cruſtula, Cruſum & Cruſtulum quid 75. c. 2. & n 3. haec vocabula ab Oriente petita ib. ad edulia ſgulam irritantia ſignificanda referebantur ib. loco bellariorum vulgo diſtribuebantur 76. c. 1. n. 4.
Κτερὰ qui 110.
Cultellus ſiliceus a Gallis ſacerdotibus in virilitatis amputatione uſurpatus 114. Judaeis in exſectione praeputii etiam in uſu ib.
Currus heroicis temporibus in bello frequentiſſimi 28. duos ſaltem ſeſſores recipiebant 63. c. 2. in curribus nuptialibus terni adſidebant 64. c. 1. an & in bellicis terni conſiderint ib. Currus trijugi veteribus in uſu 16. c. 2.
Cus regio ubi poſita 104. a Graecis Σοῦσα vocata ib.
Κύφι Aegyptium an a Moſaico thymiamate diſſideret 58.

D

Dalmaticae Diaconorum antiquitus quomodo vocatae 56.
Damaſceni Gazaeorum fratres 293.
Dativus pro Genitivo Hebraeis & Graecis vetuſtis in uſu 176.
Decennalia die natali Imperii celebrata 94. & ſeq. in alium ἐνιαύσιον alterius menſis diem quandoque rejecta ib.
Dedicare antiquis quid, quidve Dedicare mandata 14.
Dei nomen τετραγράμματον quo tempore Hebraeis cognitum 11. quando reverentiae cauſa reticeri coeptum 89. & ſeq. Dei Leges cur *Mandata* ab Hebraeis appellata 14. & ſeq. Dei praeceptum de abolendo fermento an ante eorum egreſſum ex Aegypto editum 22. Divino ſtatui ab Hebraeis tributum quidquid magnum aut terribile eveniret 65. c. 2.
Dejicio & Ἐκβάλλω in veteribus Gloſſis ſynonyma 247.
Δίλη abſolute quid 20. quidve Δίλη πρωΐα & Δίλη ὀψία ib.
Delicati in virili miniſterio qui 168. quaeve in muliebri Delicatae ib. uſus Delicatorum unde & qua aetate Romam advectus ib. Delicati Romanorum in malam partem non accipiendi ib.
Delphi quare ὀμφαλὸς αὐτὶ μυκόμφαλος γῆς appellati 187. ejus Oraculum μυκόμφαλον μαντεῖον vocatum ib.
Delus cur Pindaro *Ponti filia* appellata 255.
Dendrophororum miniſterium duplex 118.
Denotare pro condemnare, & Denotatio pro Damnatio 246. & ſeq. unde haec notio fluxerit ib.
Deprecari & Deprecatio quid 83.
Devolvere Catullo pro Exſecare Hebraice idiotiſmo 114.
Devotare, Devotatio, & Devotamentum, olim paſſim uſurpata 159. & ſeq.
Devoti alicujus capitis praecipitatio de praerupta ſpecula, luſtrationis gratia, non ignota Gentibus 85.
Διαφερόμενοι quid 107.
Διπαίσμα Veteris Graeciae forenſe vocabulum 199. quid ib. Judaeis Helleniſtis quid ib. & ſeq. non raro tantumdem ac Νίπτρα ib. Κρίματα & Δικαίωματα cur apud LXX. ſeniores ſynonyma 200.
Δικαίως pro forenſi verbo poſitum 200.
Dies apud veteres a veſpera procedebant 215. iiſdem Dies naturalis ſola ſideris ſupra horizontem mora 119. diei diviſio in horas duodecim diurnas, totidemque noctiurnas vetuſtiſſima 164. ubi nata ib. Diei Dominici requies veteribus Chriſtianis laxior 37. quo aevo ſanctior evaſerit ib. Diei vox pro Praelio ſaepe uſurpata 129. Dies Gladiatorum quid ib. Diem privatum edere ib.
Dii apud veteres nubibus amiciebantur 32. nubibus inſidentes fingebantur. ib. unde Gentiles id ſumſerint ib. fere omnes, maximo juvenes, alati 281. unde id veteres imitati ib. antiquitus gigantеae ſtaturae ſculpti 229. eorum proprium nomen uſurpare reverentiae cauſſa abſtinebantur 91. Dii Χθόνιοι etiam Δίσποτες appellati 127.
Diogenes an primus pallium duplicarit 203 n 1.
Δίπλοις & Χλαμύδος an Χλαίνης epitheta 203. c. 1. Δίπλοις & Δίπλωις num eadem ac Χλαίνη duplicata ib. & ſeq. Δίπλωις duplicari & in duas tresve diploidas refingi poterat ib. c. 2. Δίπλωις ex laena antiquiſſima 204. n. 1. quis primus ex pallio diploidem fecerit ib.
Dolia & opus doliare pro quacumque teſta 274.
Domus longe quid 260.
Δύξα Helleniſtis quid 250.
Dulcis unde 215.
Duodecarii numeri excellentia ubique terrarum diffuſa 164

E

Ebenum, vocis originatio 5.
Ἐγκρυφίαι quid 37. & 88. an de ceſſatione ab operibus ſamulis unquam accepta ib. quid ἐκκρυφίαι ἐπαγγέλλειν ib.
Ἐγκύπτεσθαι quid 5.
Ἐκτενάγμοι quid 299. & ſeq.
Ἐγκαίνια quid 283.
Ἐγκρυφίας ἄρτοι Atticis quid 73. c. 2. num idem ac *Torta* ib
Ἐγγαστρίμυθοι qui 266. c. 2. ex ventre, ex pectore, & ex imis corporis penetralibus oracula

oracula fundere visi ib. quare מעון. *Oboth* Hebraeis dicti 267 c. 1.
Ἐν εἰρήνῃ κοιμήσεις αὐτῶν, formula in Judaicis tumulis frequens 177.
Ἐλαφρός cur pro levi agiliqne positum 179.
Elevare melioris aevi Scriptoribus cur pro Extenuare, Minuere 285.
Ἐλλάς & Νῆσοι an olim synonyma 260.
Emergo de sortibus usurpatum 120.
Emmanuel, id nomen in lignis vocalibus, in vigiliis vel in praelio sub Christianis Principibus adhibitum 254.
Empyreum unde 197. an barbara vox ib. & seq.
Ἐμπύριος, vox Jamblicho usurpata 198.
Enceladus Typhonis sive Typhoëi synonymon 263. c. 1. n. 3, & 264. c. 1.
Ἔντολαὶ quid 15.
Ἐπαγωγὴ pro invasione hostili 247.
Ἐπίθημα quid 46 n. 21.
Ἐπιθυμία quid 39. & 40. n. 18.
Ἐπιμέλειαι αἱδῦ quid 273.
Ἐπιορκεῖς quid 107.
Ἐπιστατὴ quid 86.
Epistolae vox num. plur. apud Graecos & Latinos de una haud raro usurpata 303.
Epulae cum sacrificiis olim conjunctae 81. 210. & 282. epularum primitiae Deo oblatae ib.
Epulare quid 282.
Ἕρπυστος quid 284.
Equo Imperatoris vehi privato nefas 170.
Equites rhythmo olim decurrebant 61.
Ἐργάζεσθαι pro Largiri indigenti stipem 246.
Ἐργασία Hellenistis quid 250.
Ἐργοδιῶκται qui 13.
Eridanus, unde id nomen fluxerit 201. cur Padus amni id nomen conciliatum ib.
Ἑρμαῖος, Ἑρμαῖος λόφος, & Ἕρμαιος quid 214.
Ἕρμης Sidoniorum Rex ab Homero laudatus an idem qui Hiram Biblicus 151. n. 1. & seq. an idem ac Ἕρμης Dii & Menandri Ephesii ib.
Ἑστία veteri Graeciae praecipua Altaris pars 54. & seq. vocis etymon ib. initio loco Altaris portatilis fuit 16. postea Altari imposita ib. v. 35. vetus Graecorum Ἑστία Altaris Mosaici compendium 55. cum eodem comparatio ib. Arulam continebat ib. ejus figura ib. parietes ib. cava fuit & portatilis ib. cur *Craticula* interdum redditur ib. ulcera cur antiquis Ἑστίαι dictae ib.
Ἔθνικοὶ pro βάρβαροι 168. Ethnici quam potestatem Diis aut Fatorum vi tribuerint 11.
Εὐαγγέλια antiquis tantundem ac sacrificia ob laeta nuntia oblata 138. & 150. item munera bene nuntiantibus dari solita ib.
Εὐαγγελίζω aut Εὐαγγελίζομαι de tristi nuntio acceptum 138.
Εὐδοκία de humana voluntate sacris Scriptoribus frequens 248. pro vitiosa voluntate sive concupiscentia Sirachidi posita ib. Εὐδοκία & Εὐδοκεῖν Graecis Alexandrinis de brutarum animantium concupiscentia usurpata ib.
Evirratio ubi inventa 109. Graecis diu ignota ib.
Ἐὐζωνοι qui 165.
Ἐξάρχειν pro Praecinere 60.
Ἐξιλάσκομαι quid 83.
Exire, de sortibus sollemne verbum 119. & 120. *Exire sortem* proba locutio 84.
Ἔξοδος, variae vocis acceptiones 1. ubi expeditionem, aut profectionem notat, quo pacto usurpata ib. in Mosaici operis titulo quam vim habeat ib. & seq.
Expeditionibus militaribus cum gregum deductione olim multa similitudo 187.
Exsecrationum dissipandarum aut recantandarum ars antiquis nota 102.
Ezechielis Poëtae Judaei patria quae 1. & seq. aetas ib. an unus ex LXX. interpretibus ib. ejus Poëma dramaticum Ἐξαγωγὴ inscriptum ib. de eodem judicium ib.

F

Fabula pro Dicterio 111.
Famularum molentium cantica audita in omen divinitus ostensum apud veteros accepta 273.
Famulus Domini, titulus Mosi & Josuae post mortem tributus 113. a Gentilibus usurpatus ib.
Far apud Aegyptios & apud Romanos in usu 162.
Faunus idem qui Priapus 275. cur *Ficarius* dictus ib. & seq. Fauni Ficarii an iidem ac *Incubones* 276.
Fecialium carminum exordia unde sumpta 111.
Fellis piscium potestas in ocularia medicina 166.
Femur ad dolorem aut indignationem notandam veteres percutiebant 273.
Feriarum disciplina apud veteres unde derivata 37.
Fermentum an ante egressum ex Aegypto Hebraeis interdictum 22.
Ferri opera Hesiodi temporibus ignota 270. qua aetate in usu recepta ib. Ferri candentis aut prunarum probatio apud veteres celebris 93. & seq.
Festa cur instituta 36. apud Romanos festis diebus quaedam exercere licitum 37. cur apud Ethnicos in alterius mensis diem *ἐκπόρευσις* interdum celebrata 94. & seq.
Fiazzus quid & unde 17. & 65. n. 1. cur id nomen Jovi tributum ib.
Ficarii qui 275. id nomen cur Faunis impositum ib. & seq.
Ficus & Vitis ex omnibus frugiferis arboribus ab antiquis maxime cultae 158.

Figlina

Figlina ars an Homero antiquior 272. ejus inventor ib. Anacharſis cur ejus inventor habitus ib. figularis rota Homeri aetate in uſu ib. Figlina ars ad numeros apud veteres fiebat 273.
Filiae apud Aegyptios parentes alere debebant 38.
Filii an apud veteres poenae parentibus debitae obnoxii 35. alendorum parentum neceſſitate tenebantur 38.
Finis, vocis etymon 190.
Focus tritum Arae ſynonymon 54. n. 34.
Foedera apud veteres junctis manibus inibantur 44.
Formicas quibus temporibus a labore ceſſare antiquis creditum 216.
Fornacalia quae, & unde apud Romanos traducta 88.
Fortuna an pro Genio apud Latinos 258.
Frugum primitivarum torrendi ritus ad Romanos ab Oriente traductus 88.
Funda antiquis ſervile armaturae genus 143.
Fundibalum, vox aevo Verſionis Italicae uſurpata 213. n. 1.
Funebria pollutionem apud Ethnicos inferebant 93. & 100.

G

Galli cantum & ſaltationem in praeliis adhibebant 61. cadavera feris & avibus dilaceranda relinquebant 143.
Galli ſacerdotes unde id nomen ſibi fecerint 114. & 126 c. 1. cultello ſiliceo in teſticulorum exſectione utebantur ib.
Gallia Togata olim a Tyrrhenis habitata 304.
Garganus, Apuliae mons, unde id nomen obtinuerit 125. c. 1. Γάργανον Ptolomaeo dictus ib.
Gargaron Idae montis vertex 123. c 2. unde id nomen invenerit ib. & ſeq. vocis etymon ib. an a frugum ubertate celebratus 124. c. 1. cognomen oppidum ei ſubjacebat ib. num a Φαλάκρα diverſus ib. c. 2. an potius Φαλακρὰ ejuſdem ſynonymon ib.
Γενέθλια aut Γενέσια cur veteribus Chriſtianis Martyrum Paſſiones vocatae 224. c. 1. hae voces promiſcue uſurpatae ib. c. 2. & ſeq. Γενέθλιος apud Ethnicos de emortuali die uſurpabatur 225. c. 1. apud veteres Chriſtianos diem anniverſarium Paſſionis Martyrum notabat ib.
Genii ſingulis hominibus, urbibus, provinciis, ſocietatibus ab Ethnicis in cuſtodiam aſſignati 287. ea de Geniis doctrina unde hauſta ib.
Gentilium religio in uſurpando proprio alicui Dei nomine 91.
Genninus natalis dies qui 226. n. 6.
Germani cantu & ſaltatione in praeliis uſi 61.
Gigantes in boreales cavernas montium ad ſuorum criminum poenam ab poëtis detruſi 263. c. 2. eorum violentiae terrae motus tributi ib.
Glabreta quae 123. c. 2.
Glomus & Grumus an unum idemque vocabulum 162. eorum variae acceptiones & originatio ib.
Golgotha, Hieroſolymae collis, unde id nomen adeptus 125. c. 2. & ſeq. an a loci glabritate ib. vocis origo ib. cur *Calvaria* appellatus ib. cur Helleniſtis Κρανίου dictus ib.
Γρῆφοι veteri Graeciae quid 131. & 206. eorum antiquitas & origo ib. ab Orientalibus ad Graecos manarunt ib. in conviviis proponebantur ib.
Grumus, variae hujus vocis notiones 162. etymon ib. an idem qui Glomus ib.
Γυναικεῖον quid 155. & 167. in cenaculis poſitum ib. in eo mulieres praeſertim virgines ſe continebant ib.
Γυναῖκες ἱερόδουλοι quae 109 Veneri ſacrae ib. apud Gentiles quamplurimae fuerunt ib.

H

Habacuci Oratio an Opus a ſuperiori Prophetia ſejunctum 300.
Haſta tum Hebraica, tum Graeca utrinque acuminata 146. c 1 & ſeq in ovo erecta intra Sauroterem condebatur ib. Sauroteris nomen cur in ipſam transfuſum 147. c 1. *Haſta averſa* Samuelis quae ib. & 150. Haſta Romana infima cuſpide carebat 148. c. 1.
Haud ſcio an, *Haud ſcio an non*, apud melioris aevi ſcriptores ſaepe vim affirmandi habent 291.
Hebraei ultimis Saul temporibus qui dicti 140. vocabuli *Hebraei* acceptio ex tranſitu amnium petita frequens 141. unde protecta ib. id vocabulum quid in Chanaanitide, quidve in Aegypto deſignaret 255. Tranſmilani omnes in Aegypto morantes ab Aegyptiis *Hebraei* indiſcriminatim vocati 141. in Aegypto quam Terram primum incoluerint 8. poſtea ipſis commune tectum cum Aegyptiis ib. quando paſtoritiam artem in Aegypto deſeruerint ib. ab Ethnicis ut Aegyptii generis habiti 5. eorum religio erga Dei nomen quadriliterum quo tempore inceperit 90 יהוה *Sem* pro יהיה *Jahvoh* reverentiae cauſſa dicebant ib. Divino flatui tribuebant quidquid magnum aut terribile eveniret 65. c. 2 ad Templum adoraturi in comitatu pergebant 183. ad Proſeuchas & in Templum gentes etiam admittebant 259. in Oratione manus ſuas ad Caelum porrectas jugiter tenebant 189. meri ſanguinis eſus eis a Deo per Moſem vetitus 82. quis adeps ipſis interdictus ib. quo pacto Manna in deſerto eis ſubminiſtrata

32. an totum Mannae dimenſum diurnum aſſumerent 33. an poſt menſtruum conuerſi cum uſum Cholera a Deo percuſſi 97. & 98. an Divino praeceptо in primo eorum Paſchate a fermento abſtinuerint 22. & 25. & ſeq. cur per dies ſeptem Azyma poſtea comederint ib. an omnia famula opera Paſchalibus diebus ipſis prohibita 23. immundi aut peregre profecti Paſcha XIV. die proximi menſis celebrabant 94. & ſeq. eorum Jubilaeum an ab aliis nationibus admiſſum 91. ſeptimanas & menſes tum ex diebus, tum ex aliis temporum ſpatiis conflabant 97. an clavis annos in Templo ſignarint 165. nomina Idolorum per contemptum corrumpebant 161. palmarum fructus cur χοῦκκις appellarint ib. in praeliis rhythmo delectabantur 61. an in eorum ἐξόδῳ canes ſecum adhibuerint 187. num Palaeſtinam totius orbis umbilicum crediderint ib. eorum Reges an Piſcium vivaria in deliciis habuerint 165. eorum Lingua cur *Lingua Chanaan* Iſaiae dicta 255. ſermones & ſcripta poëticis canticis exornabant 171. Hebraicae Poëteos vis & natura in quo poſita ib.

Herba Solſtitialis quae 298.

Herodius qui 107.

Heroes in lectu ubi jacerent 172.

Hipparchus an de Aegypti calamitatibus ſub Israelitarum exitum ſcripſerit 19.

Hiram Biblicus Rex Tyri olim Hirom dictus 151. quando id nomen in Hiram mutatum ib. an idem ac Ἵερωμ Sidoniorum Rex ab Homero laudatus ib. & n. 1. an Sidonem totamque Phoeniceem ſibi ſubjecerit 152. c. 2.

Hiſpani hoſtes invaſuri Paeana canebant 61. ad rhythmos incedebant ib.

Homeri aetas 147. c. 1. & 152. c. 1. in eundem Scholia an unum Auctorem habeant 64 n. 2. Hymnus in Apollinem an ab eodem prodierit 184.

Homicidas ab aris avellere vetitum 43.

Homicidium involuntarium apud veteres voluntario exilio luebatur 105.

Homines nunc vivaciores quam ante annos biſſmille 192.

Homo Dei 168.

Honor parentibus debitus apud veteres quo pertineret 38.

Honorati qui 167.

Hora unde 164. horarum diviſio & nomen ex Oriente in Italiam a Tuſcis delatum ib.

Hordeum ab antiquiſſimis temporibus ad paniſicium adhibitum 162.

Horologiorum ſolarium inventum an aevo Ezechiae antiquius 164. an huic invento Aegyptios praeluſerit ib. a Tuſcis ex Oriente in Italiam allatum ib.

Horripilo & Horripilatio veteribus uſurpata 248. & ſeq.

Hoſtes apud veteres diris devoti 101. carminibus a finibus prohibebantur ib.

Hymnis Deos magis, quam ſacrificiis delectari antiquis perſuaſum 184.

Hymnus in Apollinem an Homeri ſit 184.

I

Idae montis vertex cur Gargaron aut Φαλάκρον dictus 123. c. 2. & ſeq.

Idola Hebraeis *Abominationes* appellata 59. Idolorum, praecipue Aſiaticorum, cultus cum alienatione ac inſania jungebantur 238. Idololatria quo tempore in Aegypto incoeperit 12. ejuſdem non pauca ſemina ab oriente Salomonis temporibus hauſta 213.

Ἱερὰ Graecis quaecumque ſunt maxima appellata 181. & ſeq.

Ἱερεῖον meliori Graeciae quid 86. & 210. pro animalibus ad epulandum mactatis interdum uſurpata ib.

Ἱερεῖον quid 86.

Jetro Moſis ſocer an prius Idolorum Sacerdos 34. an panem frumentaceum una cum victimis in deſerto attulerit ib.

Ille loco Graeci δῖνα, ſeu loco nominis proprii veteri & medio Latio uſurpatum 144. & ſeq.

Ilva Inſula unde id nomen invenerit 71. c. 2.

Graecis Αἰθαλία dicta ib. n. 1.

Immaculatus, hujus vocis antiquitas 57. n. 37.

Immunditiеs puerperii cauſſa etiam apud Ethnicos obſervata 84.

Imperatoribus inter divos relatis cur ſtatuae coloſſeae erectae 229.

Imperii natalis dies in proximi menſis diem ἐπάγεσθαι interdum celebratus 94. & ſeq.

Imprecari & Imprecatio, voces in bonam & in malam partem uſurpatae 160. Imprecationes ſive bonae ſive malae olim apud Gentes plurimo in uſu 105.

Inaurare acramento quid 53. n. 31.

Inalpini tractus etiam in Tyrrhenia 304.

Infantes ad certam mortem exponere olim permiſſum 5. & ſeq. eos in cliſis aut in ollis exponebant ib.

Inſulae Maris quae 256 & 304.

Intelligibilis active ſumptus 235. Intelligibile tempus aut aetas intelligibilis quid ib.

Intelligo ad ſenſus relatum 177.

Interraſilis quid 48.

Joſeph Hebraeus ſub Apis nomine ab Aegyptiis cultus 79 c. 1. cur Moſe poſterior in Memphitico templo divinos honores nactus ib. ſub Tauri ſimulacro ibidem adoratus ib.

Ipſe & *Iſte* quid differant 201. *Ipſe* & Αὐτὸς de quibus uſus parentur ib.

Iſis cur Thaumantidis filiam poëtae fecerint 250.

Is loco τοῦ *Διὸς*, ſeu nominis proprii 145.
Iſaiae Caput XIV. an totum verſibus decurrat 261. c. 1. an veteris carminis para aliqua in eo inſerta ib. & ſeq.
Iſrael, quae Palaeſtinae pars ſub Saule & poſtea eo nomine appellata 140. hujus appellationis cauſa quae ib.
Itinera apud veteres manſionibus diſtincta 104.
Italae Verſionis auctor an Africanus 247. & 275.
Italia primitiva quae 104. Latium priſco aevo appellata ib.
Jubilaeum Hebraeorum an apud alias nationes in uſu 91.
Judaeam cur Telluris umbiculum Hebraei conſtituerint 187.
Judaei ſomniorum venditores 291.
Judicare alicui veteribus Latinis uſurpatum 178.
Judicii extremi emblema ſtatera unde ortum 285.
Judicis munus apud Hebraeos quodnam 127. nomen & poteſtas apud eoſdem unde fluxerit ib. judices an Moſe vetuſtiores ib. quando inſtituti ib. an ab Joſephi uſque tempore ineoeperint ib. eorum imperium non perpetuum 128. id nomen longe lateque poſt Moſem pro poteſtate ſumma propagatum ib. cur *Elohim* apud eoſdem quoque dicti 42. & ib. n. 20.
Judicum liber an Regum temporibus perſcriptus 133. an aliquae adnotationes poſtea el adſutae ib.
Jupiter cur Fiazzus dictus 17. & 65. n. 1. unde id nomen ib. ore ſuo tonitrua exprimere Gentilibus creditum ib. quidquid hominibus triſte & horrendum acciderer, Jovis ultoris fulmini ab eiſdem tributum 66. c. 1. Jupiter nubilus, pluvius, frigidus, ſerenus; hae locutiones unde manarint 296.
Jusjurandum per *quaternionem* apud Pythagoricos omnium ſanctiſſimum 292. Jurisjurandi conditio a Latinis apponi ſolita quae 161.
Juvenes apud veteres Sacrificiorum adminiſtri 45.

L

Lacones ad tibiam & numeros praelia committebant 61.
Lactuca ſylveſtris quae 21.
Laganum quid 76. c. 1. id nomen apud Graecos permtiquum ib. & n. 5. quo tempore Latio donatum ib. cur ab Hebraeis רקיק *Rakik* appellatum ib. Moſaicum Laganum quid a Graecanico diſcreparet ib. ejus artificium ib. Lagani vocabula apud Syros ib. n. 6.
Lapis fundamentalis an ritu aliquo apud Hebraeos in fundamenta conjectus 256. Lapis auſpicatus antiquis vocatus ib.
Lateres initio crudi 13. paleis infarciebantur ib.
Latini ſacrorum ritus & vocabula unde didicerint 41.
Latium vetus quodnam 104.
Latrones veteribus non ſemper in deteriorem partem accepti 163.
Lauri ramus pro hyſſopo in luſtrationibus uſurpatus 100.
Lecythus 161.
Legati apud veteres totidem verbis mandata repetebant 14. 34. & 117.
Legum latores leges ſuas ad Deorum aliquem auctorem referebant 59.
Λέρα κακὰ, adagium unde ortum 84.
Λεπτότης apud veteres non infame 163.
Λιγυρὸν idem olim ac *πολυχάλκατον γένος* 163.
Lex de non comedendo ſanguine an Hebraeis propoſita 84. an antea Noacho tradita ib. Legem Aeternam hominibus innaſci Gentiles ipſi docuerunt 198.
Librorum ſacrorum *Θεσπισία* 187.
Lignorum ſtirpiumque virtutes olim compertae 159. an a Salomonis uſque temporibus ib.
Λίνος quid 278. carmen querulum ſimul & numen quod querulis caeremoniis praeſit, notat ib. unde id nomen ortum ib.
Λοβὸς apud veteres memoriae ſedes 57.
Loca ſola Latinis quae 211. *Arva* etiam appellata ib.
Lucanorum Rex antiquitus non perpetuus 128.
Lucomones Tyrrhenorum duces, unde id nomen 133.
Luctus. In Luctu magnorum virorum moenium pinnas dejici ſolemne 279.
Ludi poſt epulas ab antiquis uſitati 60.
Lugentium ſitus apud veteres 279.
Lugubres cantus, caeremoniae, & ritus apud Orientis populos celebratiſſimi 278.

M

Madere vino, & *vino madidus* 136.
Magorum ſchola in Aegypto perpetua 15.
Malitia interdum apud Latinos in laude poſita 210
Mandare antiquis quid 34.
Μανίρα quid Aegyptiis 278.
Manna quo pacto Iſraelitis in deſerto diſtribueretur 32.
Manus pro Miniſterio 18.
Mare Magnum Hebraeis quodnam 113 quale apud Latinos ib. Mare Rubrum antiquis quodnam 66. c. 2. & n. 2.
Markolis Chaldaicum Mercurii nomen unde factum 213. & ſeq.
Mariaba Sabaeorum in Arabia Metropolis 160.
Mariae Virginis partus hiſtoria apud Ethnicos diſſeminata 253.
Marmora *ἐπιγραφὰ* 60.
Medici antiquiſſimis temporibus vaticinandi arte floruerunt 164.
Meditor an tantumdem quod *Cogito* 264. c 2. modo

modo linguae, modo ori, modo palato aut gutturi a Vulgato Latino interprete tributum 265. c. 1. an voeis potius quam mentis verbum ib. de avibus quoque uſurpatum ib. ejus nativa notio & etymon ib. c. 2. primitus *Melitor* dicebatur ib. an idem quod *Canto* ib. num idem ac tacito murmure verſus aut proſam intra ſe condere ib. antiquis tantundem quod *Muſſito* 266. c. 1.

Medix ſive Mediax Campanorum ceterorumque Etruſcorum ſummus Magiſtratus 128. id nomen & munus unde propagatum ib.

Μελαμπόδες Aegyptiorum numinum cultores 289. quando Graecas civitates invaſerint ib. & ſeq.

Μέλδομαι quid 137. n. 2.

Μελίσσω quid 265. c. 2.

Μελετάω Hellenitiis quid 254. an tantumdem quod *Cogito* 264. c. 2. cur per *Meditor* a Vulgato Latino Interpr. redditum ib. & ſeq. cur oratorum peculiare verbum evaſerit ib. c. 2. quare ad militares & quaſvis alias praeexercitationes translatum ib. tum ventriloquorum, tum columbarum proprium verbum 266. c 1.

Mellis vis ad refocillandas vires 141. & ſeq.

Menſae in caſtris ex ceſpitibus exſtructae 69.

Menſis dierum 97.

Mentum prenſare apud antiquos ſupplicum geſtus 156.

Mercurii nomen ex Oriente ortum 213. *Markolis* Chaldaeis dictus ib. lapides a viatoribus in ejus honorem in acervum ei ſacrum jacti ib. & ſeq. hujus ritus origo ib. Mercuriales acervi Ἑρμαῖοι dicti 214 Mercurii nomen a Tyrrhenis in Italiam illatum ib. n. 3.

Meretrices quo pacto ab honeſtis mulieribus apud veteres diſcretae 207.

Metalla auro illinere veteribus cognitum 47.

Milites ἰδιῶται & gentiles qui 168.

Militiae cum venatione olim multa ſimilitudo 187.

Minerva Μαχανῖτις veteribus celeberrima 59.

Minoro, verbum antiquis uſurpatum 191.

Mithra Menotyrannus quis Deus 86.

Mnevis Aegyptiorum Deus idem ac Moſes 79. c. 1. ei templum Heliopoli erectum ib. cum cornibus colebatur ib. cur ſub ſpecie cornuti bovis ibidem adoratus ib. c. 2.

Moabitarum praeſes *Sufes* appellatus 293.

Mobilis pro Induſtrius 208.

Molitricis aneillae vox in omen apud veteres accepta 222.

Moloch Deus idem ac ſol 86.

Μῶμος unde 87.

Monolina quae 227.

Mons Teſtamenti Iſaiae quid 263. c. 2.

Montes omnes cur Jovis montes apud Graecos nuncupati 182.

Mortales ἀνθρωπίσκοι aquilae inequitantes in caelum deportati 34.

Mortuorum contagione apud veteres pollutio contrahebatur 93. mortuos omnibus laetitiae ſignis iidem proſequebantur 223. c. 1.

Μόσχιον quid & unde 233 & ſeq.

Moſes, nominis etymon & ſcriptio 6. an Aegyptium aliquod nomen inditum ib Ἀθυγάτης a Graecis dictus 7. an primus Iſraelitici populi judex ib. ejus miniſterii fines 10. an a Jetro ſeu Raguele Reipubl. adminiſtrandae rationem didicerit 127. ejus cornua 77. c. 1. ea ab animalium cornibus diverſa 78. c. 1. bina radiorum volumina quaſi cornua duo ex ejus capite emittebant ib. cum cornibus ab Aegyptiis ſub Mnevis nomine cultus 79 c. 1. celeberrimum Heliopoli templum ei excitatum ib cur Joſepho prior apud Aegyptios divinos honores meruerit ib. an ſub bovis cornuti ſimulaero ibidem adoratus ib c. 2. an ſub Oſiridis nomine item latuerit ib

Mundus veteri Latio tantumdem quod Caelum 242. c. 2 poſtea pro terrarum orbe, aut terrae incolis id vocabulum uſurpatum ib. & ſeq. Mundorum plurium dogma unde ortum 243. c 1. & n. 2. latiſſime per Orientem propagatum 244 c. 1 & ſeq. Mundi interitum nonnulli veterum ad ejuſdem ſenectutem conferebant 194

Munera de laude Terrae Hebraeis quae 139.

Murus pro Vallo 69. n. 3. Murus ferreus Ezechieli quid 270.

Muſſito cur oratorum peculiare verbum 265. c 2. tum ventriloquorum, tum columbarum item proprium ib. & 266. c. 1.

Muſtum quo ritu apud Latinos primum geſtaretur 229. cur majorem inebriandi vim veteres ei tribuerint 258.

Μύζοι Sophocli quid 93.

Myſi Europei Iſtri accolae ex Thracibus orti 205. c. 1. & ſeq. juſtiſſimi hominum Homero dicti ib. cur Θεοσεβεῖς & Καπνοβάται *Deicolae* & *fumi ſcanſores* vocati ib. ſuffimentis numina colebant ib. an ab Hebraeis edocti ib.

N

Naeor Abrahae frater an aliquando idololatricis cultibus implicitus 121. & ſeq.

Naeniarum antiquitas 277. & ſeq. apud Orientales maxime uſitatae ib.

Νάρδος νίτρωδη quid 111.

Nares antiquis irae ſedes 62. *longus naribus* Hebraeis quid, quidve *brevis naribus* ib. Corrugare nares Latinis quid ib. naſo ſuſpendere adunco unde dictum ib.

Nario qui 62.

Natalis vox quo pacto de interitu uſurpari coeperit

coeperit 223. c. 1. & ſeqq. antiquis tantumdem ac dies nativitatis 224. c. 1. poſtea ad alios proſperos eventus tradu&ta ib. cur veteres Chriſtiani Martyrum paſſiones Natales nuncuparint ib. cur vox Natalis quoslibet anniverſarios dies notarit ib. c. 2. Feſta Deorum anniverſaria Natales appellata ib. Natalis Calicis aevo ſequiore quid ib. ea appellatio etiam in rerum triſtium memoriis obtinuit ib. Natalis terraemotus Alexandrinus celebratus ib. Natalis vox pro qualibet celebritate etiam poſita 225. c. 2. ſub Caeſaribus ſaepe tam apud Ethnicos, quam apud Chriſtianos pro exitus aut ſepulturae anniverſario die uſurpata 225. c. 1. & ſeq. Natale genuinum quid 226. c. 2.
Navigationes vetuſtiſſimis temporibus partim mſari, partim fluminibus, partim pedeſtri itinere inſtitutae 160.
Neceſſitas & Calamitas ſermone Biblico ſynonyma 240.
Nepualius an Judaeus Alexandrinus 248. n. 2. ejus aetas ib.
Νίκος ποσρα quid 260.
Nili aquas corrumpi antiqui negabant 16.
Noachidis carnis, cujus non effuſus ſit ſanguis, comeſtio ſolum vetita 82.
Noceo cum quarto caſu apud ſacros & profanos Scriptores junctum 238.
Nomen, ἀπλῶς, quid apud Judaeos 90. quidve apud veteres Chriſtianos ib. *confiteri* aut *negare Nomen*, *Nominis inſeſtatio* quid ib.
Noſcere pro Adprobare 176.
Νῶτα γεράσμια Homero quae 83. n. 2.
Nubes pro Caeli januis apud veteres habitae 189. & ſeq. eiſdem nubes peculiare Deorum vehiculum 32. & 194. in Graeca Romanaque ſcaena Nubes Deorum machina ib.
Numerorum Liber cur ſic inſcriptus 93.
Numerus Cardinalis pro Ordinali Graecis frequens 235.
Nuntiantibus laeta Carnes in praemium dabantur 138. & 150. victimae Euchariſticae portio iiſdem praebebatur ib. iidem apud Aticos coronati 139.

O.

Obandio & Obauditio aevo ſequiore uſurpata 211.
Obedio pro Exaudio 119.
Obducere proprie quid 247. quidve apud Africanos Scriptores ib.
Obductus ſubſtantivum abſolute poſitum quid 247.
Obrizum etiam de argento dictum 255.
Obſes Latinis κατ' ἐυφημισμον pro captivo 190.
Occurſus malus, latina locutio 159.
Oenuſſa, antiquum Carthaginis nomen, unde ductum 269. c. 1. an Phoenicii nominis *Boſra* Graeca interpretatio ib.
Oenuſſae Inſulae ubi poſitae 169. c. 1. an ab Idumaeis habitatae ib. c. 2. an vernaculo ſermone *Boſrae* appellatae ib.
Οἶκος ὄνυ quid 60.
Oleum viride recens expreſſum in divitum cenis apponebatur 193. quî expreſſum ib. cur viride delicatiores amarent ib. oleo viridi candidum opponebatur ib. Olei & vini primitiae cur *lacrimae olei* aut *vini* Hebraeis dicerentur 44.
Omina ex famulae molitricis voce apud veteres capta 222.
Ὀμφάκινον quid 194.
Ὄμφαξ quid 187.
Ὄνομα, quid apud veteres tam Judaeos quam Gentiles quid 90. & ſeq. apud Chriſtianos pro nomine Jeſu Chriſti poſitum ib.
Onomacritus an Orphicorum Poëmatum auctor 80. ejus aetas ib. ex Moſaicis fontibus ſua hauſit ib.
Opinatus & Opinatiſſimus quid 166.
Ὅπλον pro Scuto 239.
Ὄψον & Ὀψάριον cur antiquis tantumdem ac Piſcis 96.
Opus textoris apud Hebraeos quid 51. an perpetuo duas facies habuerit ib. quid ab Opere plumario differret ib.
Orationem inter & lectionem quod diſcrimen Patres ſtatuerint 190.
Oratores in indignatione frontem aut femur feriebant 273. & ſeq.
Orphicorum Poëmatum auctor quis 80.
Ὀρφυγομήτρα quid ab Ὄρτυγι diſſideat 98.
Oſci an Chanaanitarum coloni 27
Oſcula genis ab aequalibus apud veteres dabantur 249. carpo manus ab inferioribus ib.
Oſiris Aegyptiorum Deus idem ac Moſes 79. c. 2. ſub hominis cornuti ſimulacro primum adoratus ib. poſtea ſub ſpecie bovis ib.
Ὀφείλομαι, maxime cum dativo, interdum pro *Vaticinor* uſurpatum 280.

P

Pacifica quae 41.
Pacis vox in re ſacrificali frequentiſſima apud Latinos 41. unde ſumpta ib. Pacem invenire Deum quid ib. quando Pax Deum expoſceretur ib. n. 19.
Pacta & Foedera apud veteres junctione manuum perficiebantur 44.
Pactio Ciceroni quid 161.
Padus cur aliter Eridanus vocatus 201.
Παῖδες Ἀθηναίων pro Ἀθηναῖοι 169.
Pallium duplicatum an Diplois diceretur 203. n. 1. quis primus invenerit ib.
Palmarum fructus honori Deorum dicati 161. cur Κυδαῖοι ab Hebraeis dicti ib.
Panicula quid. & unde dicta 49. n. 24. in ſtrue panicea

panicea inter quadras aut inter liba interponebatur ib.
Panis vox unde 48. an a Meſſapiorum πάνος 49 n. 23.
Panis ſacer Hebraeorum cur *Lehem Panim*, h. e. *Panis facierum* ab Hebraeis dictus 48. cur a Senioribus Ἄρτος ἐμάτιος aut Ἄρτος τῆς προθέσεως *Panis propoſitionis* vocatus ib. n. 22. ejus figura plerumque quadrata 49. an item oblonga ib. cur *Panis Maarecheth*, *diſpoſitionis* etiam appellatus ib vacua inter panum ordines ſpatia panicula replebantur ib. quando aurei calami panibus ab Hebraeis interjecti ib. Panes ſubcinericii Azymi 25.
Panis ficcus quid 210. & ſeq. tum antiquis, tum Chriſtianis tota quadrageſima in uſu ib.
Pannus duplex Horatio quid 204. n. 1.
Παπυρία & Παπύρους quid 209. in deteriorem & meliorem partem uſurpata ib.
Parabolam aſſumere Hebraeis quid 102.
Παραβάτης qui 63. c. 1. an dominus currus 64. c. 2.
Παράλλητοι veteri Graeciae qui 287.
Parentum vox aevo Conſtantiniano pro quolibet Cognato 304.
Παρίσος quid 64. c. 2.
Παρθένος Ezechieli Poëtae Judaeo quid 254.
Παρθένος ib.
Παρσιμαι quae 206 toto Oriente uſitatiſſimae ib.
Paſcha an ex Dei praecepto ſine fermento ab Hebraeis initio celebratum 22 & 25. & ſeq. cur ab immundis aut peregre proficiſcentibus XIV. die proximi menſis rejectum 94. Paſchales ritus 20.
Παστοφόριον, vox Alexandrina, quid 303.
Paſtoritia ars Aegyptiis probro fuit 8.
Peccata interna an Decalogo item damnata 39.
Pectorale veſtis non manuleatae genus 56 aevo poſteriore colobium aut Dalmatica dictum ib. Pectorale & Rationale in re veſtiaria Eccleſiaſtica ſynonyma ib.
Πελάγιος cur de Inſula aut navi in alto poſita uſurpatum 183.
Pelagi cur Latrones appellati 163.
Πέλλιαι aut Πελλαίδες quae 266. c. 1.
Peloriorum feſtum apud Theſſalos 41.
Πεμπτοβόλος & Πεμπτίβολος quid 153.
Περιδέξιος qui 133.
Περισσίωμα quid 56.
Περισσόμιον quid 56.
Περιστόμιον Helleniſtis quid 209.
Perjurii poenam etiam poſteros pertingere Ethnicis creditum 35.
Perſae cur in excelſis locis ſacrificarent 92. de rebus maxime ſeriis inter vina conſulebant 117. poenam ad omnes reorum propinquos extendebant 286. Perſarum Regum diadema quodnam ib.
Φαλάκρα quae 123. c. 2. montium glabrorum peculiare nomen 124. c. 1. & n. 5. Φαλάκρα Idae montis vertex an a Gargaro diverſus. b c. 2 an ejuſdem ſynonymon ib.
Pharao, initio commune Regum Aegypti nomen 157. cur nec Divina ſcriptura nec Homerus Reges Aegypti nominibus propriis deſignarint 158.
Philippi (L. Marc.) cornuta facies 78. c. 2. flamma ex ejus capite fuſa inſtar binorum cornuum ib. ejus nummi illuſtrati ib. n. 2.
Phoenices cur Latrones appellati 163. Idumaeorum cognomines 268. c. 2. an eorumdem coloni ib. & 293. cognomines per orbem colonias diſſeminarunt ib.
Φόνος ἀκάθαρτος apud Hebraeos atque Athenienſes quinam 43. & 105. quo pacto τῷ φόνῳ ἐν πρυτανείῳ opponeretur ib.
Φύραμα quid 24
Picati ſeu Phicati qui 276.
Πυρίδες eaedem ac θρίδακες ἄγριαι 21.
Piſcinae in Oriente a ſummatibus magno ſumptu paratae 195. a Romanis in totum Occidentem diffuſae ib. an a primis Judaeorum Regibus is mos manarit 196.
Piſces cur *Opſonii* nomen vulgo gellerint 96. plurimus apud veteres eorum uſus ib. Heroes & primi mortalium an a piſcibus abſtinuerint ib. Piſcium vivaria an Regibus Judaeorum in deliciis 165.
Piſtillum & Cribrum nuptis data 222.
Πίθος quid 274.
Placentae orbiculatae forma 75. c. 1.
Πλαγὰ cur Hellenillis pro publica calamitate 18. Ethnicis eadem notione ea vox uſurpata 19. Πλαγαὶ Aegyptiorum quamdiu perdurarint ib.
Plumarium opus quid 51.
Pluteus quid 228.
Poenitendo, vox veteribus uſurpata 290.
Pomorum Suſetes unde propagati 128.
Poeſis Hebraicae vis & natura in quonam poſita 102. & 171.
Poëtae tumidi apud veteres Συγγραμμάτων videri cupiebant 267. c. 1. n. 3.
Πολυπλάνητοι γύροι quid 163.
Poma vetera & nova 229.
Ponere pro Facere 279.
Pontificuli munus in remigatione 60.
Porto nonnunquam idem quod Aufero 281.
Potentatus pro Dominatu aevo meliore uſurpatum 192.
Praeciae quid 38 vocis etymon ib. n. 17.
Praeciamitatores qui 38. n. 16.
Praeconia vox quae 284. ad praeconium faciendum viri magna voce praediti delecti ib.
Precationes veluti ſuffitui inequitantes ad Deum uſque conſcendere veteres credebant 204. c. 1. & ſeq.

Primitiae olei, vini, aut tritici cur *Adeps* Olei &c. ab Hebraeis appellatae 99
Princeps exercitus Domini a Josua memoratus quia habendus 115.
Probationis ferri candentis antiquitas 93.
Profanare initio tantundem quod consecrare 108. cur postea aliquid in humanos usus transferre notarit ib.
Προοίμιον, vox rei poëticae peculiaris 174. antiquis tantumdem quod Ὕμνος ib.
Προφῆται non raro pro Ὑποφῆται 15.
Proseuchae Hebraeorum Ethnicis etiam patebant 259. in editis locis plerumque positae 303.
Πρόσταγματα quid 15.
Περιφερόμενος quid 239.
Psallendi vetus disciplina in Ecclesia quae 31.
Psalmi qua ratione ab Judaeis alternatim canerentur 200. & seq. Psalmorum clausula intercalaris singulis versibus ab Choro altero repetebatur ib. Psalmi LXXXIX. aetas & auctor 192. Psalmorum Tituli Psalmis recentiores ib.
Ψύχη pro vita 132.
Ptolemaeus Epithetes an Aegyptius 19. ejus opera ib.
Puerperii immundities Ethnicis etiam observata 84. eodem Sancta polluebantur 100.
Pulcritudinis laus praecipua antiquitus in proceritate & mole corporis sita 228.
Purgandi ab imputatis criminibus rationes apud diversas nationes 93. & seq.
Pythiae cur Πύλιαι, Πυλιάδες, aut Φάναι dictae 254. & seq. & 266. c. 1. & seq.

Q

Quaternio apud Orientales quid 292. in Pythagorica Schola summo in honore habita ib.
Quinquennalia die natali Imperii edita 94 & seq. in alium ejusdem numeri diem quandoque dilata ib.
Quisquiliae quae 175.

R

Ῥαιφὰν aut Ῥεμφὰν Senioribus quid 295. unde ea vox orta ib.
Rameſſe ubi posita 25. n. 10.
Rationale idem ac Pectorale 56.
Recludo pro probe Claudo aut Segrego 84.
Refrigerare & Refrigerari sermone ἰδιωτικῷ saeculo tertio idem quod Ἀναπαύεσθαι 274 quandoque tantumdem quod Ἀναψύχειν ib. Refrigerium idem ac Ἀναπαύσεις ib.
Regum Libri quo pacto olim inscripti 134. duorum priorum Auctor an Samuel 135. an diversis temporum scriptoribus omnes tribuendi ib.
Ῥῆμα Hellenistis quid 46. n. 21.
Remissio justa quid 91. quo tempore daretur ib.
Repentinus, vox varii usus 209.
Repudium nunquam Hebraeis mandatum 109. repudii libellus vim legis obtinebat ib.
Rerum universitatem sex annorum chiliadibus conditam olim creditum 191.
Rhythmus in singulis rebus olim adhibitus 60.
Ῥυῶ pro Μυκτηρίζω 62.

S

Saba Regina unde venerit 160.
Sacerdotum electio apud Athenienses quo pacto fieret 88. in eisdem corporis integritas & puritas requirebatur ib.
Sacrificiorum ritus & vocabula unde in Latium manarint 41. Graecorum apparatus Mosaicis simillimi 54. & seq. cur in excelsis locis sacrificatum 92. sacrificales idem ferme ac ritus convivales 86. sacrificia olim a conviviis vocabulis magis, quam re distincta 85. tanquam sacrae epulae habita ib. & 81. & seq. vox sacrificii interdum pro animalibus ad epulandum mactatis usurpata 210. sacrificia Pacifica Hebraeorum quae 41. n. 19.
Saeculum pro Mundo 244. c. 2. & seq.
Sal in sacrificiis perpetuo adhibitus 81. salem a mensa abesse apud veteres nefas ib.
Salomon an Libri Sapientiae Auctor 231. ejus sententiae an Aureliani temporibus apud Gentiles notae 219.
Salvator, vocis antiquitas 128.
Salutaria in vetere Itala quid 40.
Samnites unde orti 55. eorum nummi Tuscis litteris inscripti ib. Atrium & Aras more Israelitarum in medii castris habebant ib.
Samson an afflatu Numinis sibi ipsi caedem intulerit 132.
Samuel an duorum priorum Librorum Regum Scriptor 135.
Sanctum, neutro genere a profanis etiam usurpatum 86. sancta funeribus & puerperiis apud veteres polluebantur 100.
Sanguis animalium mactatorum Diis libandus erat 85 sanguis intestino concluſus admixto pingui apud veteres in deliciis 82. ejusdem esus an Hebraeis vetitus ib.
Sapientia pro ea Scientia, quae circa arte facta versatur 58.
Sapientiae Liber an a Salomone profectus 231. soluta oratione, an vincta versibus conscriptus ib. num ab aliquo alio Hebraeorum sapiente sub nomine Salomonis editus 232. Graecus textus a quibus prodierit ib. Hyli Graeci textus sublimitas cui referenda ib. an partibus duabus diverso tempore scriptis constet 233 ejus maxima semper apud veterem Ecclesiam gratia ib. Latinae vulgatae interpretationis aetas 234.
Sapientum nomina apud veteres 42. & seq. Dei nomen eisdem a Bojis tributum 43.
Sarabala quid 285.
Satanas an ab Hebraeis Lucifer appellatus 261.

c. 1. an in antiquis eorum carminibus uti Coluber deſcriptus ib.
Saturnus cur Arabicus *Caivan* & Syris *Chevun* dictus 294 Baetyli cur eidem ſacri ib. ejus ſimulacrum antiquitus non aliud quam Cippus informis ib. Saturnaliorum feſtum 41.
Σαυρωτὴρ quid 146 c. 2. & ſeq. ejus duplex uſus ib. & 147. c. 1. haſtae quieſcenti inerviebat ib. ejus etymon 143. c. 2.
Scabillarii qui 154
Sceleſtos ab Altari avellere apud Graecos nefas 43.
Sedentis ſitus idem qui lugentis 279.
Sedes & Sedeta frequenter pro Statuis 120.
Seir Montes cur id nomen obtinuerint 125 c. 1.
Sellae Diis dicatae 137. Sellae parturientium materies & forma apud Aegyptios 5.
Semiramis an prima mares eviraverit 109.
Senatus appellatio unde 44.
Senioratus ſequiore aetate dignitatis magis, quam aetatis nomen 45.
Sephorae natale ſolum quodnam 2. & 98.
Servitor Deorum 240.
Servitus apud Aramaeos ſeptem annis definita 41. Servitus pro Divini Numinis cultu 240.
Seſſus tacentium proprius apud antiquos 280.
Sibilo ſigna militaria olim edita 253. & ſeq. & 301.
Σιδήτιον quid 147 c. 2.
Signa militaria ſibilo olim dabantur 254.
Silco unde 176.
Simulacra primitus non aliud quam Cippi ac lapides informes 294.
Socoth ubi ſita 25. n. 10. ejus nomen unde factum ib.
Sol cur Moloch & Beelſamin dictus 86.
Solarii inventum an aevo Ezechiae antiquius 164 an ab Aegyptiis initio excogitatum ib.
Solſtitialis Herba quae 298.
Σοφίζομαι & Κατασοφίζομαι 3. & ib. n. 3.
Σοφοὶ veteri Graeciae qui 42.
Σπυρὶς LXX. Senioribus quid 40.
Στεῖρα quid 220.
Spero aevo medio tam de bonis rebus, quam de malis poſitum 239.
Spira operis piſtorii genus 74. c. 2. aevo ſequiore *Torta* appellata ib.
Spolia ex hoſtibus detracta in Deorum templis dicata 145. his donariis abuti nefas ib.
Staterae extremi judicii emblema unde Chriſtiani deſumſerint 172. & 285.
Στυῖς quid 24. n. 9.
Στυλμοὶ quid 104.
Statua olim tantumdem ac Cippus ſive columna 294 ſtatuae coloſſeae omnium honoratiſſimae apud veteres 229. Diis & Imperatoribus inter divos relatis erigebantur ib. Deorum & Heroum cujus proceritatis ib.
Στύλη & Κίων apud veteres cur promiſcua 294. pro Columna & Cippo & Statua ib.
Stella, voeis origo 261. c. 2. & n. t.
Στροφὰ quid 236
Strues genus cibi in ſacris Litteris 49. ejus forma ib.
Subitare quid 234.
Subulo, vox Tyrrhenica ex Oriente in Italiam delata 174.
Sufetes Poenorum, Moabitarum, aliorumque Orientalium ſummus magiſtratus 128. & 293. interdum Reges appellati 133.
Suffitus tamquam precationum vehiculum ab Hebraeis adhibitus 204. c. 1. & ſeq. ad Caelum uſque evolare credebatur ib. quales ſuffitus in veterum Gentilium ſacris uſitati 58.
Supparus quid & unde 274.
Sura femori impoſito veteribus mentis alienatae indicium 131.
Suſannae hiſtoria an Nicolao Damaſceno comperta 287.
Συγκομιστήρια quae 89.
Συλλόγοι quid 89.
Συνάστρια ſenioribus quid 18. n. 7.
Συνοικεῖν & Συνοικίζειν ſacris & profanis ſcriptoribus tantumdem quod *Nubere* 235. & ſeq.
Συντρίμματα quid 173.

T

Tabernaculi Foederis adumbratio 51. ejus Cortina quid ib. Tabernaculum temporarium extra caſtra poſitum 61. perpetuum mediis in caſtris conſtructum ib. & 55.
Tecta antiquitus plana 155. & 167. in tectis veteres cubare ſoliti ib. mulierum cubicula ibidem collocata ib.
Τηγίου Θαλάμου Homero quid 167.
Τεῖχος ἀμφίχυτον Homero quid 157.
Εἰς Τέλος quid 177.
Terminales lapides 108.
Terra antiquis longior quam latior habebatur 173. *in medio terrae* Hebraeis quid 187. Terrae motus a Gigantum mutatione laterum oriri veteribus creditum 263. c. 2.
Thalami in cenaculis poſiti 167.
Θάλλος quid 100. omne aſpergilli genus notabat ib. plerumque lauri ramulus prae aliis in luſtrationibus uſitatus ib.
Θαλύσια 89. & n. 1. Θαλύσιος ἄρτος ib.
Thare Abrahae pater an aliquando idololatra 121. & ſeq.
Θεῖοι apud Getas qui dicti 43. Θεῶν ἴδος 33.
Therapeutarum Pſalmodia 200.
Theſaurus iniquitatis, mali &c. c. 298.
Thraces natos lugebant 223. c. 1. mortuos laetitia proſequebantur ib. an Judaeorum coloni ib. c. 2. Thraces κνισταὶ appellati qui 110.
Θρῆνος nonnunquam pro perſona ſive auctore & Θρηνῳδὸς 277. Θρηνῳδία origo prima an ab Hebraeis

Hebraeis repetenda ib. Aegyptiis *Μαϊήρες* dicta 278. veteri Graeciae *Αἶνος* & *Αἰλινος* appellata ib. plangentium collegia an per Palaestinam & Orientem fuerint ib. Threnorum Jeremiae titulus cujusnodi initio extiterit 277.
Θρῆνος ἄγγελος quae 21.
Thymiama Mosaicum an idem ac *Κῶφι* 58.
Tingo quid 100.
Τίς Hellenistica dialecto idem ac *Ὅς* 116.
Τίθημι pro Facio 279.
Tollo, cur nunc elevandi, nunc auferendi vim habeat 46.
Τολύπη LXX. Viris quid 162.
Tonitrua Dei ipsius ore exprimi Hebraeis creditum 65 c. 2 a gentilibus Jovi tributa ib. & n. 1. ab utrisque *Voces Dei* appellata 17. 34. & 97.
Torta quid 73. c. 2. & seq. vocis antiquitas ib. ejus figura orbicularis 74. c. 1. subeinericius panis erat ib. *Spira* a Latinis dicta ib. c. 2.
Τόξον quid 148. & sagittas & omnem sagittarium apparatum comprehendebat 175. & 185.
Tractare pro Consilium inire, & *Tractatus* pro Consilio 121.
Transire apud Orientales idem quod Ministrare 93 & 168.
Tribunal allocuturi Imperatoris suggestus sive suggestum vocatum 69. n. 4.
Trigae heroicis temporibus in usu 64. c. 2.
Τριάντες LXX Senioribus quid 28. modo militaris, modo palatini Officii vocabulum ib. an idem ac *Πρεσβύτης* ib. & 68. c. 1. an ternos e curru pugnantes notet ib. c. 2. an is qui triga veheretur 64. c. 2. & seq.
Triticum molere apud veteres ancillare officium 222.
Tuba Hebraeorum inventum 95. ea Graeci heroicis temporibus carnerunt ib. Tubarum clangor in obsidione satis antiquus 115. an apud Hebraeos virtutem quandam sacramentalem habuerit ib. & 95.
Τύχη quid 287. an pro Genio accepta 288.
Τυχία quae 258. in singulis ferme civitatibus colebantur ib
Typhon Mythologorum unde adumbratus 261. c. 2. primitus venti aquilonaris genus 262. c. 1. ejus nativa notio & etymologia ib. cur *Orions* aut *Subsolanus* LXX. senioribus dictus ib. c. 2 unde eam vocem Graeci & Latini acceperint ib. is turbo cur in gigantem terris noxium a Poetis transmutatus 263 c. 1. alio nomine Eneeladus aut Briareus vocatus ib. & n. 3. Typhoëo mutante latus tertae motus gigni veteres fabulabantur 264 c. 1.
Τυμπάνη quae 169.
Tyrii cur Idumaeorum fratres appellati 292.
Tyrus cur *filia maris* ab Isaia dicta 255.
Tyrrheni ex Chanaanitide orti 27. an tubae inventores 95. Mercurii nomen & religionem ex Oriente in Italiam deuleruntz14 n. 3.

V

Vacca rufa apud Ethnicos in sacrificiis requisita 99. cur indomita potissimum mactaretur 100.
Vallus ex cespitibus constructus interdum *Murus* dictus 69. n. 3.
Vanum & Vanitas antiquis quid 36.
Vates fatidicae cur *Πίσσαι* aut *Παλαιάδες* aut *Φάσσαι* appellatae 266. c. 1.
Vatis & Medici officia valde cognata 164.
Ver sacrum antiquis Italis unde ortum 27.
Verecundus de homine aeque ac de re usurpatus 283. pro Venerandus ib.
Verpa & Verpus unde 114. & 282 & seq. Martiali Verpus commune Judaeorum nomen ib.
Verum pro Bono 284 & seq.
Vestes duplicatae 218. Vestes floridae 207.
Vesuvius unde dictus 65. n. 1. Jovi Fiazzo apud Oscos sacer ib.
Viae apud veteres mansionibus intersectae 104. Viae Militares *Aggeres* dictae 156. Publicae *Ὁδοὶ βασιλικαὶ* Graecis appellatae 101.
Victimae interdum pro profanis epulis 210.
Videre pro Praevidere 280.
Vinum apud veteres vix aliud quam rubrum 188. 258. & 268. cur sanguis uvae appellatum ib. in utre caprino a Graecis adservabatur 117 vinum novum & vetus medicamenti caussa olim degustatum 229. vini & olei primitiae cur *Iactyatae* apud Hebraeos dicerentur 44. inter vina variae gentes de rebus maximis consultabant 217.
Viscera sanguine & adipe infersa apud veteres in deliciis 82. an Hebraeis vetita ibi.
Vita humana an quotidie contrahatur 192.
Vitulamen quid 233. & seq.
Vitulus ab Aarone conflatus an integer 59. Graeca fabella de cultu Asinino Hebraeorum ex capite Vitulino Aaronico orta ib.
Vivere absolute pro recte Vivere 208.
Vlulatus unde 60.
Vngula interdum pro integro animali 18.
Vocor pro verbo substantivo sum 259.
Vox Dei Hebraeis Gentilibusque quid 17. & 180.
Vrbes *Ἄστυλοι* quae 120. harum *ἀστυλία* in quo posita ib. Vrbium moenia in luctu magnorum virorum dejecta 279
Vulnus aevo sequiore pro Vlcus 178.

X

Χειροβαγεῖν quid 211.
Χτοφόρος qui 19.

FINIS.